

John Carter Brown.

BOUND BY F. BEDFORD

2 titles
Colophon 1605.

(engraved title

8 unnumbered leaves, pp. 296 and 7 unnumbered leaves
349 x 242 mm. Map and plates. ~~Church Second issue~~.
Church No. 150 (~~149~~). John Carter Brown, I. 400[a].

~~Which passage ... 1597 ... [illegible]~~.

an amusing object, Hay laughed, and, for want of other resource, Adams laughed too; but perhaps it was partly irritation at seeing how President Harrison dealt his cards that made Adams welcome President Cleveland back to the White House.

At all events, neither Hay nor King nor Adams had much to gain by reëlecting Mr. Harrison in 1892, or by defeating him, as far as he was concerned; and as far as concerned Mr. Cleveland, they seemed to have even less personal concern. The whole country, to outward appearance, stood in much the same frame of mind. Everywhere was slack-water. Hay himself was almost as languid and indifferent as Adams. Neither had occupation. Both had finished their literary work. The "Life" of Lincoln had been begun, completed, and published hand in hand with the "History"

This is the 2nd 1605 edition.



AMERICAE TERTIA PARS

Memorabilē provinciæ Braſiliæ Hiſtoriam continēs, germanico primum ſermone ſcriptam à Ioāne Stadio Homburgenſi Heſſo, nunc autem latinitate donatam à Teucrio Annæo Priuato Colchanthe Po: & Med: Addita eſt Narratio profectionis Ioannis Lerij in eamdem Provinciam, quā ille initio gallicè conſcripſit, poſtea verò Latinam fecit. His acceſsit Deſcriptio Morum & Ferocitatis incolarum illius Regionis; atque Colloquium ipſorum idiomate conſcriptum.

Omnia recens evulgata, & eiconibus in æs inciſis ac ad vivum expreſsis illuſtrata, ad normam exemplaris prædictorum Autorum; ſtudio & diligentia Theodori de Bry Leodienſis, atque civis Francofurtenſis anno MDXCII.

Venales reperiūtur in officina Theodori de Bry.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO GVILLELMO, COMITI PALATINO AD RHENVM,

& vtriuſque Bauariæ Duci, &c. Domino ſuo Clementiſſimo.



VIDIT Ser^{ma} V.C. Virginiæ Hiſtoriam, vidit & Floridæ, vtramque ipſius nomini conſecratam; priorem Gallico, alteram Germanico idiomate ſcriptam: nũc tertiam adfero BRASILIAM, *Latino ſermone loquentem, quam non minus gratam Ser^{mæ} V. C. futuram confido, quam duæ ſuperiores, quas adeo benigne excipere dignata eſt, quandoquidem illis auctior hæc eſt, & rerum varietate vtramque aliam longe ſuperat.*

Epiſtola dedicatoria.

Conſcripta eſt autem à diuerſæ nationis hominibus; priore Germano, qui ante quadraginta annos in ea regione captus, multas ærumnas paſſus eſt: altero Gallo, qui aliquot poſt annos in eandem regionem vectus, plurima incommoda, præſertim in reditu, pertulit. Vtrumque tamen Deus pro ſua immenſa benignitate è tantis periculis eripuit.

Magnum porro inter incolas iſtarum Regionum eſt diſcrimen, cum in cultu, tum in moribus & Religione. Nam priores verecundi magnam corporis partem tegunt, pacis amantes ſunt & proni ad veram Religionem (ſi monitorem nanciſcantur) amplectendam, quandoquidem animorum immortalitatem credunt: Alij verenda quidẽ tegunt, ſed reliqua parte corporis nudi incedunt, vafri & vindictæ cupidi Solem adorant. Hi vero abiecto omni pudore, omnino nudi ſemper ambulãt tam viri quam feminæ: ne minima quidẽ vlla corporis parte tecta, & tam efferata ſunt rabie, vt quotquot hoſtes in ipſorum poteſtatem veniunt, pecudum inſtar mactent, atque inſuper vorent: nullum præterea numen agnoſcunt, præter fructum quendam iniectis lapillis crepitantem, ita à ſuis Sacerdotibus perſuaſi.

Ceterum vt nitidior in lucem prodiret hæc Hiſtoria, illam multis figuris affabre in æreas tabulas inciſis, illuſtraui, quas nemo æſtimet quantis meis impenſis, & quanto meo meorumque liberorum labore conſtiterint: nam ſingulæ figuræ multo plura continent, quam vllæ ſuperiorum. Adieci præterea Chorographiam non modo totius illius Regionis, ſed etiam vicinarum Prouinciarum ſumma diligentia concinnatam, vt Hiſtoriæ plus ornamenti & lucis accedat, & Lectores tanto facilius Regionis illius ſitum obſeruare poſſint.

Benigne ergo excipere dignabitur Ser^{ma} V. C. hanc BRASILIANAM *Hiſtoriã ipſius nomini conſecratam, perinde atque duas ſuperiores, & me meoſque apud ipſam clementer commendatos eſſe patietur.*

DEVS *opt. max. omni felicitatis genere proſequatur Ser^{mam} V. C.* Francofurti ad Mœnum *Kal. Martij,* MDXCII.

Ser^{mæ} V. C.

humilimus cliens

THEODORVS de BRY
Leodienſis.


WOLFGANGVS D.G. ARCHIEP. MOGVNT. S. ROM. IMP. PER GERM. ARCHICANCELLAR. ET ELECTOR. ZC
IVSTITIA
FRIDERICVS D.G. COMES PALAT. AD RHEN. BAVAR. DVX S. ROM. IMP. ARCHIDAPIFER ET ELECTOR ZC
PAX
VERITAS
ERNESTVS D.G. ARCHIEP. COLON. S. ROM. IMP. PER. ITAL. ARCHICANCELL. ET ELEC. CO. PAL. AD RHE. BAVI. DV. ZC
RVDOLPHVS II. D.G. EL. RO. IMP. SEMP. AVG. GERM. HVNG. BOHE. ZC. REX. ARCHID. AVSTR. DVX. BVRG. ZC. COMES TYROLIS. ZC.
CHRISTIANVS D.G. DVX SAXONIAE SAC. ROM. IMPERII ARCHIMARSCHALCVS ET ELECTOR ZC
PRVDENTIA
THEODORICVS D.G. ARCHIEP. TREVIRENS. S. ROM. IMP. PER. GALL. ET ARELAT. REG. ARCHICANCELL. ET ELECTOR ZC
VICTORIA
IOAN. GEORG. D.G. MARCHIO BRANDEBVRG SAC. ROM. IMP. ARCHICAMERARIVS ET ELECTOR ZC
FORTITVDO

THEODORVS de BRY LECTORI.

QVANDOQVIDEM, beneuole Lector, Diuino inſtinctu Primã & Secundam Americæ partem euulgaui, Deique beneficio hanc Hiſtoriam cum prioribus VIRGINIÆ & FLORIDÆ deſcriptionibus plurimam affinitatem habentem nactus ſum: mei officii eſſe putaui illam denuo in lucem dare, eiconibus tamen ad viuum expreſſis, & à me meiſque liberis in æs inciſis, non mediocriter illuſtratam, quemadmodum & ſuperiores, ad facilius demonſtrandum, quanta ſit in feris his hominibus diuerſitas, cum in moribus & vitæ ratione, tũ in corporis ornatu, ita vt nullo negotio (licet nudi incedant) dignoſci poſſint. Nam Virginiæ incolæ, gallinaceæ criſtæ inſtar capitis capillos præſcindunt, obſcœnaſque corporis partes tegunt viri & feminæ ab vmbilico aut ſupra, ad genua vſque. Floridenſes contra comam alunt, quam in nodum colligant, vt petaſum capiti impoſuiſſe videantur, verendaque tegunt, viri quidem cingulo è pelle ceruina confecto, feminæ vero arborum muſco? & differenter vtraque natio punctiunculis corpus pingit, vt obſeruare potuiſti in eorum Hiſtoria. At quos tibi nunc propono: vulſis crinibus caput nudant, occipite excepto, cuius capillos tondent monachorum modo, & ſine pudore omnino nudi incedunt viri & feminæ. Ipſorum Religio non minus differens eſt: Virginienſes enim Deũ eſſe credunt, qui omnia condidit, ſine vlla tamen eius notitia, niſi quod mortuorum reſurrectionem credunt: Floridenſes, aliũ Deum non agnoſcunt præter Solem & Lunam: Iſti autem in nullam rem credunt, ſed magnum rotundumque quendam fructum inſtar oui Struthiocameli (ita à ſuis Sacerdotibus perſuaſi) pro numine habent, tanta ignorantia premuntur miſeri iſti homines. Moribus præterea valde inter ſe differunt: nã Virginiæ incolæ placidi ſunt, ſimplices, & ad recipiendam veritatem proni: Floridenſes vafri & maligni, quique difficulter ad veræ Religionis cognitionẽ pertrahi poſſunt: Braſiliani adeo pertinaces ſunt, vt (licet à dæmonibus ſæpiſſime cædantur & torqueantur) nulla ratione ad fidem amplectendã induci queant: verum quidem eſt, ſubinde polliceri illam amplexuros, ſed ſtatim ad ingenium redeuntes, in tantum furorem euadunt, vt ſeſe mutuo vorare non vereantur, quemadmodũ ex huius Hiſtoriæ lectione deprehendes.

Hæc porro ſunt immenſa Dei opera, è quibus, qui communi iudicio non carent, ſi conſiderabunt quantum à Dei cognitione abſint miſeri iſti homines,

amplam

THEODORVS de BRY LECTORI.

QVANDOQVIDEM, beneuole Lector, Diuino inſtinctu Primã & Secundam Americæ partem euulgaui, Deique beneficio hanc Hiſtoriam cum prioribus VIRGINIÆ & FLORIDÆ deſcriptionibus plurimam affinitatem habentem nactus ſum: mei officii eſſe putaui illam denuo in lucem dare, eiconibus tamen ad viuum expreſſis, & à me meiſque liberis in æs inciſis, non mediocriter illuſtratam, quemadmodum & ſuperiores, ad facilius demonſtrandum, quanta ſit in feris his hominibus diuerſitas, cum in moribus & vitæ ratione, tũ in corporis ornatu, ita vt nullo negotio (licet nudi incedant) dignoſci poſſint. Nam Virginiæ incolæ, gallinaceæ criſtæ inſtar capitis capillos præſcindunt, obſcœnaſque corporis partes tegunt viri & feminæ ab vmbilico aut ſupra, ad genua vſque. Floridenſes contra comam alunt, quam in nodum colligant, vt petaſum capiti impoſuiſſe videantur, verendaque tegunt, viri quidem cingulo è pelle ceruina confecto, feminæ vero arborum muſco: & differenter vtraque natio punctiunculis corpus pingit, vt obſeruare potuiſti in eorum Hiſtoria. At quos tibi nunc propono: vulſis crinibus caput nudant, occipite excepto, cuius capillos tondent monachorum modo, & ſine pudore omnino nudi incedunt viri & feminæ. Ipſorum Religio non minus differens eſt: Virginienſes enim Deũ eſſe credunt, qui omnia condidit, ſine vlla tamen eius notitia, niſi quod mortuorum reſurrectionem credunt: Floridenſes, aliũ Deum non agnoſcunt præter Solem & Lunam: Iſti autem in nullam rem credunt, ſed magnum rotundumque quendam fructum inſtar oui Struthiocameli (ita à ſuis Sacerdotibus perſuaſi) pro numine habent, tanta ignorantia premuntur miſeri iſti homines. Moribus præterea valde inter ſe differunt: nã Virginiæ incolæ placidi ſunt, ſimplices, & ad recipiendam veritatem proni: Floridenſes vafri & maligni, quique difficulter ad veræ Religionis cognitionẽ pertrahi poſſunt: Braſiliani adeo pertinaces ſunt, vt (licet à dæmonibus ſæpiſſime cædantur & torqueantur) nulla ratione ad fidem amplectendã induci queant: verum quidem eſt, ſubinde polliceri illam amplexuros, ſed ſtatim ad ingenium redeuntes, in tantum furorem euadunt, vt ſeſe mutuo vorare non vereantur, quemadmodũ ex huius Hiſtoriæ lectione deprehendes.

Hæc porro ſunt immenſa Dei opera, è quibus, qui communi iudicio non carent, ſi conſiderabunt quantum à Dei cognitione abſint miſeri iſti homines, amplam

amplam inueniant materiam gratias illi agendi, ipſumq; celebrandi, quod diuina ſua prouidentia illis veram ſalutis viam patefecerit. Noſtrum igitur eſt, ô Chriſtiani, hæc diligenter perpendere, Deoq; gratias agere, pro ingenti miſericordia, qua erga nos vſus eſt, & cottidie adhuc vtitur. Cuius ſane exemplum inſigne apparuit in vtroq; noſtro Auctore, primo Germano, altero Gallo, qui, ob collocatam in Deum fidem, à tam variis mortis periculis ſunt liberati.

Quia vero prior, vt diximus, Germanus fuit, in cõmunis patriæ gratiam, Cæſareæ Maieſtatis, Sereniſſimorumq; Principum Electorum inſignia in æs incîdi, quæ huic Hiſtoriæ præfigerentur. Tuum igitur eſt, candide Lector, eo quo tibi offeruntur animo, hæc accipere, aliaque à me expectare maioris momenti, ſi Deus huius lucis vſuram diutius conceſſerit; quem rogo, vt omnia proſpera tibi largiatur, gratiamque Sancti ſui Spiritus communicet, quo perfectiore eius notitia adepta, gratias immortales illi agere queas.

EXEMPLAR CÆSAREI PRIVILEGII.

RUDOLPHUS II. *Diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Wirtembergæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis, nobis & Imperio dilectum Theodoricum de Bry, ciuem Francofurti ad Mœnum, humiliter nobis exponendum curaſſe, quod magna cura & magnis ſumptibus Incolarum Americæ habitus, ritus & mores in æneas tabulas inciderit, quod opus libenter in lucem emittere cuperet, demiſſe etiam ſupplicaſſe (quandoquidem nemini id aduerſum, ſed multis gratum futurum ſit, magniq; in eam rem ſumptus ſint ipſi faciendi) vt Cæſareo noſtro priuilegio eum munire clementer dignemur, ne cuiquam alteri, qui ſuum commodum cum ipſius ſummo detrimento quærit, æneas iſtas tabulas aut icones vel hoc opus imitari aut exprimere liceat. Nos illius humilibus precibus annuentes, ex certa noſtræ Cæſareæ Maieſtatis ſcientia & authoritate hanc gratiam & priuilegium prædicto Theodorico de Bry concedimus, vt prædictos typos & icones in lucem edat, & ne intra quadriennium ab huius operis editione ſupputandum, quiſpiam, quicunque tandem ille ſit, iſtas icones ad imitationem excudat, aut ſic impreſſas inuehat, importet, aut vendat. Quapropter inhibemus ſingulis noſtris & ſacri Imperij ſubditis & fidelibus, cuiuſcunque dignitatis, ſtatus & conditionis ſint, præſertim autem omnibus Typographis, bibliopolis, aliiſque librariam negociationem exercentibus, niſi noſtram indignationem & grauem pœnam incurrere velint; & vetamus, ne quis eorum, aut alius eorum nomine, prædictas æreas tabulas & icones, quas ſæpe memoratus Theodoricus de Bry excudet, intra dictum quadriennium ad imitationem imprimat, aut ſic impreſſas circumuehat, venales proponat aut quoquo modo diſtribuat, aliosve id facere permittat, ſub pœna noſtræ indignationis & amiſſionis ſingulorum exemplarium dictæ impreſſionis, quæ ſæpedictus Theodoricus de Bry, vbicumq; locorum nactus fuerit, per ſe, vel ſuos, propria authoritate & ſine impedimento ſibi vendicare, atq; illis pro ſuo arbitrio vti poterit, libere, & ſine detrimento.*


Debebit tamen ſæpe præfatus Theodoricus de Bry, niſi hac noſtra gratia & priuilegio priuari velit, tria præfatæ impreſſionis exemplaria propriis impenſis ad noſtram Imperialem Cancellariam tranſmittere. Harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum, & ſigilli noſtri impreſſione munitarum, Datum in noſtra Regia arce Pragæ, vigeſima quarta Martij, Anno Domini Milleſimo quingenteſimo & nonageſimo, Regnorum noſtrorum Romani decimoquinto, Hungarici decimooctauo, & Bohemici etiam decimoquinto.

Rudolphus.

Ad mandatum ſacræ Cæſ. Maieſt. proprium.

Iacob Kurz von Senfftenau.

A. Erſtenberger.



RPJCB


Chorographia nobilis & opulentæ Peruanæ Provinciæ, atque Braſiliæ, quas à decimo ad quintum & quinquageſimum ferè gradum ultra Aequatorem in longitudinem patere, diligenti obſervatione deprehenſum eſt: ex Auctorum, qui eas Provincias perluſtrarunt, ſcriptis recens à Theodoro de Bry concinnata.
Cæſareæ Ma^tis privilegio ad quadriennium.
M D XCII.
LA FLORIDA
Golfo Mexicano
HISPANIA NOVA
MECHOACAN
MEXICO
IVCATAN
Circulus Aequinoctialis
MAR DEL ZUR
PERV PROVINCIA
Chili.
PARANA
MARE Magellanicum ſiue pacificū
Archipelago minore
GIGANTVM REGIO
Eſtrecho de Magellanes
Terra del fuego


AMERICAE PARS MAGIS COGNITA
Hæc maris pars plena eſt Inſulis ſcopulis, breuibus et puluinis valde inſidioſis.
Tropicus Cancri
SEPTENTRIO
OCCIDENS
ORIENS
MERIDIES
MAR
DEL
NORT
Yocajouque ſiue maior
Lucaya.
Bahata.
Zagareo.
Anegada.
Angilla.
Baruada.
Antigua.
Deseada.
Marigalente
Dominica.
Matimno.
S.Vincenta.
Barbados.
Laquillo
S.Lucia.
Tortuga.
Margarita
Granada
Cubaca
y.de S.B.
Solis
S.Paulo.
P.de galea
Aoripana.
Monte eſpeco.
Ancon.
Auiapari
R.de S.Vincente Pincon.
Paria.
CARIBANA.
Aldea de arpoled.
TISNADA
PAGVANA
Marannon flu.
Paguan a prouincia.
Prouincia de Omagua
Picora.
Pro de los picoras.
R.Grande.
Oratamban.
Maragnon flu.
AMAZONES
Humos.
Orellana.
R.Aoripana.
Trinitatis me. tallifera.
C.Negro.
Aguada
R.de S.Domingo.
Ba.de conceica
Porto Securo
C.de S.Augustino.
Baia de todos Sanctos.
Monte paſcual
Portus reales.
Porto Real ad quem Galli mercatum nauigant.
BRESILIA
R.de reges.
Portus S.Luciæ.
D.todolos ſancros
R.de Ienero
Sinus S.Georgij
R.S.Elena.
C.da brolho.
C.de baxos
R.das peſcarias
Aſcenſion.
Latrinidad.
Baxos d'Abre ojo.
S.Maria.
B.d.Saluador
Tropicus Capricorni.
Quitaaieno
y.de Fernando de Loronno.
Baia fermoſo.
Ba.de S.Dominico.
Chicara.
Para guate.
R.de Teroucion.
R.de Peti.
R.Parana.
Aſumption.
S.Anna.
Mepenes.
Ningatas P.
Camechingones.
Ningatas.
R.de Xanaes.
R.de Carcarae
S.Eſpirito.
R.de laplata.
R.Carcarana.
R.d.Caramagno.
El grand Rio de parana.
ACVTIA
Rio de Lepe.
P.d.S.Vincēti.
C.Frio.
Ponta groſſa.
Baia Real.
Ponta do buen abrigo.
Poſo Inſ.
y.S.Catelina.
Tibiquiri.
Promontorium duo virginis Pieralidades.
y.de aque.
Hic repertus fluuius aquæ dulcis in quo ſite ſunt 7 gemmarum inſulæ.
B.das correntes
C.S.Maria.
C.blanco
P.de S.Helena.
Baia de baxos anegados.
Palmares.
OCEANUS AETHIOPICUS
CHICA
R.d.S.Mathia
Terra baxa.
Baia ſin fundo.
Baretas blancas.
Tres puntas.
Patagones
B.d.S.Mathia
B.de Caballos
C.d.3.puntas
C.d.S.Domigo
Arrecifes d lobos.
C.delle ſollette.
C.de crepuſculo.
Ex Geograph: calculo tres gradus conficiunt lxxx.leucas gallicas, ſive ccxl. miliaria italica: ſinguli ergo gradus fere xxvii leue gal. præciſe verò lxxx. mil. ital. comprehendunt.
320
330
340
350
360
40
30
20
10
10
20
30
40
50

RPJCB

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO PHILIPPO LANDGRAVIO HASSIÆ, COMITI CATTIMELIbocenſi, Dietzij, Zigenhanij & Niddæ, &c. Domino & Principi ſuo clementiſſ.

ILLVSTRISSIME ac clementiſſime Princeps, Regius ille Propheta Dauid in Pſalmo ſuo CVIII. magnifice in hæc verba canit:

Qui deſcenderunt mare in nauibus, perficientes negociationem in aquis multis.

Ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo:

Dixit, & ſtetit Spiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus eius:

Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat.

Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius; & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.

Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſſitatibus eorum eduxit eos:

Et ſtatuit procellam eius in auram, & ſiluerunt fluctus eius:

Et lætati ſunt, quia ſiluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum.

Et exaltent eum in eccleſia plebis, & in cathedra ſeniorum laudent eum.

Pares & me referre gratias Deo, Conditori omnipotenti cæleſtium & terreſtrium omnium, & eorum quæcunque mare vaſtum ingenti complectitur alueo: pares quoque filio eius Ieſu Chriſto, & Spiritui Paracleto grates agere me, æquum eſt, pro inexhauſta illa miſericordia, quæ in me præter omnem humani ingenij captum collata fuit, dum immaniſſima nouem menſium captiuitate preſſus, in ſummo verſarer vitæ diſcrimine, & virtute Sacroſanctæ

Trinitatis multa grauiſſima mala & pericula ſuperans, vitam inter homines traherem ferociſſimos, in regione Braſilienſium, cuius incolæ ſunt Tuppin Imbæ, genus in homines ipſos crudeliſſimum, & ἀνθρωποφάγον.

Nec vero me quiſquam ingratum, & huius beneficij vnquam arguet immemorem, quod videlicet poſt diuturna & varia hæc exantlata pericula, tuæ ditioni, Princeps clementiſſime, & patriæ meæ longe chariſſimæ tandem ſim redditus ſoſpes & incolumis. Hos itaque itineris mei ſiue nauigationis labores humillime Illuſtriſſimæ V.C. expoſitos volui: quos in compendium redegi, vt Ill. V. C. tempore ſibi maxime opportuno ex eorum lectione intelligat, quænam maria circumuectus, in quas terras delatus, & quę dictu audituque miranda, diuina gratia aſpirante, expertus ſim. Ne vero Illma V. C. de meæ narrationis fide dubitet, meas ſalui conductus, vt vocant, litteras (quæ huic narrationi multum lucis adferre poſſunt) eidem Ill^{mæ} V. C. ipſemet offerre decreui. Soli DEO gloria. Datum Wolfhagij 20. die Iunij, Anno Domini 1556.

Ill^{mæ} V. C.

humillimus ſubditus,

Ioannes Stadius Hombergenſis Heſſus, ciuis modo Wolfhagij.

GENEROSO DOMINO, DOMINO PHILIPPO, COMITI NASSAVIÆ ET SARBRVCK, DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

S. P. D. Ioannes Dryander.

INSTITIT apud me honeſtus & egregius vir Ioannes Stadius, auctor huius operis, ſiue Hiſtoriolæ ſuæ recens publicandæ, vt eam, antequam in manus Lectoris veniret, cenſuræ meæ ſubmitterem, tum reuidendo eam, tum corrigendo, & ſicubi opus foret, etiam reformando & reſtituendo. Huic petitioni multis ſane de cauſis locum dedi. Quarum vti prima, ita præcipua eſt hæc, quod pater huius auctoris iam circiter annos quinquaginta mihi familiariter notus fuerit: eſt enim is popularis meus, ſiquidem vterque noſtrum VVeteras, oppidum Haſſiæ, patriam & nutricem noſtram agnoſcimus. Illum vero ego non tantum VVetteris in patria, ſed & Hombergæ Heſſorum (qua ciuitate nunc donatus eſt) ſemper virum bonum, honeſtum, & egregium ciuem cognoui, qui mediocriter etiam in literis humanioribus verſatus ſit. Quod itaque venuſtiſſime & grauiſſime Poeta canit:

Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam,

non temere & hunc Ioannem noſtrum Stadium, laudati patris filium, virtute & pietate parentis veſtigiis inſiſtere iudicabimus.

Deinde & hunc cenſuræ laborem animo alacriore & promptiore ſubeo, quod plurimum delecter Hiſtoriis, quæ cum Mathematicis diſciplinis aliquid commune habent, qualia quidem Coſmographica exercitia cenſeri debent, quæ delineationem & dimenſionem regionum, terrarum & vrbium, locorumque diſtantias multifariam proponunt, vt in hoc opuſculo nō pauca eiuſmodi leguntur. Magis autem afficior hoc argumenti genere, ſi candorem hiſtoriæ, & fidem relationis deprehendo; quemadmodum de hoc noſtro Stadio minime dubitare velim, quin Hiſtoriam ſuam, & profectionem minime aliorum relatu, ſed ſua ipſius experientia comprobatam, bona fide, ſincere & ingenue proferat, abſque omni fuco; ſiquidem eam animo nec ambitioſo, nec gloriæ alicuius auido, ſed in gratam ſaltem commemorationem beneficiorum ſuæ redemptionis, & in honorem diuinæ maieſtatis conſcribat, & in lucem edat; vt palam fiat, quam præter omnem ſpem & exſpectationem, ſolius Dei beneficio ac nutu liberatus, & in Haſſiam patriam ſuam chariſſimam, incolumis reductus ſit, ex tyrannide crudeliſſimorum hominum, inter quos nouem menſes vitam

miſerrime traduxerat, ſingulis momentis atrociſſimam mortem exſpectans, & ſe deuoratum iri exiſtimans.

Hæc reputans, & vt animum DEO gratum pro ineffabili miſericordia, beneficiorumque memorem declararet, hiſtoriam ſuam in teſtimonium diuinæ celebrationis publice proſtare voluit. Sed dum honeſtum hoc inſtitutum in effectum deducere cogitat, ordo poſtulat, vt ſeriem actorum & peregrinationis nouem annorum, quibus à patria abfuit, conſequenter obſeruet.

Accedit etiam hoc ad fidem huius hiſtoriæ aſſerendam, quod ſtilo adeo humili & ſimplici, nec vllis verborum phaleris ſiue ampullis, vel argumentorum argutia & apparatu vllo vtatur. Quod ſi vtique falſa pro veris reponeret, quid quæſo commodi illum ſperare inde credas?

Incolunt ſedem fixam & ſtabilem in his oris, tam auctor ipſe quam ipſius parentes; nec agyrtarum aut circulatorum more circum oppida & regiones oberrat: vnde ſi vim veritati inferret, nullo negotio à viris peregrinantibus, quibus res ea aliter perſpecta eſſet, conueniri, & mendacii conuinci poſſet.

Nitor autem maxime ſequenti argumento, quo veritatem huius relationis aſſerere non dubito, quod tam accurate circumſtantias deſcribat, locum, tempus, &c. in quo ingenioſiſſimi & celebratiſſimi Poetæ, Eobani Heſſi filius, Heliodorus nomine (quem iam longo tempore inter peregrinos abeſſe norunt omnes, nec fere noſtri in viuis ſupereſſe crediderunt) ſecum conuerſatus fuerit in exteris illis mundi partibus, & is præſens ſpectarit, quam miſere in manus ferocium iſtorum inciderit, adeoque abreptus ſit. Quod ſi Heliodorus hic ſerius ocyus, quod precamur, in patriam reuertatur, & narrationem hanc fabuloſam comperiat, certe futilem hunc virum arguere, illumque infamem reddere non immerito poſſet.

Sed hæc hactenus in fidem certitudinis pro auctore noſtro adducta ſint. Nunc cauſas breuiter explicabo, quî fiat, quod eiuſmodi narrationibus fides adeo derogetur.

Principio id fit propter abſurda & impudentiſſima vaniſſimorum hominum erronum mendacia: nam cum illi præter nugas nihil proferant, in cauſa ſunt, vt viris fide dignis, qui peregrina loca perluſtrarunt, ſimul fides abrogetur. Hinc vulgo obiicitur: quandoquidem fidem nemo in iis tantopere expetat, vt eam propria experientia vel oculari obſeruatione probatam velit.

Hæc vero ad rem ipſam nihil omnino faciunt, ſiquidem iniquiſſimum erit, vt veritas pro mendacio luat. Quare hoc potius conſiderandum, plurima eſſe vulgo quidem incredibilia, quæ intelligentibus tamen certiſſima & probatiſſima eſſe demonſtrantur.

Eam rem vno atque altero exemplo ex Aſtronomia petito declarabo. Qui habitamus Germaniæ ſuperficiem, vſu edocti callemus, quo anni ſpatio æſtas ferueat, quo hyems rigeat, & quæ reliquorum vices ſint. Nouimus item ſolſtitiorum metas & dimenſiones in noſtro horizonte. Si vero auditum fuerit eſſe in orbe loca, in quibus Sol per ſemeſtre non occidat, ita vt dies longiſſimus apud illos orbis incolas ſex menſibus continuetur (quod ſimiliter de bru-

mæ

mæ tempore accipi debet) item aliquibus in locis quatuor anni tempora duplicata recurrere vno eodemq; anno, ita vt hyems illic certo bis redeat, & æſtas ſimiliter ſecundo reuoluatur, &c. item ſolem & reliquas ſtellas, licet minutiſſimę humanis oculis appareant, orbem tamen terrarum mole ſua longe ſuperare, atque alia eiuſmodi complura: hæc ſi vulgus audit, riſu excipit, contemnit, & impoſſibilia cenſet.

Sed hæc naturaliter ſe ita habere à Mathematicis adeo luculenter demonſtratum eſt, vt nemo artis vel mediocriter peritus de iis ambigat.

Proinde non neceſſario infertur, quod quæ vulgo fabuloſa creduntur, re vera falſa eſſe deprehendantur.

Peſſime ſane cum Aſtronomiæ ſtudio ageretur, niſi demonſtrationes corporum cœleſtium edocere, & ex certis fundamentis Ecclipſes eorum multis ante ſeculis exacte prædicere noſſet; quæ deinceps per ipſam experientiam liquido comprobantur. Sed audi caluam ignorantiæ excuſationem. Quis cœlum (inquiunt) ita digito attigit, & tam præciſe ea delineauit? His reſpondetur, quoniam experientia quotidiana demonſtrationibus correſpondet, tam hæc vera eſſe neceſſe eſt, quam quod tria & duo iuncta quinque efficere notorium ſit. Ex iiſdem etiam artis fundamentis certa iniri poteſt ſupputatio, quanta ſit hinc ad Lunarem globum diſtantia, & inde ad reliquos Planetas, poſtremo ad ipſum vſque firmamentum: quanta etiam Solis & reliquorum cœleſtium corporum ſit amplitudo, tum collatione proportionali facta Aſtronomiæ cum Geometria, præciſe elicimus terreni globi quantitatem, ſecundum omnes ſuas dimenſiones. Quæ ſane omnia vulgo abſcondita ſunt, & tanquam abſurda æſtimantur.

Hæc vero licet ſupina ignorantia, rudi forſan plebeculæ facile condonari poſſet, vt quæ non admodum de Philoſophicis ſtudiis ſollicita ſit: ſed quod viri auctoritate graues, & in liberalibus diſciplinis non mediocriter verſati, hunc errorem tuentur; illud profecto non minus noxium & damnoſum, quam abſurdum eſt & ridiculum, ſiquidem vulgus imperitum illorum auctoritate nititur, &, his ignorantiæ tam craſſæ patrocinantibus, non veretur veritatem hiſce & ſimilibus argumentis confidenter ac palam oppugnare, ad eum modum inferens; quod ſi hæc ſe ita haberent, non confutata eſſet opinio à tantæ auctoritatis hominibus: ſequitur ergo, &c. Diuus Auguſtinus & Lactantius Firmianus, vterque ſanctitate & doctrina inſignes, & in artibus liberalibus viri probe exercitati, in dubium vocant, & negant poſſe fieri, vt Antipodes in orbe reperiantur, hoc eſt, eſſe quoſdam homines, qui in altera orbis parte nobis aduerſa habitent, & ex oppoſito verſis contra nos pedibus inambulent, capite & reliquo corpore deorſum verſus cœlum vergente, nec tamen de ſtatione decidant. Auribus quidem hæc inſueta ſunt; nihilominus tamen doctis ea probantur, & re vera ita ſe habent, quantumuis id viri tam ſancti, tamq; eruditi, quos modo citaui, impugnent. Neceſſario enim & indubitato ſequitur, eos qui ex diametro per centrum terræ habitent eſſe Antipodas. Vera item eſt propoſitio. *Omne verſus cœlum vergens vbicunque locorum ſurſum eſt.* Nec opus habemus, vt in orbe inferiore Antipodas quæramus, ſiquidem & in hac ſuperficie ſuperiore præſto ſunt.

Si enim extremas occidentis oras, hoc eſt, Hiſpaniam opponas finibus orientis in India, videbis hos vtrinque extremos hominum, quandam Antipodum rationem habere.

Hinc aliqui ex Theologis colligunt, petitionem matris filiorum Zebedæi ratam eſſe factam, quæ CHRISTVM rogabat, vt alter filiorum ad dextram, alter ad ſiniſtram eius ſederet. Diui enim Iacobi Apoſtoli in Compoſtella non procul à Celtico ſiue Nerio Promontorio, quod vulgo Capo de finis terræ dicitur, ſepulchrale monumentum extare, & magna in veneratione haberi: alterum in India, hoc eſt, in Oriente, ſepultum conquieſcere.

Et hoc pacto eiuſmodi Antipodes iam ante multa ſecula in noſtro hemiſphærio extiterunt. Nec obſtat, quod America ſiue nouus ille orbis, qui ex diametro in inferiori parte terræ nobis oppoſitus eſt, tempore Auguſtini nondum cognitus fuerit: poſſunt enim eo quo dixi modo & alii demonſtrari. Quidam Theologorum, præcipue vero Nicolaus Lyra, qui alias vir excellens eſt, contendunt globum terræ ita aquæ innatare, vt alterum hemiſphærium, quod à nobis inhabitatur, ſupra aquam ſeſe exerat, alterum vero demerſum in aquis ſubſidat, & ob id nullo modo habitari poſſit.

Hæc omnia cum Coſmographiæ demonſtrationibus aperte pugnant, & à frequentibus Hiſpanorum & Luſitanorum nauigationibus ſecus multo eſſe compertum eſt, orbem videlicet terrarum ab omni parte habitabilem eſſe, imo ſub Zona etiam torrida coli; cui tamen paradoxo veteres vno ore reclamarunt. Aromata, quæ nobis quotidiano in vſu, ſaccharum, vniones & eiuſmodi mercimonia ad nos ex illis regionibus aduecta, manifeſte ea omnia conuincunt. Multa ſunt & alia, quæ huic meæ ſententiæ ſuffragantur, quibus recenſendis modo ſuperſedeo, ne Epiſtola hac verboſiore nauſeam & tædium generoſæ tuę Clementiæ conciliem.

Sufficiant ergo duo illa paradoxa huic inſtituto, quorum alterum de Antipodibus, alterum de dimenſione corporum cœleſtium tractat, quæ non ſine cauſa hoc loco explicanda mihi propoſui.

Et legentur eiuſmodi complura in libro *Reuerendi & Clariſſimi viri Caſpari Goltvvurms G. V. C.* Superintendentis vigilantiſſimi in VVeilpurga: is in ſex tomos diſtinctus, varia miraculorum & prodigiorum genera, cum Paradoxis inſolentibus, qualia præteritis ſeculis, & hac etiam noſtra ætate obſeruata ſunt, explicabit, & breui lucem videbit. Ad hunc ergo miraculorum Theſaurum, & alios eiuſdem argumenti libros, quales ſunt *Galeotti ſcripta De rebus vulgo incredibilibus*, lectorem remitto, vnde vberiorem horum cognitionem petere poterit.

Satis itaq; ſuperq; demonſtratũ eſſe arbitror, veritatẽ rei nõ ex vulgi iudicio pendere, qualis quidẽ hæc eſt Hiſtoria, quæ homines eius regionis plane nudos commemorat, qui nec iumenta alunt, nec alia vitæ neceſſaria comparant, quibus nos in humanos vſus abundamus, vtpote veſtimentis, lectis plumeis, equis, porcis, bubus, imo nec vino illi, nec cereuiſia, ſed ſuo more vitã vtcunque ſuſtentant.

Nunc ergo Præfationem ad vmblicum deducturus, perſtringam prius cauſas, quibus auctor ad editionem vtriuſq; ſui Itinerarii ſiue Nauigationis impulſus

ſus

ſus fuit. Multi enim ſiniſtre hoc factum interpretabuntur, non aliter ac ſi inanem nominis inde gloriam venetur. Ego vero multo ſecius ex ipſo auctore intellexi, & animum eius longe diuerſum eſſe deprehēdi, quod paſſim per totam Hiſtoriam videre eſt. Is enim propter tot exhauſta pericula, totque aduerſitates, & labores exantlatos, cum maximo ſæpe vitę diſcrimine, vnde nec fumum, quod dicitur, de patriis laribus, nec vllam libertatis ſpem ne ſomniare quidem potuiſſet: diuinæ tamen Maieſtatis nutu atque numine, cui ſoli ſe precibus ardentiſſimis ſemper commendabat, non ſolum hoſtium immanitatem effugit, ſed precibus ſuis tantum apud Deum valuit, vt non vno modo Deus ſe inter infideles hoſce & Barbaros patefecerit, ſe verum & æternum numen omnipotentia & maieſtate ſua etiam nunc ſuis præſto eſſe. Satis conſtat, preces fidelium Deo nullo modo præſcribere: ſin Deo viſum fuit, omnipotentiam ſuam per Ioannem hunc Stadium inter homines illos efferos & indomitos ad eam rationem exerere, quis refragabitur? Cui non abunde animaduerſum eſt, ærumnas, tribulationes, fortunam aduerſam, animiq; & corporis ægritudines, quam maxime homines ad diuinum auxilium implorandos adducere? & longe ardentioribus votis in ipſo diſcriminis articulo, quam extra periculi aleam poſitos, DEVM expoſcere? Itaque ne hic Ioannes Stadius vllo ingratitudinis vitio laborare, neve tantorum beneficiorum immemor eſſe putetur, Deo opt. max. per hanc hiſtoriæ ſuæ commemorationem, & eiuſdem publicationem gratias agere, animoque homine Chriſtiano digno, opera & mirabilia Dei, quæ ipſi contigerunt, publica eſſe, & in ore populi decantari voluit. Et niſi ad hunc ſcopum tam laudabilem tamq; honeſtum reſpexiſſet, à laboribus & impenſis, quæ non leues in editionis huius adornationem, ob iconum apparatum, & ſumptus typographicos factæ ſunt, à curis item moleſtiiſque abſtinere potuiſſet.

Licet vero Hiſtoria hæc per auctorem ipſum humiliter dedicata ſit Illuſtriſſimo Principi ac Domino, Domino Philippo Landgrauio Haſſiæ, Comiti Cattimelibocenſi, Dietzij, Zigenhanij & Niddæ, &c. Principi ac Domino ſuo Clementiſſimo, in cuius ditione viuit: multo tamen ante tempore ab eodem Principe & Domino noſtro Clementiſſ. tum in mea ipſius tum in aliorū multorum præſentia, Ioannes Stadius ſuper ea accurate interrogatus, & de ſingulis itineris & captiuitatis ſuæ articulis ſpecialiter, probe & diligenter, examinatus fuit: quod ipſum iam pridem tum G. T. Cel. tum aliis viris heroicis abunde aliquoties commemoraui: nihilominus tamen cum dudum obſeruauerim, G. T. C. ſingulari ſtudio ac beneuolentia proſequi hæc Aſtronomiæ & Coſmographiæ exercitia, hanc meam Præfationem ipſius nomini conſecrare, & officioſe dedicare volui. Quod Generoſitas tua pro ſua clementia tantiſper boni conſulat, donec maius aliquod opus ſub eiuſdem nominis tui celebritate in lucem proferam. Hiſce ergo me ſimul, meaque G. T. Cel. officioſe offero. Datum Marpurgi, feriis D. Thomæ Apoſtoli, Anno 1556.

ARGVMENTVM TOTIVS NARRATIONIS.

I.

Summatim deſcribuntur duo itineraria naualia, quæ confecit Ioannes Stadius intra nouennium.

Primum ex Portugallia in Braſiliam inſtituitur.

II.

Secundum ex Hiſpania, in noui orbis Americæ Prouinciam, Rio de Plata, *ſuſcipitur.*

III.

Sclopetarii vicem obit Joannes Stadius, & arci ab incurſu hoſtili defendendæ præficitur, in Braſiliæ quadam parte cuius incolæ Tuppin Jkinſii ſunt, & Luſitaniæ Regi ſubeſt.

IV.

Capitur ab hoſtibus Barbaris & miſere abripitur, vbi nouem menſium captiuitatem ſuſtinet, non niſi in cruentam hoſtibus eſcam reſeruatus.

V.

Liberatur tandem miraculo potius diuinæ Maieſtatis, quam vllo vel rationis vel humanitatis beneficio, & incolumis patriæ ſuæ dilectæ redditur.

Jpſe DEVS vigili niſi muniat oppida cura,
Proficiet vigilum prouida cura nihil:
Et Deus in medio niſi dirigat æquore claſſem,
Vana gubernantum ſollicitudo perit.

ARGV-

ARGVMENTVM.

Primæ partis Hiſtoriæ Braſilianæ Ioannis Stadij Heſſi, in qua ſummatim deſcribuntur eius duo itinera, quæ confecit intra nouennium. Horum primum è Luſitania in Braſiliam inſtituitur.

CAPVT I.

Primum iter Nauale Joannis Stadij, factum ex Vlyßibona Portugalliæ in Braſiliam, Jndiæ Orientalis, ſiue Americæ Prouinciam.



IOANNES ego cognomento Stadius, patria Hombergenſis, natione Heſſus, Indiam pe lustrare in animo meo propoſueram. Bremā itaque Weſtphaliæ oppidum tranſiens, Hollandiam petii, eò delatus, offendi in vrbe Campenſi naves, quæ ſalis inuehendi cauſa in Portugalliam nauigabant: iis ego me ſocium adiungo, & menſem integrum continuando, ad tertium kal. Maij Anni 1547. appello, ad vrbem Setubal dictam: Hinc emenſis quinq; milliaribus veni Vlyſſibonam. Iſtic aliquandiu commoratus, hoſpiti meo, viro ex Germania oriundo, propoſitum meum expono, ex quo cum intelligo claſſem regiā iam ante aduentum meum ſoluiſſe, rogo, vt ad aliam me claſſem promoueat, vtpote cui idioma eius gentis familiare foret. Eius ope nauem conſcendo, in qua ſclopetarii vicem obirem. Capitaneus eius claſſis, qui Pintiadus erat nomine, negotiationis ergo Braſiliā petebat: illi poteſtas à Regia Maieſtate naues, quas in Barbaria cum infidelibus commercia inſtituentes, & quæcunque Gallorum nauigia cū Braſilienſibus contrahentia offendiſſet, hoſtiliter adoriendi, atque deprædandi facta erat: adhæc captiuos ſecum ducebat quoſdam Regios, qui capitis damnati, ad colonias in nouas illas prouincias deducendas deportandi reſeruabātur. Claſſis noſtra erat inſtructiſſima, ab omni apparatu bellico, qui in naualibus vſui eſſe ſolet. Tres autem omnino erant Germani inter ceteros in naui noſtra, Ioannes videlicet Brachuſius, Henricus Brandt Bremenſis, & Ioannes ego Stadius.

CAP.

Capvt II.

De ijs quæ acciderunt circa primam nauigationem.



SOluimus Vlyſſibona, & naui alia minore adiuncta, quæ ſub eodem noſtro erat Capitaneo, deferimur primum ad Inſulam, cui Madera cognomen: hæc Portugalliæ Regem agnoſcit, & à Luſitanis incolitur, vini & ſacchari fertilis: prope oppidum huius Inſulæ quod Funtſchallū dicunt, nauim noſtram commeatu denuo inſtruximus. Hinc in Barbariam ad vrbem Capo de Gel, (quæ nunc Mauritanorum cuidā Regi Scheriff dicto paret, Regi Portugalliæ ab eodem vi erepta) prouecti, in ſpē erigebamur, fore, vt iſtic in naues cum infidelibus contrahentes incideremus: offendentes autem quandam piſcatorū Caſtilienſiū multitudinem certiores reddimur naues quaſdam apud eam vrbem eſſe. Dū aduehimur vela ex portu facit quædam probe onuſta, ea nos potimur vi, ſed quos vehebat homines, ſcapham ingreſſi, ſibi fuga conſuluerant. Interea vacuam lintrem peropportune in littore conſpicimus, quā naui captæ pro præda deportanda, quæ ex ſaccharo, amygdalis, dactylis, corio caprino, & gummi Arabico conſtabat, jungimus. Mauritani in magna copia pro lintre defendenda equis aduolabant, ſed re infecta tormētis noſtris bellicis repulſi ſunt. Hac præda potiti repetimus Inſulam de Madera, celocem noſtrā verſus Vlyſſibonam præmittentes, nunciatū Regi factum, & ſimul quid de præda nobis facto opus ſit, conſultum. Valentinorum enim & Caſtilianorum mercatorum erant eæ merces, quas in poteſtatem redegeramus.

Rex vt relicta in ea Inſula præda, iter noſtrum proſequamur, mandat, donec interea temporis Maieſtas ſua de circumſtantijs penitius edoceatur. Nos dicto audientes & iter verſus Cape de Gelremenſi, ſed aduerſo vento luctantes, incaſſum prædam vlterius proſequimur.

Nocte Kal. Nou. præcedente, impetuoſo turbine acti Barbaria relicta Braſiliam cōtendimus: cum nunc quadringentis milliaribus à Barbaria in altum prouecti eſſemus, multi piſces ad noſtrum nauigium adnatarunt, quorum pleroſque hamis cepimus, nautæ maiores eorum Albakore dicunt, minores Bonitte, alios vero Dorado. Aderat & aliud piſcium genus, Halecis inſtar, ſed vtrinque alatum more veſpertilionis, hiſce reliqui maiores piſcium admodum infeſti erant: proinde ſimul ac à tergo ſibi inſtantes hoſtes animaduertiſſent, ſupra mare ad duas orgyias eleuati, alij ſupra ſummam aquam tantum, cateruatim volabant, & intra conſpectum noſtrum vndas repetebant, non raro per noctem in naues delapſos offendimus. Hi Portugallenſium lingua vocantur Piſce Bolador hoc eſt, Piſcis volans.

Albakore. Bonitte. Dorado.

Piſce Bolador.

Deinde ad altitudinem liniæ æquinoctialis peruenimus, quæ quia circa tempus diei meridionale nobis verticalis erat, æſtū duplicabat. Venti per dies aliquot plane ſiluerunt, niſi quod noctu interdū tonitrua imbribus & vento permixta ſubito exoriebantur, rēpente etiam ſedabantur: quos attente admodum obſeruare neceſſe erat, ne nos ſub velis latentes improuiſo obruerent.

Exoriens autē denuo ventus, tēpeſtatem nobis aduerſam p aliquot

dies

dies excitauit, quæ metũ nobis attulit (ſi diu ꝑſiſteret) ne fame periclitaremur. Propterea Deũ orare cœpimus vt ſecundũ ventum nobis immitteret. Sed ecce, dum impetuoſiores ventorũ procellæ quadã nocte irruerent, & multũ laboraremus apparuerunt nobis in naui multæ flammulæ coloris cærulei, quales à me prius viſas non memineram: in ipſa autem prora, qua fluctus maxime æſtuabant, conſpiciebantur. Portugallenſes omen hoc fauſtum agnoſcentes, & cælum ſerenum prædicentes (nec enim ſine numine in ſummo diſcrimine ea apparere aiebant) Deo gratias egerunt; precibus exactis ſimul illa luminaria, quæ Santelmo, ſiue Corpora ſancta vocant, diſparuerunt. *Santelmo. Corpora ſancta.*

Poſtquam illuxiſſet, ſerena ſe cæli facies explicauit, ventique ſecundi aſpirarunt, ita vt manifeſte videremus, eiuſmodi lumina admirandum Dei opus eſſe. Secundo igitur vento delati, ad 82. Ianuarij in conſpectum nobis venit terræ quidã angulus, Capo de Sanct Auguſtin vocatus, vnde ad octo milliaria progreſſi portũ Fernanbuco intrauimus, octuaginta octo dies inter fluctus continue verſati. *Promontoriũ S. Auguſt.*

Portugallenſes eo in loco oppidulum extruxerant, cui Marino nomen indiderant. Pręerat hiſce Artus Coellius, cui captiuos aduectos cum mercibus quibuſdam aliis tradidimus, & illic nos expedientes, iam vlteriũs vela tendere conſtituimus, ad locum videlicet, in quo naues mercibus inſtruere animus erat. *Marinum.*

Capvt III.

Silueſtres in Fernanbuco, ſeditione orta, ad quoddam Portugallenſium oppidum deuaſtandum accinguntur.

Garaſu.

Accidit interea, vt ſilueſtres incolæ eius loci contra Luſitanos inſurgerent, cuius ſeditionis ipſi Luſitani auctores erant: nam ante hac nihil eiuſmodi in ipſos tentatum fuerat. Præfectus itaque nos precibus ſuis ſollicitauit, vt oppidum Garaſu (quod à Marino milliaria circiter quinque abeſt, & à Barbaris tum oppugnabatur) præſidio noſtro defenderemus. Incolæ Mariniani nihil ſuppetiarũ vicinis ſuis afferre poterant, ſiquidem & ipſi ſimilem obſidionem metuebant. Nos itaque Garaſuanis cum 40. viris ex noſtris hominibus in defenſionem conceſſis, & ſcapha eò legatis ſubuenimus. Oppidũ illud in ſinu maris, quod ad duo milliaria in continentem protendebatur, erat cõditum. Omne in eo præſidium, ex 90. viris Chriſtianis, & 30. Æthiopibus ac mancipiis Braſilienſibus conſtabat. Qui vero nos oppugnatum venerant, ad octo millia barbarorum cenſebantur. Nos qui obſidebamur nullo alio propugnaculo, præterquam ſepe ex perticis erectis contexta cirumuallabamur.

Cap. IV.

De modo obſidendi, & obſeſſos oppugnandi.



Sylua obſeſſum cingebat oppidum, in ea hoſtes duas muni-
tiones è truncis arborum cõſtruxerant, in quas noctu ſe re-
ciperent, ſi forte eruptione facta illos adoriri nobis libitũ
fuiſſet. Oppidũ ipſum circumquaque latibulis effoſſis oc-
cupauerant, in illis latitabant interdiu, & incurſionibus in
nos pugnabant. Petiti telis noſtris, proni ad terram omnes
proſternebantur, ſi qua teli jactum ad eum modum declinare valerent.
Omnẽ autẽ aditũ nobis intercludentes ad ipſa mœnia appropinquabant
& miſſis in altũ jaculis relapſu eorũ nos feriendos putabant. Tela inſuper
bombace & cera religata atque incenſa in ædificiorum tecta ſpargebant,
minis nos territantes, & quam crudeliter nos dentibus dilaniaturi forent,
ſi victoria potirentur, ſignificantes.

Dum hæc geruntur, victus in caſtris noſtris fere jam defecerat. nam
pro conſuetudine eius regionis ſingulis diebus, aut ad ſummũ alternis
radices recenter effodiunt, ex quibus farinam molunt, ac liba pinſunt, ſed
hoſtes vias omnes præcluſerant, quo minus illæ peti poſſent. Videntes
ergo victus penuriam. duas ſcaphas ad conquirendam in vico Tamaraka
annonam inſtruimus. Hoſtes gregatim vtrinque ripas tenentes grandes
arbores tranſuerſas flumini obiecerant quæ nobis progreſſis impedimen-
to eſſent. Nos vi illorum molimina perrumpimus. Interea æſtu nos de-
ferente in ſicco hæſimus, nihil tamen ab hoſtibus detrimenti afferri pote-
rat. Ipſi autem ligna arida confertim inter ripam & nauim noſtram conij-
ciunt, quibus incenſis illud genus piperis quo terra ea abundat, inſpergere
& fumo hinc exundante nauibus nos exturbare tentabant. Sed conatus
illorum fuerant irriti. Interea æſtu marino redeunte, in vicum Tamaraka
incolumes peruenimus, à cuius incolis commeatu accepto, ad oppidum
obſeſſum reuertebamur: ſed hoſtes eodem, quo prius loco iter denuo ob-
ſtruxerant, hoc quidem pacto. Arbores vt ante transflumen ſtrauerant, ri-
pam vtrinque occupantes, tum alias item duas fere reſectas non omnino
inciderant, ad earum cacumina religatis lentis quibuſdam ſarmentis Sip-
po illis dictis, lupuli ſarmentis non abſimilibus, niſi quod paulo ſint craſ-
ſiora, extremitates huiusmodi funium in oppugnaculis ſuis retinebant,
eo videlicet animo, vt cum obiecta rurſum perrumpere tentaremus; ar-
bores inciſæ, tractis funibus in naues noſtras corruerent. Nos ad remi-
gantes obiecta deturbamus, illi arbores nutantes in ruinam attrahunt:
corruit vna verſus munitionem ipſorum, altera præciſe poſt nauẽ noſtrã
vix elapſam in flumen concidit.

Priuſquam vero obiectum illud in flumine obſtaculum demoliri
conaremur, alta voce ſocios noſtros obſidione cinctos inclamabamus,
vt ſubſidio nobis adeſſent: quanto nos vocem acrius intendebamus, tan-
to intenſius hoſtes clamorẽ tollebant, adeo vt non exaudiremur à quo-
quam noſtrum, obiecta enim ſilua noſtrum conſpectum illis adimebat,
alioquin voci audiendæ ſatis vicini ſi abſque hoſtium clamoribus fuiſſet.
Annona in oppidulum inuecta, cum hoſtes viderent ſe molimine ſuo
fruſtra-

mum repetunt. Obſidionis tempus fere ad menſem integrum trahebatur. Ceciderunt quidam ex hoſtibus, ſed nullus ex noſtris deſideratus. Pacatis ergo iam Barbaris, ad nauem noſtram onerariam reuertimur, quæ ante Marinum in anchoris hærebat; illic aqua dulci & farina radicis Mandiocæ in naues aſſumptis, & Præfecto qui nobis humaniſſime grates egit, ſalutato digreſſi ſumus.

Caput V.

Ex Fernanbuco digreſſi petimus regionem Buttugaris, ſed in nauem Gallicam incidentes, prœlio cum ea decertabamus.



Hinc

Hinc ſoluentes, & circiter milliaria quadraginta emenſi, in portum nomine Buttugaris intramus, vt nauem ibi ligno Braſilico oneremus, & annonam à Barbaris redimamus. Ingreſſi nauem Gallicanam, ligno Braſilico onuſtam conſpicimus, eam hoſtiliter inuadimus, potiri ea ſperantes, verum maiorem nauis noſtrę malum tormēti per illos emiſſi ictu corruperunt, & vela confregerunt. Pars noſtrorum nautarum globulis pixidariis vulnerata fuit, pars traiecta occubuit.

His actis conſtituimus curſum in Portugalliam conuertere, quia venti nobis erant aduerſi, vt portum in quo annonam conquirere in animo erat, ingrederemur. Victu ergo admodum tenui Portugallia repetitur, fame adeo conflictamur, vt pars noſtrorum coria hircina, quibus nauis onerata erat, deuoraret. Cuilibet in diem ſextarius aquæ dulcis prębebatur, & modicum farinæ radicis Braſilianæ. Dies centum & octo in pelago verſati, ad 12. Auguſti in Inſulas Acores vulgo nuncupatas deferimur, quæ Regis Portugalliæ Imperio ſubſunt. Iacta hic anchora reſpirantes piſcando tempus fallimus. Interim in mari nauim conſpicimus, & piraticam eſſe agnoſcentes vi adorimur, & ſtrenue ſeſe defendentem ſuperiores facti capimus, piraticis ipſis in cymba elapſis verſus inſulas. abundabat ea nauis vino & pane, quibus vires reſtaurantes in alias inſuper quinq; incidimus, quæ ad Regem Portugalliæ pertinebant, miſſæ vt redeuntes ex India iuxta has Inſulas opperirentur, & eas in Portugalliam deducerent. Quibus nos adiungentes, vnam ex India reuerſam in Inſulam Terceram dictam deduximus, ibiq; ſubſtitimus. Plurimæ interim ex noua India reuertentes iſtic congregatæ, quarum aliæ Hiſpaniam, aliæ Luſitaniam petebant. Naues circiter centum numero ſocio agmine ex Tercera ſoluentes, Vlyſſibonam ad 5. Idus Octobr. Anni 1548. deuenimus, Menſibus ſedecim in ea nauigatione inſumptis. Vlyſſibonæ me aliquantulum quieti dedi, donec animum inducerem, cum Hiſpanis in nouas, quas occuparunt orbis partes, nauigationem inſtituere. Conſcendi ergo nauem quandam Anglicam, qua ad vrbem, cui Portus S. Mariæ nomē eſt, in Bætica ſitam, delatus ſum, quo in loco ii qui aduenerant, nauem vino onerare conſtituerant. Hinc in vrbem Hiſpalim pergo, vbi tres naues inſtructas ad iter in Regionem Americæ, quæ ad flumen Rio de Platto dictum ſita eſt, ſuſcipiendum reperio. Sunt autem Regio illa ad flumen Argenteum ſita, & regnum illud Peruanum auro fertiliſſimum, & Braſilia ipſa perpetuum continens, non Inſulæ mari circumfuſæ, vel in pelago ſparſæ.

las Acores. *Tercera.*

Ante annos iam aliquot naues in eam Regionem dimiſſæ erat, vt eam porro occuparent: vna ex iis redierat, quæ auxilia relictis mitti petebat, & multa de auri fertilitate huius regionis magnifice prædicabat, quæ auxilia apparabantur, indicta trium nauium claſſe, cuius Præfectus Don Diego de Senabria dicebatur: illi à Rege Præfectura in eam Regionem commiſſa erat. Tota ea claſſis erat inſtructiſſima, cui & ego me comitem adiungo.

Secunda pars.

ARGVMENTVM.

Stadius ſecunda Nauigatione ab Hiſpali in eam Americæ partem, quæ Flumine vulgo dicto Rio de Plata irrigatur, proficiſcens, poſt longos errores Naufragium patitur.

CAP. VI.

Secundum iter Nauale, ſuſceptum in Prouinciam Americæ Rio de Plata, ex Hiſpali Hiſpaniarum vrbe inſtitutum.

S. Lucas. HISPALI ergo ſoluens ad S. Lucam portum peruenimus, vbi Bætis fluuius Hiſpalim alluens, in mare ſe exonerat. Hic ventos ſecundos opperiri conſtitutum erat.

Anno ergo 1549. feria quarta à feſto Paſchatis à S. Luca ſoluentes, aduerſo flante vento Vlyſſibonę portum ingreſſi ſumus: ſecundis deinde flantibus ventis ad Inſulas Canarias curſum dirigimus: anchoram autem prope palmam (quæ & ipſa vna eſt ex prædictis) in profundum demittentes, aquas illic dulces pro claſſe noſtra haurimus. Naucleri quoque ſcopum ſibi definiunt, ad quem nimirum ſe colligerent, ſi forte tempeſtatibus acti in mari deſpergerentur, videlicet gradum 28. ad latus meridionale lineæ æquinoctialis.

Capo Verde. Ex Palma nauigantes Heſperion cornu, quod vulgo Capo Verde, id eſt, Caput viride dicitur, vento petimus: is locus in Æthiopia ſitus eſt, & parum abfuit, quin iſtic naufragium faceremus: ſed & hinc progreſſi Coſſam noſtram ſequebamur. Ventus aduerſus aliquoties nos terræ Guineæ allidebat, quæ ſimiliter ab Æthiopibus incolitur. Tandem ad Inſulam S. Thomæ deferimur, quæ Regi Portugalliæ ſubeſt, & ſaccharo abundat, ſed aer in ea parum ſalubris habetur. Eam Portugallenſes habitant, qui multa ſecum ex Æthiopum genere mancipia alunt: nos aqua hauſta iter inſtitutum proſequimur. Interea duæ noſtræ naues ſociæ nocturno turbine è conſpectu noſtro ſublatæ ſolos nos deſtituerant: venti autem nobis valde aduerſi erant. Ea enim eſt natura illorum in hoc mari, vt ſole peragrante latus Septemtrionale æquatoris, à meridie flent; ſin vero Sol ad meridiem declinet, venti à Septentrione irruant. Et hunc quoque morem conſtanter

Inſula S. Thoma.

ter tuentur, vt per quinque menſes continue ex vno loco proflent. ita factum eſt vt moram quatuor menſium ducere, neceſſum habuerimus: nec enim aliter Coſſam noſtram directe inſtituere nobis poſſibile fuerat. Menſe itaque Septembre iam ingruente, venti conuerſi à Septemtrione ſpirabant. Coſſam itaque inter Auſtrum & Auſtro-africum dirigentes, verſus Americam curſum tenuimus.

Cap. VII.

Ad altitudinem 28. graduum peruenientes, Americam contingimus: Portum autem vnanimi conſenſu deſignatum, non agnoſcimus: exoritur turba inſolens circum littora.



ter tuentur, vt per quinque menſes continue ex vno loco proflent. ita factum eſt vt moram quatuor menſium ducere, neceſſum habuerimus: nec enim aliter Coſſam noſtram directe inſtituere nobis poſſibile fuerat. Menſe itaque Septembre iam ingruente, venti conuerſi à Septemtrione ſpirabant. Coſſam itaque inter Auſtrum & Auſtro-africum dirigentes, verſus Americam curſum tenuimus.

CAP. VII.

Ad altitudinem 28. graduum peruenientes, Americam contingimus: Portum autem vnanimi conſenſu deſignatum, non agnoſcimus: exoritur turba inſolens circum littora.

AD 18. Nouembris diem, Nauclerus altitudinem graduum explorat, ſeque ad 28. perueniſſe deprehendit. Nos itaque in occaſum vergentes, terram inueſtigamus. Ad 24. menſis iam memorati diem apparet tellus. Sex menſes mare inter grauiſſima pericula emetientes, & iam continenti viciniores facti, nec oram eam, nec portum à Nauclero deſignatum agnoſcimus; nec tutum remur ignotum portum ingredi. Secus tellurem ergo radentes oras curſum tenebamus: ventus interea ingraueſcebat in tantum, vt de vita nobis in iſtis ſcopulis certo periclitandum videretur. Proinde dolia puluere tormentario implemus, eaque obturamus, & illis arma noſtra alligamus, vt ſi fors naufragium faciendum foret, & aliqui euaſiſſent; ii arma ſua in littore requirerent, ſiquidem doliis à fluctibus eiectis affixa eſſent.

Velis obliquis nauigare cœpimus, vt oras terræ declinaremus, & in altum efferri poſſemus, ſed nihil profecimus; ventorum enim impetu in ſcopulos fluctibus coopertos, & ad quatuor orgyiarum altitudinem ſubtus vndis latitantes impellimur, ac propter æſtum maris nimium intumeſcentem, ad terram tendere cogimur, nihil aliud æſtimantes, quam nos fluctibus hauriendos.

Deo tamen aliter prouidente, vicini ſcopulis facti, quidam ex ſociis noſtris portum vicinum ex inſperato conſpicit, in quem illabimur. Ibidem conſpecta Cymba quædam fugit, & poſt inſulam è conſpectu noſtro ſe abdidit, vt quænam illa fuerit non licuerit tum cognoſcere, nec eam vlterius inſequebamur, ſed iacta anchora Deo pro liberatione benedicentes quieuimus, & veſtimenta deſiccata refecimus.

Circiter ſecundam pomeridianam anchoram iecimus. Veſpera ingruente, aduentarunt ad nauem noſtram onerariam plurimi eius oræ incolæ, aduecti in ſcapha ſatis capace, qui cum ſermones nobiſcum miſcere cuperent, à noſtris ægre, & ex parte tantum intellecti accipiebant quoſdam cultellos & hamos, quibus ſe domum recipiebant. Eadem nocte & alia denuo ſcapha ad nos nudis iſtis hominibus onuſta adnauigat, ac inter cæteros duo Luſitani; hi quærunt ex nobis qui ſimus & vnde: reſpondemus nos Hiſpania adueniſſe: hoc audito, dicebant, oportet vos Nauclerum admodum ſagacem & peritum habere, qui portum eum ingredi auſi fueritis: ſe quidem portum perſpectum habere, ſed tali cœlo nunquam id tentaturos. Nos factum illis exponimus, ventos & fluctus naufragium minitatos fuiſſe, & cum iam de nobis actum crederemus, inſperato portum apparuiſſe, Devm nobis ducem adfuiſſe, & à naufragio ſeruaſſe. Nobis vero ne nunc quidem conſtare, quonam locorum ageremus. Perceptis iis, in admirationem adducuntur, & Deo acceptum referentes, portum eum Supravvai dici aiebant, & abeſſe nos ad octodecim circiter milliaria ab Inſula S. Vincentii, quæ imperium Portugalliæ Regis agnoſceret, cuius ſe eſſe inquilinos affirmabant. Tum vero eos, quos in ſcapha ſe poſt Inſulam abdere paulo ante conſpexiſſemus, credidiſſe nos Gallos fuiſſe, & ob id ſibi fuga proſpexiſſe innuebant. Porro de ſitu & diſtantia Inſulæ S. Catharinæ quæſiti, quod eo nobis proficiſcendum eſſet, reſpondebant eam ad triginta milliaria abeſſe, ad

meridiem ſitam, nationem Barbarorum iſtic eſſe Carios nuncupatorum, quos circumſpecte admodum cauiſſe oporteat; Barbaros qui circa portum præſentem habitent, Tuppin Ikinſios appellari, quibus familiariter ipſi vtantur, nec ab illis quicquam nobis imminere periculi. De altitudine item Solis in ea regione ex illis ſciſcitantibus, 28. graduum eſſe nobis indicatum, quod quidem ita ſe habebat. Ceterum & alia nobis eius oræ dignoſcendæ ſigna & notas perhumaniter commonſtrarunt.

Capvt VIII.

De regreſſu ex portu ſupra VVay, & inueſtigatione terræ nobis definitæ.

Silente Vulturno, quem nautæ Septemtrionales Oſt Sud Oſt appellant, tempeſtas ſerena cooritur, ventus autem Aquilo proflabat. Nos itaque plenis velis iter remetimur, portum determinatum inueſtigantes, verum toto biduo nullo modo eum deprehendimus, terra tamen ipſa indicium erroris faciebat, & nos præteruectos arguebat. Sole enim ſub nubibus latitante, de altitudine eius apparebat. Ad hæc ventis infeſtantibus acti, diuerſi huc illuc errabamus.

Devs vero, qui in anguſtiis conſolatur, nobis in auxilium vocatus adfuit, ſiquidem exactis veſpertinis precibus, quibus à Deo veniam petebamus, & antequam nox irruiſſet, nubes ex meridie, qua nos vento abacti eramus, condenſantur; Aquilo quidem adeo conticeſcere, vt vix in ſenſus incurreret. A meridie vero Auſter procedens, qui ſub id tempus rariſſime ſuum imperium exercet. tantis tonitruis & fulgetris ingraueſcere, vt horrorem mortalibus incuteret, Mare erat æſtuoſiſſimũ, ſiquidem Auſter & Boreas certatim vtrinq; fluctus inſpirare; Tenebræ inſuper tantæ oboriri, vt omnem oculis conſpectum eriperent. Tum vero mortales quotquot aderant, & ipſi nautæ quoque conſternati corruſcationes tam formidabiles, & horrenda illa tonitrua expaueſcere, vt quid prius quid poſterius in conuertendis velis corriperẽt, dubii plane & incerti ambigerent, nec aliter vnicuique perſuaſum erat, quam omnibus ea nocte ſimul pereundum eſſe. Sed tempeſtas ea Dei beneficio paulo poſt ſedata viam velis præbebat, vt iter quod de die factum erat, de nocte illa retro legeremus, & de integro portum noſtrum requireremus, ſed nullo nobis indicio eum dignoſcere concedebatur, quandoquidem plures Inſulæ propter continentem iſtic eſſent. Poſt vbi 28. gradum denuo contigimus, Præfectus noſter Nauclerum poſt inſulam nauem deducere, & anchoram iſtic figere iubet, exploraturus quidnam terrarum occurriſſet. Duas itaque vtrinque poſitas tellures medio tranſeuntes, potum amœniſſimum intramus, & anchoram fundo affigimus, conſtituentes cymba demiſſa portum eum vlterius explorare.

Cap. IX.

Cymba ſpeculatum miſſa, quidam noſtrorum portum explorantes, crucem in ſcopulo poſitam reperiunt.



Hinc

FERIIS D. Catharinæ Anno 1549. anchoram fundamus, & eodem die quidam ex noſtris probe inſtructi, ſpeculatum in nauicula mittuntur portus illius opportunitatem. Videbamur enim intraſſe flumen Sancti Franciſci, quod in illa prouincia etiam eſt: quo longius progredimur hoc latius patet portus. circumactis ergo circumquaque oculis ſicubi fumum conſpiceremus, ſed nullus apparuit. Interea tuguria prope deſertum conſpicimus in conualle: accedimus, videmus caſas quaſdam ruinoſas, hominibus deſolatas: pergimus, interea nox ruit. Erat in flumine Inſula non ita magna, ad quam tendimus, vt iſtic noctem traduceremus, ſiquidem cuſtodiam commodius iſtic diſponi poſſe credimus, ſed ob noctis tenebras non ſatis tutum erat terræ nos exponi, vt quiete in ea reficeremur: erant qui nihilominus inſulam circumirent, ſed neminem inueniunt. focum ergo inſtruimus, palmam arborem incidimus, encephalum eius comedimus, & iſtic pernoctauimus. Mane ſummo diluculo iter inſtamus. nec enim abſiſtere propoſitum erat, priuſquam de hominum præſentia conſtaret: ex indicio enim conſpectorum tuguriorum facile de incolis colligere erat. Dum propoſitum vrgemus, caſu lignum procul conſpicimus in ſcopulo erectum, formam crucis referens, quod multis abſurdum videbatur. Appropinquantes videmus ingentem crucem eſſe ligneam, lapidibus impactis in ſcopulo firmiter hærentem, cui tabulæ pars de dolij orificio alligata erat, in tabula characteres inciſi viſebantur, non admodum legibiles. Miramur quænam naues hoc monumentum ſtatuiſſent, dubij de portu, vtrum determinatum ingreſſi fuerimus necne. Progredimur hinc longius, aſſumpta tabula illa dolij: dum vehimur, quidam literas tabulæ inſculptas examinans, paulatim eas colligit, & ſenſum elicit. Erant autem Hiſpanico idiomate hæc verba in ea conſignata: Si ven por ventura aqui la armada de ſu Majeſtad, tiren vn tire y averan recado. quorum ſenſus eſt: Si forte Maieſtatis ſuæ naues huc delatæ fuerint, eæ prodant ſe diſploſo tormento bellico, & certiores fient de reliquis. Confeſtim ergo locum crucis repetentes, incenſo tormento, quod Falconetum dicunt, ſignum præſentiæ noſtræ damus, porro remigantes nihilominus. Conſpicimus interea quinque ſcaphas plenas Barbarorum, illæ nos recta petunt: nos pixides noſtras ſulphureas directe illis opponimus. Vbi appropinquaſſent, videmus hominem ſtantem in prora, barbatum & veſtitum, agnoſcimus eſſe Chriſtianum, inclamamus eos vt conſiſtant, & vna ſcapha præmiſſa in colloquium ille adueniat. Aduectum interrogamus de portu: Reſpondet, dici eum Barbaris Schirmi rein, ſed vt rectius aſſequamini, eſſe Portum Sanctæ Catharinæ; quod nomen illi ab inuentoribus inditum ſit.

Gratulamur ergo inuicem nobis de inuenta ſtatione, quam inſcii in ipſo S. Catharinæ die appuliſſemus. Hinc ſane euidenter conſtat, quantum valeant preces afflictorum apud Deum, ſi ex animo proueniant.

Quærenti de aduentu noſtro, ſignificamus, nos eſſe Regis Hiſpaniæ, & petere prouinciam Rio de Plata, affuturas & alias propediem naues, ſi DEO ita viſum foret: conſtituiſſe enim in eo portu conuenire. Hæc audiens nobis gratulatur, & ſimul commemorat, quod ante triennium ex prouincia illa Rio de Plata

à loco qui Aſſumptio vocatur, & Hiſpanis paret, deſcendiſſet per trecenta milliaria ad mare, vbi nunc ageret, vt nationem eam Barbarorum, quæ Carios dicitur, & bene cum Hiſpanis conuenientem, hortaretur ad radices colendas, quas Mandiocas vocant, vt naues eo delatæ, ſi penuria premerentur eo in loco, commeatu à Barbaris petito reficerentur. Quod Capitaneus Salaſar, qui Hiſpanis de rebus Indicis retulerat, ita fieri curaſſet. Is Capitaneus in nauibus noſtris ſocijs iam reuertebatur.

Demum cum homine illo ad tuguria illorum deuecti, humaniſſime pro more & facultate eius gentis accepti ſumus.

Cap.

Capvt X.

Scapha plena Barbaris mittor ad nauem noſtram onerariam.



DEIN Capitaneus hoſpitem noſtrum rogat, vt ſcapha inſtructa aliquem ex noſtris ad nauem onerariam relictam mittat, eam adductum.

Mittor ego, iuſſu Capitanei. iam triduum abſueramus, ſocijs quid de nobis actum eſſet ignorantibus.

Vbi intra teli iactum ad nauem acceſſi, qui inerant, clamore ſublato ad arma accelerant, arcentes me cum Barbarorum comitatu; inclamant, & quæ hæc noua ſit facies exquirunt: vbi reliqui hæreant: vbi quid ſolus ego cum tot Barbaris aduenìam. Cõticeſco, nec reſpondeo quicquam. Capitaneus enim me informarat, vt vultu eſſem triſti, quo videret quid qui in naui tentarent. Illi cum nihil à me reſponſi ferrent, turbantur, inuicem dicentes, non ſalua hæc res eſt, reliqui procul omni dubio interierunt, hunc autem ſolum adducunt, alijs forſitan in inſidijs locatis, quo nauem tali apparatu occupent. Hæc verſantes, ad tormenta in nos diſpergenda accinguntur, denuo tamen me inclamant. Hic demum ſubridens illos placide alloquor, & melius ſperare iubeo bonum omen nuncians, faciant modo acceſſum liberum, vt quid apportem intelligant. Accedo, rem enarro; illi præ gaudio exultant. Barbari interea domum remeant. Nos nauem caſtris Barbarorum ſubducimus, & iacta anchora reliquorum, qui per tempeſtatem diſperſi erant, aduentum expectamus.

Vicus in quem Barbari nos exceperunt, Acutia vocatur. quem offenderamus inter illos virum, Ioannes Ferdinandus erat, Cantaber ex Bilbao oppido oriundus. Natio illa Carios dicta, ferinam & piſces in copia nobis offerebat, pro quibus nos hamos ferreos rependimus.

CAP.

Caput XI.

Socia Nauis quæ vento abacta erat, aduenit: illa Nauarchum vehebat.

TRibus illic ſeptimanis exactis venit in portum nauis, quæ Nauarchum vehebat. Sed tertia quæ nobis ſocia fuerat, perierat, nec quicquam de ea relatum fuit.

Nauibus ergo in ſex menſes annona inſtructis, itineri, quod trecentorum milliarium reſtabat, perficiundo accingimur. Paratis iam rebus omnibus nauem onerariam in ipſo portu amittimus, quo caſu inſperato, mora noſtræ profectioni iniecta.

Hæſimus biennium in deſerto illo loco, fame conflictantes. Eſca erant lacerti, glires, cochleæ petris affixæ, & alia inſolita.

Barbari qui primo victum ſufficientem miniſtrarant, poſtquam ſatis mercium ſibi parauerant, in diuerſas oras commigrabant, nec ſatis erat tutum illis per omnia fidere.

Pertæſi ergo & loci & penuriæ, vnanimiter decernimus vt maior pars pedibus iter in Prouinciam Aſſumptionis nomine inſignitam conficeret, (aberat illa ad trecenta miliaria) reliqui in naui reſidua ſubſequerentur.

Capitaneus delegit quos ſecum naui auehere conſtituerat. Qui pedeſtre iter ingreſſi erant, victum pro deſerti tranſitu capiebant, iunctis ſibi quibuſdam ex Barbaris. Pars illorum fame in itinere perierat, reliqui ad metam deuenerant, quod ex aliorum relatu nobis poſtmodum innotuit. Sed nec nauis ferendis omnibus, quos Capitaneus reſeruarat, ſatis capax erat.

Cap. XII.

De Conſilio initò Inſulam S. Vincentii petendi, quam Luſitani poſſident, ſpe nauem ab ipſis obtinendi, atque itineri ita finem imponendi: ſed orta tempeſtate naufragium facimus, cœli locique ignari.



Portu-

PORTVGALLENSES tenent Inſulam non longe à continente ſitam, quam vocant S. Vincentij, Barbari vero Vrbioneme: is locus ad 70. miliaria aberat: proponimus nobis curſum eo dirigere, vt nauem à Luſitanis conduceremus, qua in Prouinciam Rio de Plata iremus, nec enim ea quæ reſtabat omnibus ſufficiebat. Dilecti ergo qui duce Salaſare eam Inſulam peterent, nec erat quiſquam, qui hoc iter prius tentaſſet, præter quendam Romanum nomine, is videbatur ſibi, ſe iter hoc relegere poſſe.

Vela itaque ex Portu Byaſſape facimus, qui ad 28. gradum & dimidium ab Æquatore poſitus eſt, intra biduum ad Inſulam ferimur, quæ de Alkatraſes dicitur, 40. circiter miliaribus diſtantem ab eo loco vnde ſolueramus: venti autem aduerſi nos ad anchoram fugere compellunt. In hac inſula frequens eſt genus auium marinarum, Alkatraſes eas vocant, nullo labore capi poſſunt, & forte ſub id tempus aduecti eramus quo pullos ex ouis excludere ſolent.

Ingredimur, & quærentes fontes aquarum dulces reperimus caſas deſolatas, & ollarum teſtas hinc inde ſparſas: inuenimus etiam venam exilem ſeu ſcaturiginem aquæ, è rupe promanatem. Aues quas commemoraui in magna copia captas cum ouis naui inferimus, & dapes ex ijs inſtruimus. Poſtquam iam cibo refecti eramus, conſurgit Auſter tanta cum violentia, vt vix anchoram reduxerimus; ſolliciti ergo, ne ad ſcopulos ventorum impetu allideremur, & veſpera iam ingruente, portum tamen Carinee contingere præſumimus. Nox autem nos anteuertit, proinde littus declinantes, in maximo verſabamur periculo: fluctus nauem tanta importunitate verberabant, vt de naui actum putaremus, ſiquidem fluctus ad oras terræ magis intumeſcunt, quam in alto. Ea nocte tanto interuallo à littore abacti ſumus, vt orto ſole ne conſpectus quidem eius appareret.

Redit tandem tellus in conſpectum, tanta tamen erat turbinis importunitas, vt vix ſubſiſteremus. Romanus ille credebat ſe inſulam S. Vincentij agnoſcere: vela eò dirigimus, ſed terra nubibus ac nebulis cooperta atque inuoluta dignoſcenda non erat. nauem ergo propter procellarum impetum exonerare cogimur, ſupellectile grauiore ſubmerſa. His conſtituti in anguſtijs vela vtcunq; facimus, quærẽtes portum Potugallenſium, ſed labor omnis in caſſum abit. Diſiectis vtcunq; nubibus, Romanus portum illum in conſpectu eſſe affirmat, nobis modo rectà in ſcopulos iter inſtituendum, poſt quos ille lateret. Aduecti nihil pręter diræ mortis horrendam contuemur imaginem, nam & portus omnis aberat, & in oppoſitam terrã recta incurſandum erat propter ventos impellentes, & naufragium faciendum. Procellæ littus tanto impetu feriebant, vt horrorem animis incuterent. Deo ergo iam ſupplices, ac delictorum veniam atq; animæ ſalutem rogantes pręſenti animo in periculum ineuitabile accingimur. Littori viciniores facti, adeo in fluctibus ſublimes ibamus, vt cernui in profundũ non aliter ac de muro prærupto deſpiceremus. Nauis primo ictu ad littus colliſa tota fathiſcit. Pars ſaltu corpora in mare mittentes, tranãdo euadit, pars in tabulis correptis ad littus adigitur, & omnes tandem diuina ſeruati omnipotẽtia incolumes terram contingimus, ventis autem, & imbribus omnes diriguimus.

CAPVT XIII.

Certiores reddimur de loco & regione Barbarorum, in qua naufragium feceramus.



Terræ

TERRÆ incolumes redditi, DEO grates ſoluimus, ſolliciti admodum de finibus. Romanus eam Regionem non ſatis agnoſcebat, vnde de ſitu Inſulæ S. Vincentij nihil plane affirmare norat, nec leuis nos metus Barbarorum terrebat, ſi qui ex vicinia forſan nobis imminerent. Interim quidam ſociorum temere per littus diſcurrens, vt agitatione & motu membra excalefaceret (erat is Claudius nomine, Gallus natione) pagum poſt ſiluam conſpicit, in quo ædificia ad formam Chriſtianorum conſtructa erant: accurrit, videt eſſe caſtellum quod Portugallenſes incolunt: Nomen illi eſt Itenge Ehm, & duo miliaria ab Inſula S. Vincentij diſſidet. Edocet ergo incolas de naufragio noſtro, & madidos omnes horrere, nec quo ſe refocillent, habere conqueritur. Illi intellectis noſtrorum miſerijs, obuiam nobis procurrunt, ædibus ſuis nos excipiunt, & neceſſaria pro veſtitu conferunt. Hic reſpirantes per aliquot dies commorati ſumus.

Poſt, S. Vincentij Inſulam pedeſtri itinere petimus, vbi à Portugallenſibus honorificentiſſime excepti, aliquandiu publicis ſumptibus vitam ſuſtinemus, tandem vnuſquiſque ſe certo vitæ generi applicat, vnde vitæ neceſſaria pararet. Deſtituti iam omnibus nauigijs, Capitaneus noſter quendam ex Portugallenſibus ad ſocios in Byaſape relictos ablegat, qui illos aduehendos curaret. Et factum eſt quod imperauerat Capitaneus.

D 2

Cap. XIV.

De ſitu Inſulæ S. Vincentii.

QVÆ S. Vincentij nomine fertur, ea Inſula eſt continenti fere iuncta: ſunt inibi extructa duo Caſtella, quorum alterum Portugallenſibus quidem S. Vincentij, Barbaris vero Orbioneme, alterum circiter ſeſquimiliare diſſitum Barbaris Yvvavva-Supe dictum eſt: Sunt & tuguria quædam, *Ingenio* vocata, ſaccharo præparando deſtinata. Habitatur à Portugallenſibus, qui amicitiæ fœdus colunt, cum natione, qui Tuppin Ikinſij nomen habent. Regio eius nationis, quam incolunt, patet in interiorem continentem, ad octoginta miliaria, ſed ad mare extenditur in quadraginta.

Natio ea vtrinq; ad Meridiem videlicet & Septemtrionem vicinos ſibi infeſtos habet; qui meridionales ſunt Carios, qui vero Boreales Tuppin Imbæ appellãtur. Ipſi vero Tuppin Ikinſij ab vtriſq; ſuis hoſtibus Tavvayar, quod hoſtem ſonat, appellantur. Hoc poſterius Tuppin Imbarum genus multa ſæpe & magna damna intulit Portugalenſibus, & in hunc quoq; diem ipſis metui atque terrori exiſtit.

Tertia

Tertia pars.

ARGVMENTVM.

Sclopetarij vicem obit Ioannes Stadius, & arci ab incurſu hoſtili defendendæ præficitur, in Regione cuius incolæ Tuppin Ikinſii ſunt, & à Portugallorum Rege gubernatur.

CAP. XV.

De Situ & Nomine loci, ex quo Tuppin Ikinſiis plus damni ab hoſtibus, quam ex aliis inferebatur.

EST locus ad quinque miliaria à S. Vincentio ſitus, Brickioca illi nomen eſt, illic primum congregabantur hoſtes Tuppin Ikinſiorum; & iter medium inter Inſulam S. Marci & continentem tenentes, illac tranſire aſſueuerant.

Hunc tranſitum hoſtibus præcludere conabantur quinque fratres Germani, patre Luſitano & matre Braſiliana nati, religionem Chriſtianam amplectentes: callebant autem vtriuſque gentis, tam Chriſtianorum, quam Barbarorum mores, ingenia, & idiomata. Nomina eorum hæc ſunt, 1. Ioannes, 2. Diego, 3. Dominicus, 4. Franciſcus, 5. Andreas. Patri etiam Diego, omnibus ſimul cognomen erat de Praga.

Hi quinque fratres iunctis aliquibus Barbaris, qui illis confœderati erant, conſtituerant biennio ante meum aduentum, munitionem in eum locum contra hoſtium incurſus conſtruere, more & forma Barbaris vſitata, & quidem executi illud iam fuerant.

Id cum viderent aliqui Luſitani, eo commigrarunt & ipſi: erat enim amœnus & peropportunus locus. Hoc Tuppin Imbæ hoſtes illorum explorant, & ſe in ſua regione, cuius fines circiter quinq; miliaria inde abſunt, omni apparatu bellico, pro more gentis probe inſtruxerant, ac ſeptuaginta ſcaphis noctu aduectis, mane hora vna ante diluculum, quod vſitatum illis eſt, hos adorti fuerant. Quinque ergo illi fratres, cum Portugallenſibus domum quandam ex luto confectam occupantes, in hoſtes fortiter pugnarunt. Reliqui qui

adfuerant Barbari coniunctim in tugurijs ſuis ſe defenderunt, dum vires ſufficerent, & donec plurimi hoſtium occubuiſſent. Tandem hoſtes ſuperiores facti vicum Brickioca incendio vaſtant, & Barbaros capiunt. Chriſtiani, quorum octo vel circiter fuerant, & fratres illi quinque nihil damni tulerant. nam ſe ſtrenue in domo illa geſſerant: Deus enim illorum protector erat. Barbaros autem, quos ceperant, abſque mora diſſectos inuicem diſtribuerant; & in patriam ſuam hoc peracto facinore remeantes diſceſſerant.

CAP. XVI.

Portugallenſes poſt reſtaurationem Brickiocæ, Propugnaculum quoque in Inſula S. Maro inſtruunt.

DEVASTATO eo vico, Seniores & ipſe populus Portugallenſium vnanimi conſenſu decernunt locum dirutum denuo reſtaurare, & quam poſſint munitiſſimum reddere: nec enim conſultum videbatur, vt deſertus relinqueretur; ſiquidem ſolus tanquam murus, pro tota ea regione in hoſtes opponebatur. Reſtauratur ergo Brickioca.

Hac re ab hoſtibus animaduerſa, munitionem eam firmiorem videlicet factam, quam vt expugnari ab illis poſſet, noctu nihilominus tranſitum illac ſcaphis tentant, & ſimul vi ſecum abripiunt, quemcumque capere poſſent, in confinio S. Vincentij.

Qui in medio regionis habitabant, ſecuros ſe viuere propter Brickiocam reſtauratam & munitam exiſtimabant, ſed hæc confidentia ſeu ſecuritas ipſis damnoſa erat.

Commodum ergo videbatur incolis, vt aliud quoddam propugnaculum quoque ſtruerent, in vincina inſula S. Maro (quæ è regione Brickiocæ eſt) ad fluminis ripam & tormentis illud æneis, ac præſidio firmo inſtruerent, vt hoſtibus tranſitus eo expeditius intercluderetur.

Cœperant illud moliri, ſed imperfectum reliquerant: cauſa erat, vt ab ipſis mihi relatum fuit, quod nemo Sclopetariorum Portugallenſium, ſe illi credere auderet.

Ego ſpeculatum illud eo: incolæ vbi me Germanum intellexiſſent, & aliquam rei tormentariæ peritiam habere, inſtant vt tuendi Propugnaculi curam ſuſcipiam, & ſi ita opus facto eſſet in hoſtes ſtrenue depugnarem, promittentes ſe ſocios mihi addituros, & honeſto ſtipendio donaturos. Addunt ſimul fauorem & Regis beneuolentiam promeriturum, ſi id muneris obirem, ſiquidem Rex eſſet benigniſſimus in omnes, qui in regionibus iſtis recens inuentis conſilio atque ope ſua ipſi adeſſe non vererentur.

Paciſcor cum illis in menſes quatuor, dum Capitaneus ex Hiſpania à Regia Maieſtate cum claſſe miſſus adueheretur, & ex lapidibus illud Propugnaculum inſtauraret & perficeret, quod poſtea in effectum deductum fuit. Ego, adiunctis ſaltem duobus, aſſidue fere me contineo in propugnaculo, inſtructus aliquot tormentis, non tamen ſine ingenti periculo, propter imminentes Barbaros. Ædificium per ſe non ſatis erat munitum, & excubiæ noctu maxime

agendæ, ne hoſtes tenebris freti clam præterirent, quod licet aliquoties tentarent, ab excubantibus tamen obſeruati ſunt. Elapſis aliquot menſibus Capitaneus, cuius ſupra facta eſt mentio, à Rege legatus aduentat. Senatus enim Regem per literas monuerat, de inſolẽtia hoſtium, ab illa parte, tum de amœnitate loci, qui non temere deſerendus eſſet. Quare vt conſuleret huic malo, Capitaneus, Thomas de Suſe, cum Regia poteſtate miſſus, locum colluſtrat, de quo muniendo populus ſcripſerat.

Ad hęc exponunt Capitaneo præſtita à me officia, in domo illa protegenda, quod nemo tentare auſus fuerit, ob loci & ædificij infirmitatem.

Is laudabat factum, & ſe apud Regem negotium meum diligenter acturum pollicitabatur, vbi Deo volente Portugalliam repeteret, meque re ipſa cogniturum pondus aliquot ſuæ commendationis fuiſſe.

Pactum tempus Pręfecturæ meæ elapſum erat, peto ergo officium reſignari. Sed Capitaneus & ipſi Primores populi me hortantur ſolliciti, vt in officio perſiſtam. Obtempero precibus illorum, & in biennium meam addico operam, ea tamen conditione, vt elapſo termino cũ prima quaq; naue in Portugalliam reuerti abſq; tergiuerſatione permittar, & precium meritorum accipiam. Capitaneus illud nomine Regis ſignatis literis ratum facit, & priuilegio mihi cauet, qualiter Sclopetarijs Regijs petentibus illud fieri moris & iuris eſt:

Inſtauratur ergo propugnaculum ex lapidibus, & maioribus tormentis
inſtruitur, ego præficior, & de excubijs & officio commiſſo
ſedulo obeundo admoneor.

Cap. XVII.

Statis quibuſdam anni temporibus, hoſtes ob certas cauſas accuratius obſeruandi erant.

DVOBVS præcipue anni temporibus, hoſtes noſtri frequentiores imminebant, & violenta manu ſuorum inimicorum fines ingrediebātur. Primum Nouembri menſe accidebat, cum fructus illis Auati dicti matureſcunt, ex quo illi potum Kaavvy coquunt, cui interdum miſcent radicem Mandioca, quæ apud illos in copia prouenit. Is potus cauſatur expeditionem eam, circa tempus meſſis ſeu maturitatis Auati, quem reuerſi ex prœlio in immolatione captorum hoſtium ſolenniter potent. Illud tempus per totum anni circulum magno deſiderio expetunt. *Auati. Kaavvy.*

Deinde Auguſto etiam menſe impreſſiones plerunq; faciunt, quando videlicet genus quoddam piſcium ſequuntur, quod ex mari conſcendit in flumina aquarum dulcium, & in illis concipit: Barbaris Bratti, Hiſpanis vero Lyſſes dicuntur. Circa iam dictum menſem armati, & cum vicinis depugnare parati, fines egrediuntur, vt penum inſtructiorem reddant, & frugalius victitent. *Bratti. Lyſſes.*

Capiuntur ab illis, reticulis, ab alijs ſagittis petuntur, poſt toſti domum reportantur. Sunt qui ex toſtis illis piſcibus farinam molant, quæ Pirakui nuncupatur. *Pirakui.*

E

Quarta pars.

ARGVMENTVM.

Capitur ab hoſtibus Barbaris, & miſere abripitur, vbi nouem menſium captiuitatem ſuſtinet, non niſi in cruentam hoſtibus eſcam reſeruatus.

Cap. XVIII.

Quomodo & qua ratione in hoſtium manus inciderim.



Habe-

HABEBAM Barbarum mancipium è natione Carios oriundum, quod mihi feras immenſæ vſum venabatur, nec dubitabam & ipſe illo comite nemus ingredi. Forte tum me Hiſpanus ex S. Vincentij Inſula inuiſerat, quæ miliaribus quinque à S. Maro abeſt, ſimul Germanus quidam illum comitatus aduenerat, is erat Heliodorus Heſſus, ingenioſiſſimi Poëtæ Eobani Heſſi ſanctæ recordationis filius, qui in S. Vincentio in INGENIO, quo nomine feruntur tuguria, vbi ſaccharum conficitur, negotia ſua curabat. Illud vero ingenio ſpectabat ad Genuenſem mercatorem Ioſepe Ornio, alias Ióſephum Ornionem vocitatum. Heliodorus autem illi à rationibus & negotijs erat contraxeram iam ante cum illo familiaritatem; naufragium enim cum Hiſpanis paſſus, admodum hoſpitaliter ab eo habitus ſum. Is ergo aduenerat, vt de valetudine mea cognoſceret, qua me aduerſa frui forſan relatu acceperat. Pridie mancipium meum in ſiluas venatum ire iuſſeram, poſtridie captam prædam ipſe petiturus, vt menſa hoſpitibus meis inſtructior foret & lautior: nec enim Regio ea fert alias lautitias, præterquam quas ſilua præbet. *Heliodorus Heſſus.* *Ioſepe Ornio.*

Dum igitur per ſiluam iter facio, vtrinque ingentem clamorem Barbarorum more, exaudio, vno ſimul omnes impetu in me feruntur: agnoſco hoſtilia agmina, illi me circumfluunt, ſpicula intendunt, & ea in me conijciũt. Voce igitur ad Deum miſerabili ſublata, in manus tuas, ô Deus, exclamo, commendo ſpiritum meum. Vix finieram; humi verberibus me proſternunt, telis ac ictibus in me furentes, quanquam, Deo ita prouidente, præterquam in femore vulnus nullum accipio Illi veſtibus mihi detractis alter pallium, alter pileum, tum interulam alius auferunt: oriuntur contentiones, & rixantur quis prior in me impetum feciſſet: dum illi altercantur, ceteri me arcubus ſuis probe contundunt. Tandem duo præcipue me ſibi vendicant, terra ſubleuant, & brachijs vtrinq; innexis, quam poterant ocyſſime ad ſcaphas ſuas in littore abſconditas accelerantes me abripiunt, præcurrentibus alijs, alijs à tergo inſequentibus. Vbi ad mare ventum eſt, video intra vnum atque alterum teli iactum ſcaphas eorum in ſiccum ſubductas, & poſt ſepem ac dumeta abditas, & ingentem ſimul cateruam in cuſtodiam illarum relictam. Illi me conſpecto gregatim in aduentum occurrunt, criſtis omnes pro more gentis ornati, & dentibus frendentes, ac in lacertos mordicus impreſſis, minitabantur ſimiliter de me futurum eſſe.

Præcedit me Regulus, geſtans clauam, qua captiuos obtruncat, & conceptis verbis talibus profatur; Captum nunc te Perot (qua appellatione Portugallenſes notant) & mancipium viliſſimum in poteſtate noſtra conſtitutum habemus, nunc tu mortem amicorum noſtrorum, quos tui vmbris demiſerunt, condigno lues ſupplicio.

Poſtquam ad naues acceſſum fuit, pugnis petor: illi inuicem feruent, & naues in flumen promouere contendunt, quoniam ſibi metuebant à tumultuantibus Brickiocacenſibus, qui ceruicibus, vt euentus probauit,

imminebant. Priuſquam ſcaphæ in vndas reductæ eſſent, manus vinculis innectunt. Qui aderant non ex eodem vico progreſſi omnes erant. Ergo male quoſdam habebat, quod præda vacui domum reuerti cogerentur, expoſtulantes cum fratribus illis duobus, qui me aſſeruabant, quoniam æque vicinos ſe fuiſſe in capiendo aiebant, hinc ſibi quoque partem prædæ deberi contendunt, & ſimul in conſpectu me obtruncare feſtinant.

Ego inter ſacrum ſaxumque conſtitutus Deum inuoco, & clauam anxie reſpectans in mortis diſcrimine verſor. Tandem Regulus, in cuius eram poteſtate, talibus infit: Viuum deducamus eum domum, vt & coniuges noſtræ hoc ſpectaculo recreentur; deinde Kavvi pepike morietur, hoc eſt adornaturi illud potionis genus, quod victimis ſolenne eſt, feſtum celebraturi, & publico epulo exhibito illum manducaturi ſumus. Huic ſententiæ acquieſcunt, & quatuor funes à collo religant, in ſcapham me protrahunt, & extremitates quatuor illorum funium ad oras ſcaphæ expanſas affigunt in littore conſtituti, tandem in flumen eas protrudunt, & domum repetunt.

Cap. XIX.

Dum Aues Vvvaras ſpeculatum regrediuntur, noſtri homines aduentant, qui me recuperare certant: ſed illi, in quorum poteſtate eram, conuerſi cum illis congrediuntur, & aperto Marte decertant.

VICINA Inſulæ, vbi in manus hoſtiles incidi, eſt quædam alia non perinde magna: in ea nidulantur aquaticæ quædam aues, rubeis velatæ corpora pennis, quas Vvvara vocant. Sciſcitantur ex me nunquid Tuppin Ikinſij hoſtes ſui eam illo anno ingreſſi, ceperint grandiores pullis incubantes: affirmo factum: illi nihilo minus inſulam adire inſtituunt, quia pennæ illarum magno æſtimantur, & omnis eorum ornatus vt plurimum ex plumis conſtat. Inſuper hoc proprium eſt auibus iſtis, vt pullis primum cinerei coloris plumæ ſuccreſcat, poſt adultis commutentur in fuſcum colorem. Hoc colore induti annum circiter integrum vagantur, tandem conuertuntur in elegantem rubrum colorem. Has itaque captatum ibant. Dum ad vnius atque alterius diſploſi globi ſpatium progreſſi forent, conſpicantur à tergo adueniẽtes conferto agmine Tuppin Ikinſios, & illis mixtos Portugallenſes. Namque mancipio comitatus in ſiluam abieram: illud me capto fuga ſibi conſulens vicinos euocarat, qui pro me recuperando accelerarent.

Iamque

Iamque inſtantes prouocant Tuppin Imbas, vt ſi viri eſſent congrediantur. Conuertunt ergo ſcaphas in hoſtes, & hinc inde ſagittis & tormentis acerrime certant. Ibi manus meas vinculis exſoluunt, funibus ta-



men à collo ſtricte ligatis. Tradunt mihi pixidem ſclopetariam, & modicum ſulphuris, quam à Gallis pro ligno Braſiliano acceptam geſtabat Regulus meus, eam in hoſtes diſplodere cogor. Dum hæc geruntur, verentur Tuppin Imbæ, ne hoſtes ſcaphis allati ſuppetias alijs ferant, & per flumen ſe inſequantur. Vela igitur conuertunt, tribus nihilominus ex ipſorum numero globo plumbeo læſis, ac Brickiocacenſe propugnaculum, cui ego præfectus fueram, intra Falconij tormenti diſploſi ſpatium præterlabuntur. In tranſitu erectum me in ſcapha ſiſtũt, vt à noſtris conſpicerer. qui in propugnaculo erant, nos duobus maioribus globis petunt, ſed breuius æquo iactum collimant. Iamque aderant Brickiocacenſes in lintribus, ſed Tuppin Imbæ acriter inſiſtentes remos fortiter impellebant. Sic re infecta Brickiocacenſes abſiſtunt.

CAP. XX.

De iis quæ acciderunt in itinere verſus fines Tuppin Imbarum.

VBI Brickiocam ad 7. miliaria verſus fines ſuos Tuppin Imbæ prætergreſſi erant, quantum ex ſolis altitudine conijci poterat, imminebat quarta pomeridiana. Illo ipſo quo me ceperant die allabuntur ad Inſulam, in qua pernoctare conſtituerant, ſubducunt ſcaphas, meque in ſolum pertrahunt: terræ expoſitus nec oculis cernere, ob faciem verberibus tumidam, nec pedibus inſiſtere ob vulnus femori inflictum, valeo: illi me in arenam proiectum circumſiſtunt, & acerba de me deuorando minitantur.

His calamitatibus expoſitus, voluebam in animo meo, quæ ſane nunquam prius in mentem venerant, quam ærumnoſa hæc vita eſſet, quam caduca & fluxa: & obortis lachrymis, ex intimis animi penetralibus melodiam inſequentis Pſalmi canere incipio:

Dum vita in medio conuertitur anxia luctu,
Imploro ſuperi numinis æger opem.
Tu DEVS *atque hominum Rector miſerere precantis,*
Et patula querulas aure reconde preces.
& reliqua quæ ſequuntur.

Hæc audientes Barbari: Ecce, inquiunt, iam lamentatur, & ſortem ſuam infelix deplorat.

Sed locus is non videbatur commodus pernoctationi: terram igitur continentem repetunt, vbi tuguria quædam deſerta occupant, ab ipſis antea extructa (nox autem intempeſta aduentātes præoccupauerat) ſcaphas in terram ſubducunt, focumque inſtruunt, cui & me admouent. Deinde in penſilem retiformem lectum cubitum deducunt, hoc Barbaris Inni vocatur: nec enim lectos plumeos in vſu habent. Inni illud ad duos palos ſupra terram, ſin in ſiluis egerint, ad arbores ſuſpenſum alligant; funes quos collo geſtabam, ad arborem colligant, & circum circa accubant, tum illudentes, tum ſua lingua captum inceſſentes, Schere Inbau ende, quod idem ſonat, ac ſi dicas: Tu es beſtia mea, quam vinctam detineo. Antequam illuceſceret iter ingrediuntur, & toto eo die remos impellunt: reſtabant

bant duo miliaria ad locum, vbi pernoctandum erat, cum adueſperaſceret. Conſurgit interea nubes denſiſſima, & formidāda nos pone ſequens: illi eam cernentes, vt tempeſtatem euitarent, remos quā poſſunt agilitate impellunt. Sed vbi illam effugere ſe non poſſe vident, his me verbis aggrediuntur: Ne mungitta dee Tuppan do Quabe, amanaſu y, an dee Imme Ranni me ſis ſe. quorum ſenſus hic eſt: Tu precibus apud Deum tuum effice, ne tempeſtas hæc nos obruat. Conticebam & clam preces ad Deum in animo fundens his verbi inuoco: Omnipotens æterne Deus, cæli terræque Monarcha, qui omnes nomen tuum inuocantes exaudis, & à periculis protegis vel inter medios etiam infideles, fac mecum miſericordiam tuam, vt videam quod tu Deus præſto mihi ſis, & gentes hæ, quæ te non cognorunt, intelligant, quod preces meas exaudias.

Hæc orans in naui vinctus & proiectus iacebam, nec ceruices ad nubem inflectere potis eram, reliqui autem aſſidue reſpectantes, O qua moa amanaſu, inquiunt, id eſt, tempeſtas illa tremenda retrorſum agitur. Hæc audiens ſubleuo me paulum, ſed ægre admodum, & nubes diſſipari videns, Deo ex animo grates agebam. Poſtquam ad terram appulimus, priſtinos illi mores retinentes, ad arborem me colligant, & circum excubant, & ſe poſtridie ſub noctem ad ſuos reuerſuros lætabundi gloriantur.
Verum ego non admodum mihi de eo
gratulabar.

Cap. XXI.

Quid eo die mecum deſignarint, quo ad eorum manſiones deuentum.

Svbseqventis diei pomeridiano tempore, cum ſol ad occaſum inclinaret, conſpicimus habitationes petitas, triduo integro in reditum inſumpto: triginta enim miliaribus aberamus à Brickioca, quo in loco in manus hoſtium incideram. Vicini facti, video eſſe vicum non perinde magnum, ſeptem tugurijs duntaxat conſtantem, cui Barbari nomen fecerant Vvvattibi. Scaphas ad littus appellimus iſtic in vicinia vxores horum inter radices Mandiocæ agebant, occupatæ eis euellendis. Eas me his verbis compellare iubent: A lune ſche been ermi vramme, quod eſt, En adſum vobis ego eſca veſtra. Nobis è nauibus egreſſis, omnes cateruatim ex tugurijs, tam ſenes quam iuuenes ſpectatum me confluūt. Viri armati arcubus & pharetris ad tuguria procedunt, & me mulieribus tractandum committunt. Illæ medium aſſumptum, pars præibant, pars pone ſequebantur, cantantes, & ad numerum ſaltantes, vt ſolent cum captiuos mactationi deſtinatos comitantur. Cum iam me ad tuguriorum ſuorum mœnia, illis Yvvara dicta, quę ex craſſis perticis ac contis erectis conſtant, & ſepis hortum ambientis inſtar extructa ſunt, ad ſua habitacula contra hoſtes defendenda, perduxiſſent: ingreſſum mulierculæ cateruatim incurrunt, & pugnis miſerum male mulctant, tum barbam vellicant lingua illis familiari dicentes: Sche innamme Pepikea, e, hanc plagam luis nomine amici mei, quem hoſtes noſtri, inter quos vixiſti interemerunt.

In habitaculum deductus in Iuni lectum penſilem componere me debui: mulieres autem vndiquaque nunc tundebant, nunc vellicabant miſerum, & me deuoratum iri minitabantur.

Kaavvy. *Tammaraka.* Viri alio in loco ſimul congregati potione Kaavvy ſe exhilarabant, numina ſua Tammaraka vocata, apud ſe habentes, quibus honorifice accinebant, pro reſponſo tam veraci, quod præda ſe potituros prædixiſſent.

Cantus quidem exaudiebam, ſed intra horæ mediæ ſpacium, nullus virorum me adijt, ſed à ſolis mulierculis & pueris mirum in modum exagitabar.

Cap.

Cap. XXII.

Vterque herus ſignificant mihi ſe dono dediſſe me cuidam amicorum, qui me aſſeruaturus, & ad ſolennitatem Epularum, quando opportunum videatur, ipſe obtruncaturus ſit.




MOres huius gentis non tam perſpectos prius habebam, quam poſt edoctus didicerim: credebam ergo viros interea apparare ea, quæ mactationi vſui forent. Sed non longe interuallo accedunt me duo illi fratres, qui me primi ceperant, alter Ieppipo Waſu, alter vero Alkindar Miri nomine, ſignificant quod me amicitiæ ergo dono dederint patruo ſuo Ipperu Waſu, in cuius cuſtodia poſthac futurus, & à quo, ſi tempus epularum adueniat, obtruncandus ſim: vnde nominis aliquam gloriam adipiſcatur. Anno præterito ceperat mancipium quoddam idem Ipperu Waſu, quod beneuolentiæ gratia Alkindari Miro conceſſerat, qui cæde illius nomen acquiſiuerat, ſed ea tamen lege, vt primum, quemcunque Alkindar capiat, in vicem Ipperu patruo remuneret. Huic pacto ſoluendo me modo ſors parum fida deſtinarat. Præterea hoc mihi commemorant: iam aderunt tibi mulierculæ, & deducent te Apraſſe. Eius verbi ſenſum non aſſequebar, ſed noſtra lingua, ſaltare, eſt. Reſtibus ergo ceruici innexis me in aream protrahunt, quæ ante tuguria ſtrata erat. Confluunt quotquot in ſeptem illis tuguriis erant mulierculæ, & nudum pro libitu contrectant. Viris aliò abſcedentibus, aliæ brachiis me comprehendunt, aliæ funibus ceruici innexis ductitant, adeo ſtringendes vt ægre reſpirarem: deducor ignarus quid de me fieri deberet. Hic ſubiit miſeranda imago ſacroſanctæ paſſionis Domini ac redemptoris noſtri IESV CHRISTI, qui ſub perfidiſſimis Iudæis mortem ignominioſiſſimam pertulit. hac conſolatione erigebar, & ſufferebam æquiore animo tribulationes. Promoueor interea ad manſionem Vratinge Waſu Reguli, id ſi nomen interpreteris, magnam & candidam auem ſonat. In veſtibulo ſeu proſcenio terræ recens foſſæ cumulus aggregatus erat, cui me imponunt, & ne corruerem, erant quæ me ſuſtentarent. Hic mortem ſane in oculis eſſe credebam, & circumſpiciebam an claua Y^wara Pemme, qua homines mactare ſolēt, parata eſſet: ſciſcitor, num mihi illico moriendum ſit, negant; accedit mulier fragmentum criſtallinum ligno inſertum inflexo, tāquam vimini geſtitans, eo inſtrumento mihi palpebras ſuperciliis deradebat. Barbam autem eodem reſecare tentantem repuli, cum barba, dicens, moriar; illæ relicta barba reſpondens nondum inſtare tempus cædis, nihilominus paucis diebus pòſt forcipe à Gallis accepta eam detondebant.

CAP.

Cap. XXIII.

Choreas mecum inſtituunt ante tuguria, in quibus Tammaraka numina illa ſua ſeu idola repoſita aſſeruabant.



HInc relinquentes locum tonſtrinæ procedunt in veſtibulum tabernaculi, in quo idola ſua Tammaraka repoſuerant. Ibi in circum me cingunt, in medio cum duabus mulieribus à latere vtrinque poſitis conſtitutum: tum ad crura religant quędam crepitacula ex filo pendentia, poſt tergum ad ceruices flabellum ex cauda auium quadrata forma concinnatum, & ſupra ceruices eminens annectunt, quod illorum idiomate Araſoya nominatur. Dehinc mulierum turba vno ore cantiones inchoat; ego ad vocis concentum pedibus, quibus crepitacula innexuerant, terram ferio, vt crepitaculorum reſonantia cum concentu illarum congrueret, quanquam crus ex accepto vulnere, nec dum religato, tantopere doleret, vt ægre ſubſiſterem.

Cap. XXIV.

Poſt Chorearum ritus deducor ad Ipperu VVaſu, qui me mactaret.

Finitis choreis trador in manus Ipperu Waſu, ille ſignificat mihi ſupereſſe adhuc tempus aliquod vitæ meæ: deinde in publicum producunt idola illa ſeu numina ſua, quotquot in tabernaculo habebant, & me in medio illorum cõſtituto, affirmant, horum numine & reſponſo prædictum fuiſſe, Luſitanum ſiue Portugallenſem captum iri.

Ego contra arguebam, nullum eſſe numen idolorum iſtorum, nec ea vocis beneficio eſſe prædita, mentiri etiam in hoc, quod me ex Portugallia oriundum prædicent, eſſe enim amicum Gallorum & cõfœderatum, patriam meam Alemaniam dici. His auditis, mentiri me illis dicebant, ſiquidem ſi amicus Gallorum forem, vt quid inter Portugallenſes verſatus ſim. Sibi ſatis conſtare Gallos æque cum Portugallis inimicitias exercere atque ſeipſos. Gallos etiam quotannis aduectos commutare cum ipſis cultros, ſecures, ſpecula, pectines & forfices pro ligno Braſiliano, Bombace, pipere, & precioſis auium ſuarum pennis ac plumis. Ab his Portugallenſes multum diſſidere, & longe aliter in ſe affectos, vtpote qui iam ante annos aliquot, eas oras ingreſſi, cum hoſtibus ſuis amicitias contraxerint, & domicilia in illorum Regione extruxerint, quæ etiamnum incolant. Poſt ad ſe Tuppin Imbas quoque commerciorum gratia nauibus progreſſos, ad quorum nauigia dum, animo nihil ſiniſtri ſuſpicante aduecti, & ea ingreſſi eſſent (non aliter ac nunc quoque ipſis Gallis conuerſari aſſueuerint) poſt vbi illi naues hoſpitibus complerint, tum comprehenſos vinculis cõſtrinxiſſe, atq; in manus hoſtium tradidiſſe, à quibus trucidati & deuorati ſint. Multos inſuper ex Tuppin Imbis, globulis pixidariis traiectos procubuiſſe, & vt rem verbo expediam, Portugallenſes damna intuliſſe ipſis plurima, cum ſumma inſolentia. Adhæc cum hoſtibus ſæpius pugnatum, ſeque captatum veniſſe.

Cap. XXV.

Illi in quorum cuſtodia eram animo indignante mihi conqueruntur de trucidato patre ſuo à Portugallenſibus, quod factum in me vlciſci ſtatuerint.

COmmemorabant mihi fratres illi duo, qui me captiuum detinebant, vt Portugallenſes patrem ſuum brachio vno cum pixidario globulo truncarint, ex qua plaga vitam finierit: quem parentis ſui interitum, ego iam deberem luere. Reſpondeo, vt quid in me hoc vlciſci velint, me nõ eſſe ex ea natione; ſed paulo ante cum Caſtilionenſibus ex naufragio eo delatum, hoc modo inter ipſos hæſiſſe.

Aderat adoleſcens quidam ex hoc ipſo hominum genere, qui Portugallenſium mancipium ante fuerat. Nam ea natio Barbarorum, inter quos Portugallenſes habitant, armata manu Tuppin Imbarum dominium ingreſſi integrum pagum ceperant. Seniores ex captis deuorârant iuniores quoſdam, quorum ex numero & hic adoleſcens in confinio Brickiocæ apud herum ſuum ex Gallicia oriundum, Anthonium Agodinum nomine, ſeruitutem ſeruierat. Hic ante tres menſes ab iiſdem, à quibus & ego denuo, captus fuerat.

Sed quod eſſet ex eorum genere, vitam illi condonarant: ex hoc igitur, vt cui à facie notus eram, de ſtatu meo ſciſcitabantur, is affirmabat nauem in illa ora periiſſe, & qui euaſerint Caſtilionenſes appellatos, quibus cum Portugallenſibus amicitia intercederet, meque vnum ex illis tum fuiſſe, nihil vlterius ſibi de me conſtare.

Cum ergo audirem, quod & ante iam perceperam, inter hos homines verſari Gallos, qui eo nauigare ſolerent, conſtanter proteſtabar me ex Gallorum confœderatis eſſe, ne me proinde mactarent, priuſquam à Gallis agnitus forem. cuſtodiunt me interim magna cum diligentia.

Verſabantur autem inter ipſos aliquot Galli, qui à negotiatoribus piperi colligendo iſtic relicti fuerant.

Cap. XXVI.

Gallus quidam à negociatoribus iſtic relictus me inuiſit, is deuorandum me eſſe pronunciat, falſo me Portugallenſem dictitans.

QVatuor à tugurio meo miliaribus aberat Gallus, is acceſitus ingreditur tugurium illud, quod mihi è regione poſitum erat. Barbari igitur ad me accurrentes; Venit iam, aiebant, homo Gallus: hinc nobis conſtabit, vtrum & tu Gallus ſis nec ne.

Ego equidem mihi de aduentu eius gratulabar, reputans vtique hominem eſſe Chriſtianum, nec fieri poſſe quin pro me ſententiam ferat.

Deducor ad eum nudus plane, nulloq; velamine tectus: video hominem iuuenem, Karwattuware ab illis vocitatum: eius me compellantis Gallice verba non ſatis aſſequebar. Barbari circumfuſi auſcultabant: vbi non exacte reſponſum expedire vidit, Barbaris illorum lingua ait: occidite hunc, & deuorate hominem nequam. Luſitanus eſt, vtriſque noſtrum & hoſtis & infeſtus.

Hæc verba ſatis intelligens, per ſacra rogo hominem, vt cum illis agat, ne me dilanient: ille autem, deuorabunt te, referebat.

Tum alte ſuſpirans, recordabar verba Ieremiæ Prophetæ, vbi ait Cap. 17. Maledictus qui confidit in homine. atque ita ſumma animi conſternatione digrediebar.

Humeros forte tunc integebam panno linteo, quem ab illis acceperam, quamuis vnde haberent non conſtabat: eum inde deripiẽs, ad pedes iſtius Galli proiicio: ſi vtique mihi moriendum, dico, ad quid carnem meam alterius ingluuiei reſeruauero?

Reducor inde in tuguriolum meum circumſpecte cuſtodiendus, illic me in ſtratum retiforme coniicio. Deum teſtem facio, quibus anguſtiis animus tum contriſtatus fuerit, inchoo voce admodum lamentabili paragraphum hymni ſubſequentis primum:

Sanctum precemur Spiritum
Vera beare nos fide,
Vt nos in hac reſeruet:
In fine nempe vitæ

Hinc quando commigramus
Doloribus ſoluti
Kyrie eleiſon.

Ecce inquiunt, vere hic Portugallenſis, iam horrore mortis eiulat. Gallus prædictus biduum in tuguriis illis commoratus, tertio demum die perrexit. Barbari autem primo quoque die ſimul ac omnia in promptu haberent, neci me tradere decreuerant. Interea aſſeruabar accuratiſſime, ſed & ab omnibus petulantiſſime proſcindebar.

Cap.

Cap. XXXVII.

Grauiſſimis dentium doloribus diuexor.

DVm tot in ærumnis vitam traho, verum eſſe quod dicitur, nullum malum euenire ſolum, re ipſa comperio. Namque ex dentis dolore adeo laborabam, vt marceſcerem. Herus percontabatur me, quî fieret quod tam parce cibum ſumerem, reſpondeo, me dentis cruciatu infeſtari. Affert inſtrumentum ligneum, quo dolẽtem euelleret, ego dolorem ſedatum iam deſiiſſe dico. Ille nihilominus extrahere inſtat. Reſiſto ego quantum poteram maxime, donec incœptum relinqueret. Monet ergo vt comedam, niſi probe ſaginer occumbendum ante iuſtum tempus. O quoties, ſi ita viſum fuiſſet ſuperis, inopina morte intercidere optabam, ſaltem ne impiam eorum & inſatiabilem explerem ingluuiem.

Cap. XXVIII.

Siſtor coram Rege Konyan Bebe, qui in reliquos omnes eius nationis Regulos imperium obtinebat, vbi variis modis excipior.

Diebus aliquot elapſis, in vicum Arirab ad ſummum eorum Regem Konyan Bebe deducor, qui reliquis omnibus imperabat.

Spectatum eo conuenerant plures, tanquam ad ſolenne quoddam feſtum, ipſe etiam ex Regis mandato adueneram.

Cum appropinquarem tugurio, ingens tubarum clangor & exultantium iubilatio exauditur. ante veſtibulum præfixa in contis ſeu perticis capita circiter quindecim erigebantur, ab hoſtibus ſuis deuoratis, quibus Markayas nomen eſt, ablata: hæc inter deducendum mihi commonſtrabant, gloriantes has exuuias hoſtibus ſuis Markayas detractas. Totus equidem angebar animo, de me ſimiliter agendum ſuſpicans. Ingredientem tabernaculi portam, præcurrit quidam ex cuſtodibus mihi adhibitis, alta voce exclamans: Producimus in conſpectum veſtrum mancipium Portugallenſe. Perſuaſum enim habebant egregium quippiam eſſe, hoſtem ſuum in poteſtate habere.

Hæc ergo & alia multa blaterans me coram Rege ſiſtit, qui ſimul cum reliquis in potando erat ſtrenuus, donec ex potione illa ſimul incaleſcerent; illi vero toruum me intuentes dicebant: veniſti tandem ô hoſtis noſter. quibus refero, Veni quidem, ſed animo minime in vos hoſtili. quo audito & mihi poculum hauriendum præbuerunt.

Pridem iam mihi innotuerat fama Regis huius Konyan Bebe, quod & vir magnus eſſet, & tyrannus in vorandis humanis carnibus crudeliſſimus. Videbam autem quem inter illos ex coniectura Regem eſſe ſuſpicor, accedo & compello hominem idiomate ipſis familiari, ſed verbis ſatis inconditis, & vtcunque in buccam venerant: Tune, inquam, es Konyan ille Bebe, & aura adhuc veſceris? Viuo ego equidem refert ille tum laudes illius prædico: nomen tuum, dico, valde celebratur, & magnanimitas tua multum laudis meretur. His auditis, faſtu intumeſcens, aſſurgit, & in conſpectu meo obambulat.

Ex labiis eius pendebat pro more gentis lapis craſſus viridis, haud exiguæ magnitudinis: ex collo ſuſpenderat monile globulis, è cochleæ marinæ genere quodam confectis, & ſerie quadam iunctis ad orgyiarum fere ſex longitudinem, quod mihi indicium fecit, vt inde eum vel ex primoribus aliquem eſſe coniicerem, vel Regem ipſum.

Rex interea denuo ſeſſum iuit, deinde ex me quærebat, quid hoſtes ſui Tuppin Ikinſij & Portugallenſes conſilij contra ipſum capiant, & cur nam eum globo

globo bombardico petere in confinio Brickiocæ non ſim veritus, reſciuerat e-nim illic me ſclopetarium egiſſe. Reſponſum fert, me per Portugallenſes in eam ſtationem locatum, & mandato meo munere ac officio perfunctum fuiſſe. Sed & me Portugallenſem dictitabat, adducens teſtem Gallum illum, quem filii nomine dignabatur: (erat ille, qui ſupra in colloquium ad me vocatus venerat) cuius me linguam non callere dicebat, & ob id me vere Portugallenſem etiam natione eſſe. Affirmo, me quidem linguæ Gallicæ non perinde peritum, quod diuturna abſentia eam dedicerim. Sed ſe quinque iam cepiſſe & deuoraſſe Portugallenſes, aiebat, qui ſimiliter falſo ſe Gallos venditarint. Vnde de ſalute deſperans Deo me commendo, omnes enim pariter mihi moriendum eſſe innuebant. Rex plura percontabatur, de Portugallenſibus, quidnam de ipſo ſentirent, aut quem virum eum exiſtiment, num & illis formidini terrorive foret. Verum eſſe aio, quod ſatis experti ſint, qui vir ſiet, & quas ipſis clades inferat, verum Propugnaculum Brickiocacenſe iam validius eſſe, & munitum firmius aſſero: infert ille, eodem ergo modo eos, quo & ego fuerim, per ſiluas aucupādos eſſe. Ad hæc præmoneo ipſum: Hoſtes tui, dicens, Tuppin Ikinſij 25. ſcaphas expediunt, quibus propediem te aggredientur (quod euentus paulo poſt probauit.) Illo ſciſcitante reliqui auſcultant, & vt rem expediam, multa quæritans, multa iactitans de variis gloriabatur, præſertim quot iam ex Portugallenſibus, & reliquis hoſtibus fudiſſet.

Potus interea eius tugurii exhauſtus fuit, quare ad aliud procedunt, vbi ſimiliter quod biberent in promptu erat: vnde finis colloquio noſtro impoſitus eſt.

Tugurium ingreſſi, variis me ſcommatibus & ludibriis denuo proſcindūt. Regius in eo filius tribus nexibus alternatis crura mihi religauerat: & ita conſtitutum plano pede per ſolum inſultare cogebat: illi riſu diſſolui, dicentes, Ecce ſubſultantem noſtram hanc eſcam. Compello herum meum, qui me adduxerat, & num eo in loco mihi moriendum ſciſcitor: negat is quidem, Sed hos tamen ritus de more inſtitui cum mancipiis exoticis dicebat.

His actis vincula laxantes, & circumfuſi membra mea petulanter contrectant, hic capitis cutem, alter femoris carnem ſibi deſtinando.


Nec hæc ſatis, cantantem quoq; me audire volebāt, canto, quos ſolitus, hymnos pro tempore ſacros: eos vt interpretarer hortantur; ego me laudes Deo meo concinuiſſe aio; illi Deum meum impurum conuitiantur, quod illorum lingua Teuire ſonat. Ægerrime profecto hoc ferens, animo meo immenſam Dei indulgentiam in hos reputabam.

Finito eo per vicum ſpectaculo, poſtridie REX KONYAN BEBE cuſtodibus meis iniungit, vt diligenter me obſeruent.

Eductum ita ex vico vt in pagum VVatribi reducerent, vbi me mactandum volebant, ſarcaſmis amaris inſequuntur, videlicet breui ad herum meum ſe acceſſuros, & de morte mea, deque epulo ex me adornando deliberaturos. Herus autem meus aſſidue formidantem conſolatur, nondum imminere mortem dicens, iubetque animo eſſe æquiore.

Cap. XXIX.

Tuppin Ikinſij, de quibus Regem præmonueram, pagum in quo diuertebar oppugnant, & tabernaculum, in quo morabar, diripere aggre- diuntur.



Interea

INterea 25. ſcaphis aduecti Tuppin Ikinſij, hoſtes huius nationis & cum Portugallenſibus confœderati (quos ſupra antequam reducebar, dixi expeditionem in hanc oram adornare) ſummo diluculo pagum, in quo detinebar, hoſtiliter adoriuntur, & ad caſas noſtras diripiendas accelerant: volant iam vtrinque tela, illi in tectis trepidabāt, & mulieres ſe in pedes conijcere decreuerāt.

Tum eos his verbis aggredior: Vos quidem me hoſtem veſtrum creditis, ſuppeditate iam nunc arcum mihi atque ſagittas, & laxate vincula, & me tuguriorum veſtrorum protectorem modo ſtrenuum experiemini. Illi arma expediunt, ego exhortando, inclamando, & tela diſpergendo quibuſcunque modis poteram, illorum ritus & mores imitabar egregie. Hortor vt forti & præſenti animo hoſtium impetum ſuſtineant, nihil imminere periculi. Sed nihilominus paratus eram crates ſeu cancellos obtenſos perrumpere, & ad hoſtes tranſire, quibus ſatis iam ante innotueram, & quod ibi detinerer eos non latebat, ſed nimis diligenter obſeruabar.

Videntes ergo Tuppin Ikinſij conatus ſuos irritos, & ſe ſpe fruſtratos, cymbas repetunt, & abeunt. Pulſis & fugatis hoſtibus, ego priſtinæ reddor cuſtodiæ.

Capvt XXX.

Primores populi ad Lunam veſperi conuentus agunt.

EOdem quo hoſtes depulſi erant die, ſub veſperam Luna exorta, in aream intra tuguria patentem, conueniunt, deliberant, & tempus decernunt, quo me ſolenniter mactent, ipſum quoque in medio ſtatuunt, & deluſo multa minantur atrocia. Contriſtabar & Lunam fixis oculis intuens, Deum ex animo rogabam, vt finem tandem beatum malorum horum omnium largiatur. Interrogant illi me, vt quid Lunam tam intente ſuſpiciam: reſpondeo, apparet in ea manifeſte, quod admodum ira commota ſit, (figura enim quæ in orbe Lunæ cernitur, aſpectu tam formidabilis mihi videbatur, vt Deo ſimul & omnibus creaturis me infenſum crederem) Regulus Ieppipo Waſu, qui comitia de capite meo inſtituerat, rogat cui nā Luna indignaretur. Tuam, inquam habitationem reſpicit, ob quod reſponſum verbis me aſperis obiurgat. Ego vt effata alio detorquerem: Non equidem tibi indignari exiſtimo, ſed Caryos illud ſeruile genus (ſunt enim & ipſi Barbarorum quædam natio) toruo & concitato vultu intuetur. Sic eſto, inquit ille, & omnino eos peſſime perdat.

Cap.

Cap. XXXI.

Tuppin Ikinſij pagum Mambukaben in tranſitu igne deuaſtant.

POſtero die nunciatur nobis de pago Mambukabe, quem Tuppin Ikinſij in tranſitu oppugnarint, & incolis fuga elapſis, vno duntaxat relicto puero, quem abripuerunt, ædificia illorum incenſa deſtruxerint. Ieppipo Waſu penes quem omne ius mei erat, quique me inclementiſſime tractabat, eò proficiſcitur, vt amicis & confœderatis, in reſtaurandis tuguriis ſubueniret, adiungit ſibi pleroſque omnes, quos domi habebat conſanguineos, & ſimul proponit lutum figulinum, & farinam radicum in ſolennitatem ex me inſtituendam inde aduehere. Diſcedens diligenter me commendat Ipperu Waſu, cui dono me miſerat (abſuturos enim ſe vltra quindecim dies) & quæ feſto celebrando opus erant, conquireret.

Cap. XXXII.

Nauis ex S. Vincentij Inſula aduentans, de ſtatu meo ſciſcitatur, ſed reſponſum frigidum refert.



Intera

INTEREA ex Brikioca Luſitanorum nauis appellit, ea in vicinia anchoram iacit, atq; aduentum tormento diſploſo indicat, quo Barbari audito in colloquium aduentarent. Illi animaduerſa naue, hiſce me alloquuntur: Adſunt amici tui Portugallenſes exploratum forſan, num ſuperſtes adhuc ſis, & precio te redempturi. Reſpondeo, fratrem forſan meum adeſſe: facile enim mihi perſuadebam, ſi qua Portugallenſium naues iſthac præterirent, eas quo in ſtatu viuerem quæſituras. Ne vero Barbari me Portugallenſem ſuſpicarentur, prætendebam fratrem meum inter Portugallenſes verſari, natione ſimiliter Gallum, quem aduenisſe fingebam. Illi autem me non alium niſi vere Portugallenſem ſemper credebant. Ad nauem ergo in colloquium aduecti, quid de me fieret interrogãtur, ſed reſponſum adeo frigidum reddunt, vt vlterius nihil ex ipſis quæſitum ſit. Nauis diſcedit, perſuaſum fortan habens, me iam pridem è medio ſublatum. Quis mihi tunc animus talia cernẽti fuerit, Deum teſtem habeo. Barbari autem mutuo ſibi gratulantes, inuicem dicebant, hic ipſus eſt quem volumus, quemque habemus: naues in eius gratiam miſſæ exploratum veniunt.

CAPVT XXXIII.

Frater Reguli Ieppipo VVaſu, ex pago Mambukabe reuerſus, conqueritur de fratre ſuo, de matre, & reliquis ſimul omnibus ægrotantibus, petit vt cum Deo meo agam, quo valetudini reſtituantur.

DVM indies aduentum eorum, qui neceſſaria in mei immolationem conquiſitum profecti erant, anxie expecto; exaudio interea eiulatum in abſentis Reguli tugurio. Trepidabam equidem valde eos iam reuerſos exiſtimans (Barbarorum enim conſuetudine, ſi vel per quadriduum abſens reuertatur, eum cum lachrymis & ploratu præ gaudio excipiunt.) Non longo interiecto interuallo accedit ad me, qui indicaret aduenifſe fratrem heri mei, nuntiantem reliquos omnes grauiter decumbere. hoc audito, gaudeo in ſinum tacite, & Deum aliquid miraculi operaturum confido. Paulo poſt idem frater Reguli me conuenit, aſſidet, & plorans conqueritur fratrem ipſum, matrem, & fratris liberos omnes morbo correptos eſſe, ſe autem miſſum vt diceret, quo apud Deum meum pro ſalute ipſorum intercederem. Frater meus, inquit ille, plane ſibi perſuaſum habet, Deum tuum ira in ipſum ſuoſque admodum commotum eſſe. Omnino vobis, inquam, Deus iraſcitur, qui me hominem vobis amicum deuorare inſtituitis, in quem finem etiam profectionem in Mambukaben ſuſcepiſtis, vt iſtic neceſſaria comparetis. Adhæc me Portugallenſem dictitatis, cum nihil minus ſim. Iubeo autem ad fratrem abeat, & illi nuntiet, vt reuertatur, ad tugurium ſuum, vbi cum Deo acturus ſim, vt plane conualeſcat. Reſpondet ille, viribus eum adeo proſtratis eſſe, vt mutando loco non ſufficiat, ſe tamen eſſe eius fiduciæ, & ſatis ex anteactis perſpexiſſe, ſi precibus ſaltem cum Deo agam, aut animo in ipſos eſſem beneuolo, valetudini priſtinæ reſtitutum iri. Affirmo, tantum illi virium ſupereſſe, vt ad domum ſuam redeat, iſtic ſalutem plene recuperaturum. Hoc accepto reſponſo regreditur in pagum Mambukaben, qui milliaribus circiter quatuor aberat.

CAPVT XXXIV.

Jeppipo VVaſu Regulus æger cum ſuis domum reuertitur.



DIEBVS aliquot elapſis, domum reuertuntur omnes ægri ſiſtor coram Ieppipo VVaſu vocatus; is enarrat, vt omnes valetudinem amiſerint, cuius rei præſcius fuerim: ſe enim recordari verba mea, qui Lunam iraſci ſuis ædibus prædixerim. Audito hoc eius ſermone, ipſe mecum reputo, plane nutu diuino factum eſſe, quod de Luna ſub veſperam illam vaticinatus fuerim. Lætabar admodum, & Deum hoc ipſo die manifeſto numine mihi prȩſto eſſe agnoſcebam. Annuo ergo, & aio, omne hoc malum ex eo eſſe, quod me, cum hoſtis non ſim, nihilominus deuorare velit. Ille fidem facit me ſaluum poſthac & tutum fore, efficerem modo vt valetudini reddatur. Hærebam dubius quid prius facerem. cogitabam enim, ſi conualuerit, æque mihi pereundum erit; ſin morietur, dicent ceteri; Occidamus hunc, priuſquam nobis plus mali ab eo immineat. & hi quidem ſermones inter ipſos iam tum ſpargebantur. Quapropter Deo rem omnem committo. Ieppipo inſtat apud me precibus, vt ipſis in hoc diſcrimine præſto eſſe velim: circumibam, & manus in capita eorum imponebam, quandoquidem ita fieri ipſi à me flagitabant, ſed Deo viſum erat aliter: illi animas paulatim efflant. Infans primum expirat, dehinc mater eius mulier admodum decrepita: hæc occupata fuerat in parandis vaſis fictilibus ad potiones coquendas neceſſariis, quando epulum ex me inſtitueretur. Aliquot dierum interuallo poſt frater illius decedit, & infans alius; mox frater item alius, is nimirum, qui primus nuntiarat, illos ægros eſſe. Ieppipo videns liberos, & matrem cum fratribus iam mortuos, de ſua & coniugis ſalute admodum ſollicitus, orat me vti Deum rogem, quo iræ ſuæ moderaretur, nec odiis vlterius tenderet, vitam reliquam ipſi condonet: conſolor ipſum magnifice, & melius ſperare iubeo; ſaltem ne de me trucidando poſthac vbi melius habuerit, in animum inducat. Neget ſe id facturum, & ſimul omnibus per tugurium illud ſerio edicit, ne mihi poſthac negotium faceſſant, neve mortem minitentur. Decubuit is quidem adhuc aliquanto tempore: verum valetudini integræ vna cum coniuge tandem redditus eſt. Perierant autem circiter octo, ſanguine huic Regulo iuncti, præter ceteros, omnes dum viuerent, mihi moleſtiſſimi.

CAP.

Cap. XXXV.

Duo præterea Reguli ex ceteris tuguriis me adeuntes ſomnia viſa enarrant, mitius ipſe ab illis deinceps tractor.

PRÆERANT præterea duo Reguli, alter Vratinge VVaſu, alter vero Kenrimakui nomine. Vratinge ille VVaſu in ſomnis viderat, me coram ipſo comparentem mortem ipſi prædicere: is ſummo mane me accedit, & ſomnium recitat. Ego melius ipſum ſentire iubeo, & ſi in meam internecionem nō conſentiat, nec reliquos conſilio iuuet, ipſum euaſurum incolumem dico: proteſtatur ergo ſe nec conſilia ſua conferre, nec damni mihi quicquam inferre in animum inducturum, maxime cum videat eos, qui me cepiſſent, ſe continere: aut ſi vtique immoler, ſe tamen ab eſu carnium mearum abſtinere decreuiſſe.

Viderat & alter Kenrimakui ſomnium, ex quo admodum conſternebatur: aduocat me in tugurium ſuum, & conqueritur, quod Portugallenſem aliquando à ſe captum, & occiſum, tam auide manducaſſet, vt ex eo etiam nunc pectoris anguſtia laboraret, proinde poſthac illorum carnes ſe non appetiturum. Nunc vero ſomnium adeo horrendum de me illi apparuiſſe, vt ſibi mortem inde præſagiat. Hortor ego eum, vt ſibi nihil inde metuat, modo ne carnibus humanis poſthac veſcatur.

Vetulæ præterea mulierculæ, quæ paſſim per tuguria mihi, vellicationibus & plagis me plurimū diuexerant, iam me Scheraeire vocant, quod idem ſonat, ac ſi dicas, mi fili eſto ſaluti meæ propitius. Namque quod de modis tam indignis tractauimus, factum id fuit à nobis perſuaſis te Portugallenſem fuiſſe: illud enim genus hominum extreme odimus. Nam & nos Portugallenſes iam aliquot abſumpſimus, nec tamen illorum Deum adeo irritauimus. Hinc vero nobis iam liquido conſtat, te non eſſe Luſitanum.

Inter illos ergo aliquandiu verſor, incertos vtrum Gallus an Luſitanus eſſem: barbam enim rubere mihi inſtar Galli dicebant, viſos autem ſibi Portugallenſes, barbas plerunque nigras alere.

Incuſſo hoc illis terrore, & hero meo iam conualeſcente, conticebant reliqui de eſca ex me ſibi paranda: Interim nihilo ſecius cuſtodibus adhibitis obſeruor, nec libere inter eos vagari etiam dum mihi concedebatur.

CAPVT XXXVI.

Gallus, qui me Barbaris manducandum prodiderat, reuerſus, rogatur vt me ſibi adiuncto abitum paret: verum neuter herus permiſit.

Gallvs Karvvattuvvare, poſtquam, vt ſupra monui, Barbaris comitantibus, à me diſceſſiſſet, & colligendis mercibus in ea regione natis, vtpote piperi, & cuidam plumarum generi, ab auibus apud illos etiam vulgaribus vulſis, varia iam loca peragraſſet, illi tranſeundum erat in reditu per pagum manſionis meæ, ſi loca maritima Mungu VVappe & Iterro enne vocata, vbi naues appellere ſolent, petere deſtinaret. Is digrediens primo non aliter colligere poterat, quam quod me deuoraturi eſſent, vt præceperat, & quia diutius iam abfuiſſet, plane me deuoratum eſſe exiſtimabat. Is reuerſus in tugurium meum, alloquitur me vinculis ſolutis libere incedentem, lingua barbara, & quid adhuc in viuis ſuperſim rogitat: annuo, & id Deo acceptum ferre me dico. Quoniam vero à Barbaris intellexiſſet, vt facile colligere poteram, quid interea temporis acciderit, ſeorſim eum auoco, ne colloquium noſtri Barbari obſeruarent, & in hanc ſentẽtiam compello. Vides ô amice, inquam, quod ex diuina gratia ſuperſim, nec ſim ex Portugallia oriundus, ſed Germanus natione, cum Hiſpanis autem naufragium paſſus ad Portugallenſes euaſerim: propterea Barbaros ea de re plenius edoce, quod videlicet ex confœderatis Gallorum amicis originem traham, & ad nauium ſtationem, quam petis, me adiuncto proficiſcere; metuebam enim (niſi hoc diceret) mendacii me inſimulaturos, & tandem, cum ira corriperentur, me necaturos. Ad hæc lingua ipſum Barbaris familiari obteſtor, vt ingenue pronuntiet, quid ſenſerit, num animum Chriſtianæ charitatis igniculo delibutum habuerit, ſiue futuræ vitæ memoriam recoluerit, quod cædis meæ autorem ſe & reum fieri non fuerit veritus. Ille reſipiſcens reſpondit, ſibi non aliter perſuaſum, quam me Luſitanum eſſe, qui adeo crudeles ſint, vt ſi quos Gallorum in Braſiliana prouincia obſeruent, illico ſuſpendio eos afficiant. & res ſe non aliter quidem habet. Ad hæc tempori hoc in loco eſſe inſeruiendum, ac multa ferenda ac facienda in Barbarorum gratiam, quorum ſententiæ & conſuetudini tractandis hoſtibus ſuis, æquum ſit acquieſcere, quandoquidem illi forent Portugallenſium hoſtes infenſiſſimi.

Tantum ergo preces meæ valuerunt, vt me Barbaris excuſaret, qui principio ab ipſo non agnotus fuerim, & Alemannum natione Gallis amica eſſe diceret,

ceret, cupere etiam me ſibi comitem ad nauium ſtationem habere. ſed ab heris meis reſponſum, non me dimiſſum iri, niſi pater meus aut fratres ipſimet aduenient cum naue inſtructa ex ſecuribus, ſpeculis, cultris, pectinibus & forficibus, quibus redimere me filium ſuum velint: eſſe enim me modo ſeruum ipſorum & mancipium, ſiquidem in hoſtium territorio per ipſos captus ſim.

His perceptis, ſatis, inquit, aſſequeris, quod te non dimittent: obſecro itaq; hominem, vt curet me prima claſſe auocari, & in Galliam deportari: ille data fide, hoc ſe curaturum recipit, & Barbaris, vt mei rationem habeant, & ſaluti conſulant, hortatur, affuturos enim propediem conſanguineos meos, & magno me redempturos: quibus finitis ad iter ille accingitur. Poſt abitum Galli iſtius quærebat ex heris meis alter, Alkindar Miri, quidnam ab Karvvattuvvare Gallo acceperim dono? & nunquid conterraneus meus ille fuerit? annuo fuiſſe. pergit animo concitato, vt quid ergo cultellum, aut quid eiuſmodi tibi non tradidit, quod mihi offerres?

Illi omnes tandem valetudini priſtinæ redditi, denuo ſuccenſent, & animo in me abalienato murmurant, Gallos ſimul & Portugallenſes eiuſdem farinæ eſſe dicentes.

CAPVT XXXVII.

Manducant captiuum quoddam mancipium, & me ſpectatum illud ſibi adiungunt.

ALIQVOT diebus poſt, captiuum quendam, quem habebant epulandum, apparant, in pago Tickquarippe ad ſex milliaria ab eo loco, vbi captiuus detinebar, diſſito: qui ex noſtro tugurio illis epulis intereſſe cupiebant, me ſibi comitem adiungunt. Mancipium eſca futurum, natione Markaya erat. Scapha ergo eo vecti ſumus.

Vbi tempus potationi deſtinatum aduenit (mos enim eſt vt hominem deuoraturi, potionem Kavvai appellatam è radicibus conficiant, qua epota, demum victimam cædant) ſub veſperam quæ præcedebat diem victimæ, accedo & compello eum: Age tu, inquam, iam probe neci accinctus es? Affirmat ſubridens, & omnia ſic ſatis parata, ait, prçter Muſſuranam (ea eſt retinaculum ſeu funis deuinciendis captiuis ex Bombace contortus, & digiti craſſitudinem excedens) quæ æquo breuior ſit, & ſex orgyis eam longiorem eſſe conueniat, qualis quidem in patria, vt aiebat, ſua, multo foret excellentior. Verbis eiuſmodi feſtiuis ille tanquam ſacris aut ludis affuturus animum demulcebat ſuum.

Habebam forte librum in manibus, lingua Portugallica ſcriptum, quem Barbari in naui ope Gallorum capta acceperant, mihique obtulerant. Relinquo captum illum hominem miſerum, & librum lego; ſed dolens vicem eius, reuertor paulo poſt ad eum denuo, (eſt enim natio ea Markayas amicitiæ fœdere Luſitanis iuncta) & his verbis conſolor eum: O amice, ne putes me tui vorandi cauſa huc aduentaſſe, ſum enim perinde captiuus ac tu: ſed heri mei huc me perduxerunt. Tum ille, Satis, inquit, mihi conſtat, vos humana carne non veſci.

Addo etiam animum illi, quia carnem duntaxat eius deuoratum iri, animam vero alió (quo nimirum & noſtræ ſolent, vbi gaudia infinita regnent) commigraturam. Quærit ille, num vera commemorem? omnino affirmo: ſed Deum ſe oculis, ait, nunquam vidiſſe: at in futura vita id contingere reſpondeo, & finem colloquii faciens digredior.

Oboritur ſequente nocte tanta tempeſtas, ventique tanto impetu conſurgunt, vt tecta ædificiorum partim diruerent.

Barbari

Barbari indignari, atque ſua lingua dicere: Apo Meiren geuppauoy Wittu Waſu Immou, hoc eſt, Sceleſtus ille homo diuinator hos ventos cauſatur. Vidimus eum heri pelles tonitruum reuoluere (hac periphraſi librum à me inſpectum deſcribebant) quoniam victima ſit ex amicis Luſitanorum, vt eo pacto tempeſtatibus coortis feſtiuitas impediatur. Verum ego Deo ſupplicans his verbis precabar: Domine, fuiſti hactenus protector meus, ne ſubtrahe manum tuam, quoniam fremebunda Barbarorum turba in me conſurgit ferociter.

Sol mane ſereno cælo procedit, illi potiones ſuas animo pacato pro more euacuarunt. Redeo ad mancipium cædi deſtinatum, & Deum in præterita ventorum procella animum eius ablatum veniſſe ſignifico. Poſtridie eius diei cæſus ille & deuoratus fuit.

Quos vero ritus inter hæc ſacra obſeruari mos ſit, lector beneuolus in ſecundo libro, capite 29. requiret.

CAP. XXXVIII.

De iis qui acciderunt in reditu poſt comeſtum illud mancipium.



Peracta

Barbari indignari, atque ſua lingua dicere: Apo Meiren geuppauoy Wittu Waſu Immou, hoc eſt, Sceleſtus ille homo diuinator hos ventos cauſatur. Vidimus eum heri pelles tonitruum reuoluere (hac periphraſi librum à me inſpectum deſcribebant) quoniam victima ſit ex amicis Luſitanorum, vt eo pacto tempeſtatibus coortis feſtiuitas impediatur. Verum ego Deo ſupplicans his verbis precabar: Domine, fuiſti hactenus protector meus, ne ſubtrahe manum tuam, quoniam fremebunda Barbarorum turba in me conſurgit ferociter.

Sol mane ſereno cælo procedit, illi potiones ſuas animo pacato pro more euacuarunt. Redeo ad mancipium cædi deſtinatum, & Deum in præterita ventorum procella animum eius ablatum veniſſe ſignifico. Poſtridie eius diei cæſus ille & deuoratus fuit.

Quos vero ritus inter hæc ſacra obſeruari mos ſit, lector beneuolus in ſecundo libro, capite 29. requiret.

I

Cap. XXXVIII.

De iis qui acciderunt in reditu poſt comeſtum illud mancipium.



Peracta

Barbari indignari, atque ſua lingua dicere: Apo Meiren geuppauoy Wittu Waſu Immou, hoc eſt, Sceleſtus ille homo diuinator hos ventos cauſatur. Vidimus eum heri pelles tonitruum reuoluere (hac periphraſi librum à me inſpectum deſcribebant) quoniam victima ſit ex amicis Luſitanorum, vt eo pacto tempeſtatibus coortis feſtiuitas impediatur. Verum ego Deo ſupplicans his verbis precabar: Domine, fuiſti hactenus protector meus, ne ſubtrahe manum tuam, quoniam fremebunda Barbarorum turba in me conſurgit ferociter.

Sol mane ſereno cælo procedit, illi potiones ſuas animo pacato pro more euacuarunt. Redeo ad mancipium cædi deſtinatum, & Deum in præterita ventorum procella animum eius ablatum veniſſe ſignifico. Poſtridie eius diei cæſus ille & deuoratus fuit.

Quos vero ritus inter hæc ſacra obſeruari mos ſit, lector beneuolus in ſecundo libro, capite 29. requiret.

CAP. XXXVIII.

De iis qui acciderunt in reditu poſt comeſtum illud mancipium.



Peracta

PEracta ea ſolennitate, habitationes noſtras repetimus : herus meus portionem aſſæ carnis in reditum aſſumpſerat. Triduum autem in itinere, quod alias vnius diei erat, inſumpſimus. Ventus enim vehemens nobis aduerſabatur,& pluuiæ erāt continuæ. Sub noctem primi diei cum tuguriola in ſiluis parabamus, inſtabant Barbari, vt efficerem, quo tempeſtate diſſipata cęli ſerenitas effulgeret. Erat puer inter nos, qui carnes oſſi ex epulis reſeruati adhuc inhærentes dentibus rodebat, quod cernens, iubeo illud proiicere. Ille autem & ſimul reliqui fremebundi reſpondent, has eſſe lauticias ipſorum.

Iam quartam miliaris partem duntaxat domo aberamus, ſed ob ventos aduerſos, & fluctus æſtuantes vlterius tendere non licebat. Scapham ergo ſubducimus, poſtridie domum in ea reuerſuri, ſi æſtus maris placaretur: ſed tempeſtas nihil remiſerat. Conuenitur de itinere pedibus ingrediendo, & ſchapham pulſis nubibus reducendo.

Dum itineri paramur, quiſque quod in promptu erat comedunt. Puer, quem ſupra dixi, os ſuum rodebat gnauiter, donec probe roſum tandem proijceret. Illo proiecto pedibus iter facimus, cælum reniteſcit. Videtis iam nunc, aio, nunquid illuſerim vobis, cum Deum iratum dicerem, ob puerum, humanum os illud rodentem? illi reſpondent, nihil futurum fuiſſe periculi, dummodo me inſcio comediſſet.

Vt in tugurium redii, interrogat me alter eorum, in cuius poteſtate eram Alcindar nomine, nunquid vidiſſem, quod in hoſtes ſuos ſtatuerent? vidiſſe quidē aio, ſed epulas illas multo crudeliores, quam mortem ipſam me exiſtimare. Ita eſt, inquit, & hunc morem in ipſis etiam Portugallenſibus obſeruamus.

Erat Alkindar ille mihi admodum infeſtus, atque optaſſet, vt cui dono me dederat, me occideret. Nam Ipperu Waſu, vti dictum eſt, eidem donauerat mancipium, cædendum, vt maiorem nominis gloriam ex eo cæſo ſibi adquireret. Alkindar contra ſe primum quemcunque cepiſſet, illi donaturum promiſerat. Quod pactum cum in me non exſoluere ipſi liceret, nihilominus grata ipſi cædes mea fuiſſet: ſed obſtabat frater, qui ſibi plura infortunia inde metuebat.

Inſuper, priuſquam ad feſtiuitatem epularum ſuperius inſtitutam cum reliquis profiſciſcerer, denuo mortem minitatus mihi erat Alkindar.

In abſentia mea tantopere ex oculis laborare occeperat, vt decumbere cogeretur, ad tempus plane cæcutiens. Vrget ergo me aſſidue, vt cum Deo agam de oculorum ſuorum valetudine. Adſentior, ſed ea lege, ne poſthac iterum in me irritetur: quod vbi promiſiſſet, viſum paucis diebus præteritis recuperat.

Cap. XXXIX.

Alia denuo nauis à Luſitanis ad ſtatum meum explorandum mittitur.



Menſem

MEnſem iam quintum inter miſerias haſce vitam ægerrime trahebam, cum denuo alia nauis ex Inſula S. Vincentij aduentabat. Luſitani enim etiam hoſtium ſuorum fines, probe tamen inſtructi ingredi ſolent negotiationis ergo, permutantes cultros & falces meſſorias pro farina Mandiocæ, quæ apud Incolas illas abunde quibuſdam locis aſſeruatur. Hac maxime indigent Luſitani, qui mancipiis abundant, quorum opera ad coquendum ſaccharum vtuntur, vt ea ſuſtentare poſſint.

Moris autem eſt, dum qui in nauibus ſunt, negotiationem cum Barbaris exercent, vt vnus atq; alter ex Barbaris in ſcapha ad eos accedant, & merces ſuas quam poſſunt ocyus offerāt, repoſcentes viciſſim, quæ ſibi maximè vſui videntur, quæ à Luſitanis accepta expedite auferunt. Interim dum duo iſti in contrahendo occupantur, aliæ adhuc ſcaphæ Barbaris refertæ è longinquo hos obſeruant, donec ſe expediant, quo facto Barbari ſparſis iaculis ſæpius acriter cum Luſitanis ex ſcaphis prœliantur, & tum demum reuertuntur domum.

Nauis, quam ſupra diximus, tormentum bellicum in aduentus ſui indicium explodit: Barbari ſcaphis appropinquant, ex quibus an adhuc ego ſuperſim quærunt His affirmantibus, vt in conſpectum venirem petunt: eſſe enim ciſtam penes ſe mercibus plenam, à fratre meo etiam Gallo, qui ea in naui ſimul aduectus ſit, mihi apportatam.

Erat autem in naui inter Portugallenſes quidam natione Gallus, Claudius Mirandus nomine, quo antehac familiariter vſus fueram: eum ego fratrem meum dictitabam, & cum illis quæſitum me aduentaſſe, vtpote qui in proxima nauigatione quoque iam ante adfuiſſet.

Reuerſis itaque & referentibus mihi fratrem meum cum ciſta mercibus referta denuo aduentaſſe, & conſpectum meum expetere, peto vt à longe me ad nauem vehant, vt in fratris colloquium venirem. Portugallenſes noſtram linguam non aſſequi poſſe. Illi quoque me iniūcturum dico, vt reuerſus domum, patrem hortetur, quo naue probe inſtructa, variis mercibus me redemptum veniat. Illi quidem contenti erant, ſed verebantur, ne noſtrum colloquium etiam Portugallenſes aſſequerentur, quandoquidem graue bellū ad menſem Auguſtum proximum in oras Brickiocacenſes apparabant, & quod omnium illorum conſiliorum particeps eſſem, metuebant ne quid ipſis proderem. Sed conſtanter affirmantem Portugallenſes noſtræ linguæ plane ignaros, intra lapidis iactum me ad nauem aduectant, nudum plane, vti ſemper inter ipſos verſabar.

Aduectus ſaluto eos, & vt vnus quiſpiam ipſorum ſolus mecum colloquiū inſtituat, hortor, nec non niſi me Gallum profiteatur. Incipit quidam Ioannes Sanches Cantaber, mihi familiariſſime notus, his verbis: Tui gratia, ô frater optatiſſime, aduenimus, dubij de incolumitate tua, quādoquidem prior nauis in hoc miſſa, plane nihil de te nobis relatum affirmare poterat.

Braſcupas Capitaneus, qui in Sancto eſt, nobis iniunxit, vt ſi te ſuperſtitem videremus, de redimendo te actionem inſtituamus, ſin hac non procedat, vt quoſdam ex hoſtibus capiamus, quorum permutatione te recuperare liceat.

Reſpondeo,Deûm hoc officij recompenſaturum,me quidem in extremo verſari periculo,nec ſcire quid de me poſthac ſtatuere velint,& niſi Deus tā clementer auertiſſet, iam dudum ipſorum eſca fuiſſem,de redimendo me ne cogitent, ſaltem conſtanter me natione Gallum dictitent, & hamos ac cultros propter Deum mihi communicent. Offerunt illi prompte quod rogabam: & Barbarorum quidam ſcapha ad nauem aduectus merces oblatas excipit.

Animaduertens autem non vlterius mihi per Barbaros colloquium concedi, præmoneo Portugallenſes de bello, quod denuo contra Brickiocacenſes magno apparatu adornent, ad quæ & illi ſimilia reſpondent: nihilo ſegnius enim etiam ſuos Barbaros idem moliri, qui recta ad pagum, in quo ego detinear, deuaſtatum venturi ſint, proinde iubent eſſe animo forti, Deum omnia in melius diſpoſiturum, me ipſum ſatis intelligere, modo nihil cum fructu poſſe confici, ad quæ talibus reſpondeo: cum hæc peccatorum meorum culpa ſit, ſatius eſſe in hac vita eam, quam in futura luere. Intercedant & ipſi pro me apud Deum, vt liberum ex his malis me pro ſua clementia eripere dignetur. Hiſce colloquium abrumpens, licet illi potrahere cuperent, valedico illis, ſiquidem Barbari domum me abducentes id vetabant.

Cultellos autem & hamos ipſis trado, quæ à fratre meo Gallo me accepiſſe affirmo. Quærunt ex me: quidnam frater meus tam longo ſermone ſibi voluerit & quid ego reſponderim? dico, fratri me iniunxiſſe, vt à Portugallenſibus aufugiat; ac patriam repetat, vbi nauem mercibus oneret, quibus me redimat, quoniam vos viros probos experior, qui me ſatis humaniter tractetis, quā pro beneficio gratiam allata naue vobis relaturus ſim. Hac ratione omnia, quæ ipſis arridebant loquendo, mihi deliniendi erant, idque maximopere ipſis gratum erat.

Hinc ſe vltro inuicem compellantes, dicebant: Reuera Gallus eſt æſtimandus, eaque cauſa clementius deinceps cum eo erit agendum. Si ergo tempus inter illos terens, frequenter nauem propediem affore inculcabam, tractent modo me interim humanius. Siluas ergo libere cum illis frequentabam, tum ſi quid conficiendum erat, & ego in partem laboris ſimul adhibebar.

Cap.

Cap. XL.

Mancipium quoddam me apud Barbaros frequenter calumniabatur, optans, vt ab illis deuoratus perirem; vice autem verſa id ipſum cæſum, me præſente, voratur.



AGebat inter illos mancipium natione Carios, qui & ipſi inimicitias agunt cum Barbaris, quibus Luſitani amicis vtuntur. Aufugerat autem iſte à Luſitanis, in quorum poteſtate fuerat, & ad hos ſe receperat. Nec vero ad ſe confugientes occidunt, niſi quid magni deſignarint, ſed pro ſeruis habentes, illorum opera atque miniſterio vtuntur.

Carios ille iam per triennium inter Tuppin Imbas vitam traduxerat, affirmabat nihilominus impudentiſſime, quod me inter Portugallenſes vidiſſet aliquoties globis petentem Tuppin Imbas, quando militatum eò aduentaſſent.

Luſitani ante annos aliquot traiecerant globo quendam ex Regulis Tuppin Imbarum: id per me factum ille mentiebatur, & vndiquaque calumniandi occaſionem captabat, vt me occiderent: eſſe enim me ex ipſorum infenſiſſimis hoſtibus, ſeque teſtem horum oculatum aſſerebat, cum tamen omnia malitioſe eſſent conficta. Nam ille iam triennium inter iſtos vixerat, ego vero vix anno elapſo in S. Vincētii inſulam delatus fueram, vnde iſte aufugerat. Deum itaque aſſidue rogabam, vt ab improbo hoc calumniatore me defenderet.

Accidit ergo præter ſpem anno 1554. Menſe ſexto, ex quo in poteſtate horum fueram, vt Carios iſte grauiter ægrotaret. Rogat me ipſius herus, vt illi conſulam, & ægrotanti ſubueniā, quo feras nobis venaretur in vitæ ſubſidiū, quippe qui me participem quoque prædæ faciat, quotieſcunque cepiſſet quippiam: Sin de ſalute ipſius deſperem, alteri cuidam amico dono daturum, qui cæde eius nomen ſibi illuſtret, decubuerat autem iam dies circiter decem.

Vtuntur in curandis morbis dente, ex ore animalis, cui Backe nomen eſt, deſumpto: illum ſolerter acuunt, illoque cutem, vbi ſanguis moleſtus eſt, incidunt, ex qua ſectione ſanguis profluens imminuitur, quod perinde eſt, atque ſi apud nos quiſpiam cucurbitulis ſeu ſcarificatione vtatur.

Ego arrepto dente conabar illi venam brachii dextri quæ media eſt, ſiue hepaticam, incidere: ſed inſtrumētum hebetius erat, quam vt penetrare poſſet. circumſiſtebant autem me plurimi: deſerentem ergo ægrum deſperatum, rogitant, num valetudini reſtitui queat? Dico, me nihil profeciſſe, nec ſanguinem more debito potuiſſe elicere, ipſos quoque præſentes hoc obſeruaſſe. Ergo actum eſt, vt videmus de eo inquiunt, proinde occidamus eum, priuſquā moriatur. Interdico id illis, quod forſan priſtinæ valetudini reſtitui poſſet. Sed incaſſum reſiſto illorum conatibus. Protrahitur in proſcenium tugurii Vratinge VVaſu, duo nutantem ſuſtentant: Vires enim adeo proſtratæ erant, vt nec ſubſiſteret, nec quid de ſe fieret animaduerteret. Accedit cui dono oblatus erat, & clauam tanto impetu occipiti impingit, vt cerebrum diſpergeretur. Hoc peracto relinquunt eum in area, & neceſſaria ad epulandum apparant: quod cum prohiberem, & cadauer verius morboſum quā hominem fuiſſe dicerem, vnde & ipſi contagio inficerentur, dubii hærent quid facto prius fore arbitrentur. His ſuperuenit ex meo tugurio, qui mulieres conuocat, edicit focum ſecus occiſum inſtruant, & ſimul caput à trunco aufert: fuerat enim vnoculus, & ex morbo luridus, ob id caput abiiciens, trūcum flammis vſtulabat, ad cutis vſq;

decortica-

Cap. XL.

Mancipium quoddam me apud Barbaros frequenter calumniabatur, optans, vt ab illis deuoratus perirem; vice autem verſa id ipſum cæſum, me præſente, voratur.



AGebat inter illos mancipium natione Carios, qui & ipſi inimicitias agunt cum Barbaris, quibus Luſitani amicis vtuntur. Aufugerat autem iſte à Luſitanis, in quorum poteſtate fuerat, & ad hos ſe receperat. Nec vero ad ſe confugientes occidunt, niſi quid magni deſignarint, ſed pro ſeruis habentes, illorum opera atque miniſterio vtuntur.

Carios ille iam per triennium inter Tuppin Imbas vitam traduxerat, affirmabat nihilominus impudentiſſime, quod me inter Portugallenſes vidiſſet aliquoties globis petentem Tuppin Imbas, quando militatum eò aduentaſſent.

Luſitani ante annos aliquot traiecerant globo quendam ex Regulis Tuppin Imbarum: id per me factum ille mentiebatur, & vndiquaque calumniandi occaſionem captabat, vt me occiderent: eſſe enim me ex ipſorum infenſiſſimis hoſtibus, ſeque teſtem horum oculatum aſſerebat, cum tamen omnia malitioſe eſſent conficta. Nam ille iam triennium inter iſtos vixerat, ego vero vix anno elapſo in S. Vincētii inſulam delatus fueram, vnde iſte aufugerat. Deum itaque aſſidue rogabam, vt ab improbo hoc calumniatore me defenderet.

Accidit ergo præter ſpem anno 1554. Menſe ſexto, ex quo in poteſtate horum fueram, vt Carios iſte grauiter ægrotaret. Rogat me ipſius herus, vt illi conſulam, & ægrotanti ſubueniā, quo feras nobis venaretur in vitæ ſubſidiū, quippe qui me participem quoque prædæ faciat, quotieſcunque cepiſſet quippiam: Sin de ſalute ipſius deſperem, alteri cuidam amico dono daturum, qui cæde eius nomen ſibi illuſtret, decubuerat autem iam dies circiter decem.

Vtuntur in curandis morbis dente, ex ore animalis, cui Backe nomen eſt, deſumpto: illum ſolerter acuunt, illoque cutem, vbi ſanguis moleſtus eſt, incidunt, ex qua ſectione ſanguis profluens imminuitur, quod perinde eſt, atque ſi apud nos quiſpiam cucurbitulis ſeu ſcarificatione vtatur.

Ego arrepto dente conabar illi venam brachii dextri quæ media eſt, ſiue hepaticam, incidere: ſed inſtrumētum hebetius erat, quam vt penetrare poſſet. circumſiſtebant autem me plurimi: deſerentem ergo ægrum deſperatum, rogitant, num valetudini reſtitui queat? Dico, me nihil profeciſſe, nec ſanguinem more debito potuiſſe elicere, ipſos quoque præſentes hoc obſeruaſſe. Ergo actum eſt, vt videmus de eo inquiunt, proinde occidamus eum, priuſquā moriatur. Interdico id illis, quod forſan priſtinæ valetudini reſtitui poſſet. Sed incaſſum reſiſto illorum conatibus. Protrahitur in proſcenium tugurii Vratinge VVaſu, duo nutantem ſuſtentant: Vires enim adeo proſtratæ erant, vt nec ſubſiſteret, nec quid de ſe fieret animaduerteret. Accedit cui dono oblatus erat, & clauam tanto impetu occipiti impingit, vt cerebrum diſpergeretur. Hoc peracto relinquunt eum in area, & neceſſaria ad epulandum apparant: quod cum prohiberem, & cadauer verius morboſum quā hominem fuiſſe dicerem, vnde & ipſi contagio inficerentur, dubii hærent quid facto prius fore arbitrentur. His ſuperuenit ex meo tugurio, qui mulieres conuocat, edicit focum ſecus occiſum inſtruant, & ſimul caput à trunco aufert: fuerat enim vnoculus, & ex morbo luridus, ob id caput abiiciens, trūcum flammis vſtulabat, ad cutis vſq; decortica-

decortica-

decorticationem, poſt in æquales partes ſectum diſtribuit pro more inter reliquos comedendum, excepto capite & inteſtinis, à quibus abhorrebant, quod morboſus fuiſſet.

Dum per tuguria obambulo, & hic crura, iſtic brachia, alibi ſegmina lumborum ſupra prunas torreri video, ſimul illis hæc commemoro: Carios ille, inquiens, dum viueret, ſtudio me apud vos aſſidue calumniatus fuit, dictitans me ex amicis veſtris quoſdam globis peremiſſe, dum inter Portugallenſes egerim, quod mendacium ſane impudentiſſimum fuit: nam me nunquam iſtic conſpexit. Omnibus autem vobis abunde conſtat, & notorium, quod iam annos aliquot vobiſcum iſte tranſegerit, valetudine vſus ſatis commoda. Is mendacio ſuo Deum meum irritauit, qui ipſi morbum immiſit, & vt cæſus à vobis comederetur, animos veſtros incitauit. Hoc exemplum Deus in omnes peruerſos ſtatuet, qui mihi moleſti extiterunt, aut in poſterum negocium faceſſent. Hæc audientes multi ex ipſis conſternebantur. Ego vero Deo omnipotenti grates immenſas agebam, qui in omnibus ſe tam præſto, tamque propitium mihi exhiberet.

Hæc ſcribens beneuolum lectorem obteſtor, vt attendat meæ narrationi: nec enim hæc quod animus nouis delectetur, in lucem protuli, ſed vt mirabilia Dei, & beneficia in me collata palam confitear, quod quicquid huius laboris eſt, ſubire non grauatus fui.

Interea tempus militiæ appropinquabat, cui ſeſe tribus iam mẽſibus præpararant, & ſperabam fore, vt domi mecum mulieribus relinquerent: quod ſi feciſſent, ego fuga in illorum abſentia elabi decreueram.

K

Cap. XLI.

Appellit nauis Gallica: qui inerant, redimunt à Barbaris Goſſippium, & lignum Braſilicum. huic ego me committere optabam, ſed Deus non permiſit.



Octiduo


OCtiduo circiter ante, quam domo egredi militatum decreuiſſent, nauis quædam ex Gallia aduenerat, & ingreſſa erat Portum, Portugalleſium lingua Rio de Ienero, Barbaris vero Iteronne vocitatum, ad miliaria octo à manſione mea diſſitum ; vbi Galli plerunque lignum Braſilianum nauibus auehendum conquirunt. Aduentant ergo lintre ad vicum in quo eram, & piper, Cercopithecos & Pſittacos à Barbaris commutatione accipiunt. Quidam è naui in terram deſcendit, Iacobus nomine, qui Barbarum idioma callebat, is contrahebat cum ipſis. Ego precibus apud illum inſto, vt me in naue ſuſcipiat: ſed heri mei abnuebant: nec enim me niſi magno redemptum dimittere ſtatuerant. Ago cum illis, vt ipſi me ad naues comitentur, vbi mercium abunde ab amicis meis accepturi ſint: negant ſe facturos: nec enim hoſce eſſe, qui vere mihi amici ſint: ſiquidem ij qui lintre aduenerant, vel me ſic nudum incedentem interula aliqua donaſſent, ſed vides inquiunt, quod te non admodum curent (id res ipſa docebat.) Ego id in naui oneraria futurum dico, vbi acceſſerim: ſed illi nauem non tam cito ſoluturam, ſed expeditionem prius conficiendam aiunt, quibus peractis, comitatus ad nauem accedere deberem.

Cymba abitum parante, quæ vna nocte ad anchoram hæſerat, prope vicum noſtrum, ſic mecū rationes inſtituo: Si & hæc nauis me relicto diſceſſerit, procul dubio mihi inter hos erit pereundum, qui longe ſunt perfidiſſimi. Hæc ita voluens, ſimul tuguria deſero, littus ſequor : at illi præſentientes, inſequuntur, & præcurrentem occupare contendunt: proximum ego quinque vi repello, & licet me ſubſequerentur omnes eius vici incolæ, euado tamen, & tranando ad lintrem peruenio, quam vbi conſcendere tentabam, repellor à Gallis, verentibus ne ſi me inuitis Barbaris ſuſcepiſſent, contra ſe illi hoſtili animo inſurgerent. Ergo ripam anxius renatando repeto, & Deo viſum eſſe diutius me hæc mala tolerare ſtatuo: qui niſi vere fugam tentaſſem, me ipſum incuſaſſem, & in culpa fuiſſe credidiſſem.

Ad terram reuerſum cum vident, gratulātur ſibi: Salua, inquiunt, res eſt, vltro ad nos reuertitur. Ego vero ſuccenſens illis: putatis ne tam perfide me aufugiturum, inquam? Acceſſi ad lintrem, & conterraneos pręmonui vt ſe parent? quo mercibus vobis offerendis inſtructi ſint, quando ex bello reuerſi, me illis ſiſtetis: probant illi factum, & animo in me placato, tali reſponſo placide acquieſcunt.

Cap. XLII.

De expeditione à Barbaris ſuſcepta, cui me ſocium faciunt, & de iis quæ in itinere acciderunt.



Inter

INtra proximum octiduum congregatæ ad vicum noſtrum ſcaphæ quædam, quæ expeditioni accinctæ erant. Adfuit & ſupremus ille Konyan Bebe, ſtipatus ſuorum caterua; herus meus & me in hoc bellum ſocium ſibi eſſe vult; ego vt me domi relinquat inſto, quod quidem factum fuiſſet, niſi Konyan Bebe ſecus ſenſiſſet. Volebam vtique videri inuitus quaſi conſentire, ne ſi me promptum intellexiſſent, de fuga ſuſpicio illis oboriretur, vbi ad fines hoſtium ventum eſſet. Si vero domi me reliquiſſent, nauem Gallicam requirere, & eam conſcendere omnino mecum decreueram. Profectus ergo cum exercitu triginta octo ſcaphis inſtructo, quarum ſingulæ viginti octo milites plus minus vehebant, & erant qui reſponſa ab idolis ſuis ſuper hac expeditione quæſierant, alij ſomniauerant, alij, neſcio quid ineptiarum pro more conſuluerant, vnde animo alacriore, & fiducia pleno expeditionem hãc ſuſcipiebant. Conſtituerant autem fines Brickiocacenſes, vbi me ceperant, recta ingredi, & per ſiluam circa oppidum latitando; obuios quoſque corripere, & ſecum auehere.

Hæc expeditio ſuſcepta circa 14. Auguſti diem, Anno 1554. quo tempore genus quoddam piſcium, vt ſupra monui, alueum maris relinquens, in flumina aquarum dulcium conſcendit, vt in illis concipiat. Vocantur autem piſces illi Luſitanis Doynges, Hiſpanis Lyſſes, Barbaris vero Bratti & Leitpirakaen. Circa illud tempus, vtrinque fines ſuos Barbari egreſſi, armata manu hoſce inſequuntur, vt captos in victus commoditatem reſeruẽt. In profectione remos leniter ducunt, ſed reuertentes, quanta poſſunt contentione, eos impellunt.

Interim ſperabam fore, vt nobis obuiam procederet ea quoque Barbarorum natio, quæ Portugallenſibus confœderata eſt, quæ ſimiliter in horum fines impreſſionem facere conſtituerat, vt ſupra ex Portugallenſibus intellexeram.

Inter nauigandum frequenter ex me ſciſcitantur, quid mihi de hac expeditione videatur, num aliquos ex hoſtib. capturi ſimus? Ego, ne crabrones irritarem, affirmo ita fore, & hoſtes obuiam nobis proceſſuros pronuncio. Pernoctabamus tum forte in loco, cui idem cum vico, in quo commorabar, nomen erat VWattabi. Illic piſces Bratti, qui mediocris Lucij piſcis magnitudinem æquant, in magna copia capiebamus. Ventus ea nocte fuit admodum vehemens, ſuper quo illi varia ex me ſciſcitantur. Reſpondeo eam ventorum procellam multa hominum cadauera perflare. Namq; alia eiuſdẽ nationis caterua lintribus militatum nos præceſſerat, aduerſo flumine Paraibe in interiora continentis progreſſa. Forſan ergo, inquiunt, ſocij & amici noſtri iam hoſtes adorti ſunt, & pars illorum procubuerunt, quod poſt euentus probauit.

Itinere iam vnius diei diſtantes à loco, in quem expeditionem deſtinarãt, caſtra diſponunt per ſiluam prope Inſulam S. Sebaſtiani Luſitanis, Barbaris May enbipe dictam. Veſpera ingruente, ſupremus Rex Konyan Bebe per caſtra incedit, & hanc orationem habet: Iam fines hoſtium vicini ſunt; proinde ſinguli ſomnium ſuum per eam noctem diligenter obſeruent, curentque, vt ea ſint

proſpera. Finita concione, ſaltarunt cum idolis ſuis, in multam noctem, deinde cubitum ſe contulerunt omnes. Herus meus cubitum iturus, iubet vt & fauſtum aliquid ſomniem: ego ſomnia inania & fallacia, nec me de iis ſollicitum eſſe dico: At tu nihilominus cum Deo tuo agas, inquit, vt hoſtes frequentes capiamus.

Orto ſole primores militiæ ad patinam coctis piſcibus plenam conueniunt, piſces comedunt, & ſomnia viſa exponunt, quæ ſatis concinna & appoſita illis viſa. Alij interea choreas cum idolis inſtituunt. Animus autem erat eo die fines hoſtium contingere, & ingredi circa locum quendam, Boy Waſſu kange nominatum, eo in loco ad veſperam vſque commoraturi.

Deſerentes mane locum May-enbipe, denuo ſciſcitantur quid ſentiam: tum ego in euentum pronuncio hoſtes prope Boy-Waſſu kange affuturos, & vt animo ſint forti exhortor. Statueram autem vbi illuc ventum eſſet aufugere, quia locus, vbi ab ipſis captus fueram, tantum ſex miliaribus iſtinc aberat.



Dum

INtra proximum octiduum congregatæ ad vicum noſtrum ſcaphæ quædam, quæ expeditioni accinctæ erant. Adfuit & ſupremus ille Konyan Bebe, ſtipatus ſuorum caterua, herus meus & me in hoc bellum ſocium ſibi eſſe vult; ego vt me domi relinquat inſto, quod quidem factum fuiſſet, niſi Konyan Bebe ſecus ſenſiſſet. Volebam vtique videri inuitus quaſi conſentire, ne ſi me promptum intellexiſſent, de fuga ſuſpicio illis oboriretur, vbi ad fines hoſtium ventum eſſet. Si vero domi me reliquiſſent, nauem Gallicam requirere, & eam conſcendere omnino mecum decreueram. Profectus ergo cum exercitu triginta octo ſcaphis inſtructo, quarum ſingulæ viginti octo milites plus minus vehebant, & erant qui reſponſa ab idolis ſuis ſuper hac expeditione quæſierant, alij ſomniauerant, alij, neſcio quid ineptiarum pro more conſuluerant, vnde animo alacriore, & fiducia pleno expeditionem hãc ſuſcipiebant. Conſtituerant autem fines Brickiocacenſes, vbi me ceperant, recta ingredi, & per ſiluam circa oppidum latitando, obuios quoſque corripere; & ſecum auehere.

Hæc expeditio ſuſcepta circa 14. Auguſti diem, Anno 1554. quo tempore genus quoddam piſcium, vt ſupra monui, alueum maris relinquens, in flumina aquarum dulcium conſcendit, vt in illis concipiat. Vocantur autem piſces illi Luſitanis Doynges, Hiſpanis Lyſſes, Barbaris vero Bratti & Leitpirakaen. Circa illud tempus, vtrinque fines ſuos Barbari egreſſi, armata manu hoſce inſequuntur, vt captos in victus commoditatem reſeruẽt. In profectione remos leniter ducunt, ſed reuertentes, quanta poſſunt contentione, eos impellunt.

Interim ſperabam fore, vt nobis obuiam procederet ea quoque Barbarorum natio, quæ Portugallenſibus confœderata eſt, quæ ſimiliter in horum fines impreſſionem facere conſtituerat, vt ſupra ex Portugallenſibus intellexeram.

Inter nauigandum frequenter ex me ſciſcitantur, quid mihi de hac expeditione videatur, num aliquos ex hoſtib. capturi ſimus? Ego, ne crabrones irritarem, affirmo ita fore, & hoſtes obuiam nobis proceſſuros pronuncio. Pernoctabamus tum forte in loco, cui idem cum vico, in quo commorabar, nomen erat VVattabi. Illic piſces Bratti, qui mediocris Lucij piſcis magnitudinem æquant, in magna copia capiebamus. Ventus ea nocte fuit admodum vehemens, ſuper quo illi varia ex me ſciſcitantur. Reſpondeo eam ventorum procellam multa hominum cadauera perflare. Namq; alia eiuſdẽ nationis caterua lintribus militatum nos præceſſerat, aduerſo flumine Paraibe in interiora continentis progreſſa. Forſan ergo, inquiunt, ſocij & amici noſtri iam hoſtes adorti ſunt, & pars illorum procubuerunt, quod poſt euentus probauit.

Itinere iam vnius diei diſtantes à loco, in quem expeditionem deſtinarãt, caſtra diſponunt per ſiluam prope Inſulam S. Sebaſtiani Luſitanis, Barbaris May enbipe dictam. Veſpera ingruente, ſupremus Rex Konyan Bebe per caſtra incedit, & hanc orationem habet: Iam fines hoſtium vicini ſunt; proinde ſinguli ſomnium ſuum per eam noctem diligenter obſeruent, curentque, vt ea ſint

proſpera. Finita concione, ſaltarunt cum idolis ſuis, in multam noctem, deinde cubitum ſe contulerunt omnes. Herus meus cubitum iturus, iubet vt & fauſtum aliquid ſomniem: ego ſomnia inania & fallacia, nec me de iis ſollicitum eſſe dico: At tu nihilominus cum Deo tuo agas, inquit, vt hoſtes frequentes capiamus.

Orto ſole primores militiæ ad patinam coctis piſcibus plenam conueniunt, piſces comedunt, & ſomnia viſa exponunt, quæ ſatis concinna & appoſita illis viſa. Alij interea choreas cum idolis inſtituunt. Animus autem erat eo die fines hoſtium contingere, & ingredi circa locum quendam, Boy Waſſu kange nominatum, eo in loco ad veſperam vſque commoraturi.

Deſerentes mane locum May-enbipe, denuo ſciſcitantur quid ſentiam: tum ego in euentum pronuncio hoſtes prope Boy-Waſſu kange affuturos, & vt animo ſint forti exhortor. Statueram autem vbi illuc ventum eſſet aufugere, quia locus, vbi ab ipſis captus fueram, tantum ſex miliaribus iſtinc aberat.



Dum

Dum littus legimus, cernimus poſt inſulam quandam ſcaphas nobis aduerſum procedere. Noſtri acclamant: En hoſtes noſtros Tuppin Ikinſios. ſcaphas tamen poſt rupem abſcondere tentant, vt improuiſo illi in nos inciderent; verum obſeruauerant nos Tuppin Ikinſij, ideoque in patriam fuga ſibi conſulere tentant. Nos ocyſſime remis ad 4. horas cõtinuas actis eos inſequimur, nec abſiſtimus, donec illos aſſequuti, manus conſereremus. Quinque erant omnino ſcaphæ, & omnes qui iis vehebantur Brickiocacenſes, optime mihi noti. vna illarum ſex vehebat Chriſtianos Braſiliana matre natos, ſacro Baptiſmatis fonte ablutos, inter quos duo fratres, Iacobus & Dominicus de Praga, vterque in hoſtes ſtrenue ſe geſſit, alter quidem ſclopeto, alter arcu pugnantes, & ſoli ad duas horas hoſtium impetum, in pluribus quam triginta ſcaphis ipſos oppugnantium fortiſſime ſuſtinuerunt, donec iaculis omnibus diſperſis à Tuppin-Imbis obruti caperentur. Pars cæſa quam primum & iaculis transfixa procubuit: Fratres illi duo illęſi quidem perſtiterunt, ſed duo alij ipſorum ſodales cum quibuſdam ex Tuppin Ikinſiis, & muliere quadam grauiter vulnerati & abrepti ſunt.

Cap. XLIII.

Quomodo captiuos in reditu ſuo tractarint?



Dum littus legimus, cernimus poſt inſulam quandam ſcaphas nobis aduerſum procedere. Noſtri acclamant : En hoſtes noſtros Tuppin Ikinſios. ſcaphas tamen poſt rupem abſcondere tentant, vt improuisò illi in nos inciderent; verum obſeruauerant nos Tuppin Ikinſij, ideoque in patriam fuga ſibi conſulere tentant. Nos ocyſſime remis ad 4. horas cõtinuas actis eos inſequimur, nec abſiſtimus, donec illos aſſequuti, manus conſereremus. Quinque erant omnino ſcaphæ, & omnes qui iis vehebantur Brickiocacenſes, optime mihi noti. vna illarum ſex vehebat Chriſtianos Braſiliana matre natos, ſacro Baptiſmatis fonte ablutos, inter quos duo fratres, Iacobus & Dominicus de Praga, vterque in hoſtes ſtrenue ſe geſſit, alter quidem ſclopeto, alter arcu pugnantes, & ſoli ad duas horas hoſtium impetum, in pluribus quam triginta ſcaphis ipſos oppugnantium fortiſſime ſuſtinuerunt, donec iaculis omnibus diſperſis à Tuppin-Imbis obruti caperentur. Pars cæſa quam primum & iaculis transfixa procubuit: Fratres illi duo illęſi quidem perſtiterunt, ſed duo alij ipſorum ſodales cum quibuſdam ex Tuppin Ikinſiis, & muliere quadam grauiter vulnerati & abrepti ſunt.

Cap. XLIII.

Quomodo captiuos in reditu ſuo tractarint?



Ad

AD duo miliaria ſatis ampla in altum ſubuecti erant, vbi in manus hoſtium inciderant. Tuppin Imbæ hac præda potiti, magna contentione & ſtudio cymbas impellunt, vt in eodem loco denuo pernoctarent, in quo priorem noctem tranſegerāt. Vbi ergo fines May-enbipe contigimus, iam adueſperaſcebat, & ſol in occaſum inclinauerat.

Captiuos quiſque ſuum in domicilium ſibi deſtinatum deducunt: qui vero lethaliter ſauciati erant, protractos in terram obtruncant, & in partes (pro ſuo more) ſectos aſſant. Inter eos, qui ea nocte toſti ſunt, duo erant Chriſtiani; alter Portugallenſis, Georgius Ferrero Capitanei filius, quem ex fœmina Braſiliana ſuſceperat; alter Hieronymus cōſanguineus Iacobi de Praga, quem ceperat Barbarus quidam eiuſdem, in quo habitabam, domicilii, Parvvaa dictus: is noctu aſſabat Hieronymum inter vnius paſſus ſpatium à meo cubili.

Sub eam veſperam, vbi ſe ſtratis reliqui compoſuerant, ingredior tugurium, in qua fratres illi duo aſſeruabantur, vt cum ijs conferrem ſermones: amici enim mei non vulgares ante meam captiuitatem fuerant in Brickioca. Quęrunt illi ex me, num & ipſi eſca Barbaris futuri ſint? reſpondeo, id penes Deum eſſe conditorem, & filium eius Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui pro peccatis noſtris crucifixus ſit, & in cuius nomine cum ipſo ſimul in mortē baptiſati ſimus: illi nos fidere decere, qui me hucuſque inter infideles clementiſſime protexerit. Quicquid ergo de nobis ipſe in poſterum pro ſua benignitate ſtatuat, illi nos acquieſcere, æquum eſſe. Quærebant inſuper de Hieronymo ſuo conſanguineo, eum ad prunas poſitum aſſari, tum partem etiam de filio Ferreri iam manducari vidiſſe refero. Hæc audientibus lachrymæ oboriuntur; ſed erigebam illos viciſſim conſolatione, me illis exemplum proponens, qui iam ad menſes circiter octo inter hos diuina fauente gratia conſeruatus ſim, quam & ipſis, ſi fiduciam ſuam in Deum collocent, contingere non impoſſibile ſit. Addo etiam, quod ea calamitas me propius tangat, qui ex remotiſſimis orbis partibus aduenerim, inſuetus rituum, & ferociæ tam immanis, ipſos vero iſtic natos, ac à teneris hiſce moribus aſſuefactos: ſed illi me iam ad ea mala adeo obduruiſſe dicebant, vt negligerem.

Dum hæc cum illis communicabam, Barbari me iubent ſecedere, & quidnam tam prolixe cum illis egerim rogitant. Miſerebat me illorum, moneo itaque, vt euentum omnem Deo committant: ante oculos enim omnibus eſſe poſitum, quales & quantæ miſeriæ in hac lachrymarum valle nobis ſubinde deuorandæ ſint. Illi ſe nunc demum intelligere reſpondent: proinde cum fataliter morti obnoxij ſint, animo hoc æquiore eam oppetere decreuiſſe, quod me ſibi ſocium adhuc ſuperſtitem videant. Talibus tugurium illud deſero, & reliqua caſtrorum tentoria peragrans, viſitabam paſſim omnes captiuos, ſolus nullo cuſtode inambulans. Et fuiſſet quidem tum commodiſſima fugæ occaſio, ſiquidem prope Inſulam Mayenbipen conſideramus, quæ circiter decem miliaria à Brickioca abeſt, ſed propter captiuos Chriſtianos, quorum adhuc quatuor in viuis erant, nihil eiuſmodi tentant, ſic colligens, ſi in pedes me coniecero, irritauero Barbaros, & Chriſtianos ſimul ad vnum omnes internecioni

L

tradent;atqui forſan omnes diuina clementia ſeruati, ſimul liberabimur: quare apud illos hærere, & conſolando ſubleuare conſternatos (quod ſedulo & conſtanter à me factum) in animo propono meum. Ego equidem Barbaros habebam admodum beneuolos, quod forte fortuna ipſis vaticinatus eſſem aduentum hoſtium, qui cum prædictioni reſpondiſſet, certiore me prophetandi ſpiritu præditum eſſe, quam Maraka ſua prædicabant.

CAPVT XLIV.

Choreæ cum hoſtibus inſtitutæ in loco, vbi pernoctandum erat.

POſtridie non longe à finibus patriis, ad præaltum montem, Occaraſu vocatum peruenimus. Illic per noctem caſtra figunt. Ego tentorium ſummi Regis Konyan Bebe ingredior, & inquiro, qd in Chriſtianos captos ſtatuat. Reſpondet ille, in eſcam ſibi futuros, & mihi ſimul colloquium cum illis interdicit, ſeque illis valde ſuccenſere, quod ſe hoſtibus ipſius adiunxiſſent, cum domi illis hærere licuiſſet. Moneo eum, vt vita illis condonata, amicis defendat, ſed fruſtra intercedo, quippe qui illos epulis deſtinarat.

Rex ille Konyan Bebe ingentem corbem humanis carnibus plenam ſibi appoſitam habebat, & femur mandebat, quod ad os meum admouẽs, rogat, num liberet manducare. Reſpondeo, nec bruta quidem animalia vix ſeſe mutuo vorare: quæ iſta eſt immanitas, vt homo hominem deuoret? Ille dentes carni infigens, ait Iavvare ſche: Tygris ego ſum, & his fruor delitijs. Tum illum ſuis relinquens moribus digredior.

Sub veſperam edicit, vt quiſque ſuum captiuum in planitiem prope ſiluam ad ripas fluminis producat. Illi parentes dicto, in magnum ſe & amplum circum cogunt, captiuos in medio ſiſtunt, quos ſimul concinere, & crepitacula cum idolis ſeu numinibus ſuis Tammaraka pro more inſonare iubent. Cantionibus abſolutis, capti hæc verba ſimul omnes ordine magna audacia pronũtiant: Nos egreſſi ſumus fines noſtros tanquam viri ſtrenui, vos hoſtes noſtros captaturi & deuoraturi: victoria autem penes vos ſtetit, & redegiſtis nos in poteſtatem veſtram, quod equidem parum nos ſollicitos habet: viri enim bellicoſi & fortes in hoſtili terra glorioſe & viriliter occumbunt. Regio inſuper noſtra ſatis ampla eſt, & viris habitata pugnacibus, qui cædem noſtram inultam non ſinent. Tum reliqui ad ea reſpondent: Imo ex noſtris iam complures ſuſtuliſtis, quod nunc in vobis vlciſcemur. Finitis his ſermonibus, quiſque ſuum in ſtationem reducit mancipium.

Tertio demum die ſedibus noſtris redditi domum ſuam quiſque repetit, & ſimul quos ceperat, abducit. Qui pagum Vvvattibi, vbi ego commorabar,

incolebant,illi octo Barbaris viuis potiti erant; & tribus illis Chriſtianis; videlicet Iacobo,ipſius fratre,& Antonio,quem herilis filius ceperat. Præterea duos alios Chriſtianos iam aſſatos domum retulerunt, iſtic vorandos: vndecim omnino diebus in expeditionem inſumptis.

CAPVT XLV.

Nauis Gallica nondum abitum parauerat, ad quam me deducere promiſerant, vbi ex bello reuerſi eſſent.

REuerſos rogabam, vt ad Gallorum nauem me abducerent, quoniam & militatum cum ipſis profectus eſſem, & eos in capiendis hoſtibus iuuiſſem, à quibus ſatis cognorint, me minime Luſitanum eſſe. Conſentiunt, vbi prius tamen reſpirarint, & ſe cum Mokaen refecerint, hoc eſt, carne toſta Chriſtianorum.

Capvt XLVI.

Alterum ex toſtis Chriſtianis comedunt Georgium Ferrerium, Capitanei apud Luſitanos filium.

Regulus Tatamiri directè è regione noſtri tugurij habitans, aſſauerat Ferrerium. Is potiones pro more gentis confici curat, conueniunt plurimi, compotant, concinunt, & genialiter conuiuātur. Poſtridie carnem toſtam denuo bullitione coquunt, abſumunt. Hieronymi autem caro ad tres ſeptimanas in calatho ſupra focum mei tugurii pependit, & fumo indurata fuit fere ad tres ſeptimanas, vt tam arida, quam lignum redderetur. Cauſa dilationis erat, quod Parvvaa, ad quem ſpectabat, radices pro potionibus in ſolemnia pocula conficiendis, conquiſitum peregre abierat. Nec enim ante ad nauem me comitari ſtatuerant, quam Hieronymi carnes ſolemniter epulati eſſent. Interea Gallorum nauis diſcedit, quæ circiter octo miliaria à noſtris mapalibus abfuerat. Quod nuncium vbi accepi, non mediocriter contriſtatus ſum: ſed cum Barbari quotannis ipſorum aduentum ſe expectare dicerent, perferendum fuit.

Cap.

Capvt XLVII.

Prodigium diuinitus factum.

CRucem ex tranſuerſo ligno in veſtibulo noſtri tugurij erexeram, ad hanc proſtratus ſæpe preces ad Deum fundebam. Edixeram autem Barbaris, ne eam demolirentur, niſi infortunium ſibi accerſere vellent:illi ſecuri mea verba contemnunt. Forte cum illis piſcatum aliquando procedo; fœmina quædam euulſam crucem viro offert, vt ſibi ſphærulas ex cochleis marinis confectas in ligno eius læuigaret,ob commoditatem formę rotundæ. Ægre id tuli admodum:Interim magni cadunt imbres,& venti aliquot diebus perflant. Accedunt illi me, & rogant, vt à meo Deo pluuiarum finem impetrem, ne plantationem, cuius tempus inſtabat,impedirent. Culpam pluuiarum in illos regero, & coortas ob reuulſum lignum, cui facto Deus meus ſuccenſeat, pluuias eas affirmo, quod id ſignum, vbi colloquia cum Deo inſtituerem, fuiſſet. Illis ita à me perſuaſis, herilis filius in alia erigenda mihi auxilio fuit, circa horam primam pomeridianam. Ea erecta, ſimul nubes diſcedunt, & cœlum ſerenum effulget. Illi admiratione ſuſpenſi, plane ſibi perſuadebant, Deum à nutu meo totum pendere.

Capvt XLVIII.

Dum ſub veſperam cum Barbaris piſcibus retia tendo, Deus miraculoſe pluuiis & tempeſtatibus ad preces meas imperat.

Parvvaa, qui Hieronymum torruerat, & ex primatibus erat, adiuncto me & alio quodam tertio, piſcibus retia tendit. Sub veſpertinum crepuſculum pluuiæ largę decidunt, cum ingenti fragore, nec longe à nobis, ſic vt eas venti in nos propellerent. Inſtāt apud me ſocii cum meo Deo agam de auertendis pluuijs, vt piſcatio fœliciter procedat: nō enim me eſſe ignarum, nullam amplius in mapalibus ſupereſſe annonam. His motus Deo ex animo ſupplico, vt omnipotentiam ſuam manifeſtet Barbaris id petentibus, quo ſuum numen ſemper mihi propitium, & præſto eſſe intelligant. Vix preces finieram, ventus propellit ad nos nubes & imbres magno impetu, intra tamē ſex paſſus à loco, in quo conſtiteramus, perſtiterunt. Tum Parvvaa ad me: nunc manifeſte intelligo, quod apud Deum tuum interceſſeris pro nobis. Retibus ergo piſces aliquot, ad vitæ ſubſidium includimus.

Reuerſi in habitationem, vterque quid factum eſſet, reliquis exponunt, enumerantes ſingula ordine: quod in magnam admirationem eos rapuit.

Cap.

CAPVT XLIX.

Vt alterum è carnibus Hieronymi epulum inſtituitur.



PArvvaa inſtructus ab omnibus, quæ neceſſaria erant, potiones Hieronymo depotando conficit. Illis exhauſtis, adducunt ad me duos illos fratres captos, & Antonium, quem herilis filius ceperat, & quatuor nobis Chriſtianis iunctis propinant, nos priuſquam biberemus, Deo ſupplices pro animis defunctorum, & vt nobis ipſis in hora mortis propitius ſit, oramus. Barbari ſermones nobiſcum conferunt, & animo erant hilari; at nos crudelitatem intuentes epularum non admodum lætabamur. Poſtridie carnes ebullitione recoquunt, & breui ſpatio, vniuerſas abſumunt. Eo ipſo die alio abducor alteri donandus. Diſcedentem me rogant fratres illi duo, vt Deum votis meis pro ſalute ipſorum ſolicitarem: ego vero & id me facturum polliceor, & demonſtro ſimul viam, quam per montium deuia ſequerentur, ſi fuga forſan elabi poſſent, ne à Barbaris inueſtigati deprehendantur: perſpecta enim habebam omnia montium diuerticula. Illos dictorum memores, vinculis ſolutis, fuga ſibi conſuluiſſe poſtmodum intellexi, ſed num ſalui euaſerint, ne dum quidem compertum habeo.

CAP.

Capvt L.

Deducor alteri dono offerendus

DEducor in vicum Trackvvaraſutibi, vt Regulo iſti dono cederem. Dum ſcapham aliquatenus promoueramus, conuerto me reſpiciens vicum vnde exceſſeramus, animaduerto ſupra illud formidabiles nubes conſiſtere. Eas ſociis commonſtro, & Deum ob Chriſtianorum carnes deuoratas iratum dico. Vbi ad locum deſtinatum venimus, tradunt me Regulo Abbati Boſſange, & ſimul illi iniungunt, ne vel ipſe me moleſtet, vel per alium mihi negocium faceſſat, ſiquidem Deus ille, quem diuino cultu afficiam, grauiter puniat omnes, qui mihi vim inferant: manifeſto indicio ſibi id conſtare, dum inter ipſos vixerim. Hortor & ipſe Regem, ac fratrem meum cum naui prope onuſta propediem affuturum dico, agant proinde mecum humaniter, me fratris aduentu mercibus id abunde compenſaturum. Certo autem mihi conſtare, Deum ſecundo vento fratris nauem, non longo interiecto tempore feliciter in portum deducturum. Rex delectatus hac oratione, filii appellatione me dignatur: & libere per ſiluas venatum progreſſus, filiis Regiis comitatus incedo.

Cap. LI.

Barbari commemorant mihi de abitu nauis Gallorum.

SIgnificant mihi Barbari illi, nauem Gallorum, quæ Mariæ Bellete nomine inſignata erat; & à Diepa aduenerat, merces iuſto onere ſufficientes ab illis accepiſſe, vtpote ligna Braſiliana, piper, Xylon, plumas, Cercopithecos, Pſittacos, & alia eiuſmodi, quæ apud illos proueniant. Adhæc quod nauem Portugallenſem in Rio de Ienero vi occuparint, & captum quendam Luſitanum donarint Regulo Itavvu, qui eum vorarit. Tum Gallum eum, qui Barbaris iniunxerat, vt me deuorarent, in ea naui patriam ſuam repetere. Erat autem hæc ea ipſa nauis, quam ſupra commemoraui, ad cuius lintrem profugus adnataueram, ſed à Gallis repulſus fui. Perierat autem ea dum domum repetit: nec enim quicquam de eius reditu in patria conſtabat, cum Diepam perueni, vt poſtea dicetur.

Quinta

Quinta pars.

ARGVMENTVM.

Liberatur tandem miraculo potius diuinæ Maieſtatis, quam vllo vel rationis, vel humanitatis beneficio; & incolumis patriæ ſuæ dilectæ redditur.

CAPVT LII.

De alia naui, quæ breui poſt ex Gallia ad eas oras appulit, Catharina Vattauilla dicta: tum, quomodo ab ijs, qui in naui erant, diuina prouidentia motis redemptus ſit.

POſteaquàm quindecim diebus in vico Tackavvara Suttibi vixiſſem, apud Regulum Abbati Boſſange; Barbari quidam nunciant, exauditum eſſe diſploſum tormentum, ex Iteronnenſi portu, qui aliâs Rio de Ienero vocatur. Certus ergo quandam nauem aduenisse, peto vt me eo deducant; forſan enim fratrem ea vehi. Aſſentiuntur illi quidem, ſed nihilominus id per dies aliquot differunt.

Interea Galli, qui aduenerant, certiores de ſtatu meo redduntur. Capitaneus duos ſociorum, & aliquot Reges Barbarorum (quibus amice vtebantur, & in naui ſimul aduenerant) ablegat in vicum, vbi commorabar. Aduentantes ingrediuntur mapale, cuius Regulus Sovvaraſu vocatus erat, contiguum tugurio, in quo verſabar, nunciatur mihi illorum aduentus per Barbaros: hoc autem gratulor mihi ex animo, accedo, & ſaluto homines Barbarorum lingua.

Illi intuentes miſeriam meam, ſortem miſeruntur, & veſtes ſuas mihi communicant. Sciſcitor ex illis, vt quid aduenerint. Reſpondent in mei gratiam aduectos, & habere in mandatis, vt quibus poſſint modis & rationibus, efficiant, quo nauem eam conſcendam. Hæc audienti, animus de ingenti miſericordia Dei effuſe lætatur. Tum alterum illorum Perottum nomine, qui Barbarorum linguam didicerat, talibus inſtruo, vt videlicet ſe fratrem meum ſimulet, & attuliſſe mihi ciſtas quaſdam mercibus plenas, ac petere, vt nauem ingreſſus,

eas accipiam. Tum inſtruo eum vt ſimulet, fore vt iſtic inter Barbaros mihi commorandum ſit, ad piper & alia id genus congerenda, donec anno ſequente naues reuertantur. His ita compoſitis, impetrat mihi liberum in nauem ingreſſum, ſed & herus meus ipſemet comitabatur me. Quotquot in ea erant aduenienti condolent, & omnia inopi humanitatis officia deferunt.

Diebus circiter quinque in naui tranſactis, quærit ex me herus & Regulus meus Abbati Boſſange, vbinam ciſtæ iſtæ ſint, eas mihi tradi iuberem, quo tempeſtiue domũ redeamus. Ego Præfecto nauis mentem Reguli expono, is monet vt quas poſſem morandi cauſas necterem, donec iuſto onere & ſufficientibus mercibus nauis inſtructa eſſet, vt expeditis ſibi, minus ab illis metuendum ſit, ſi forſan irritati vim molirentur, aut turbas alicui mouerent, ſi videant mihi in naui retento non reuerti licere. Eſt enim genus hominum infidum, nec vlla virtute præditum. Herus vero meus non aliter perſuaſum habebat, quam ſe domum rediturum. Ego verbis eum ductito, & ne tantopere feſtinet oro, ipſum non latere, aio amicos fures eſſe temporis, qui ſi inter peregrinos conueniant nõ facile diuelli inuicem, cauſasque moræ vndiquaque conquirere: quãdo vero naui inſtructa iam itineri accingentur, tum & nos domum reuerſuros, his rationibus ipſum diſtinui.

Tandem paratis iam omnibus, Galli in naui ſimul omnes in vnum congregantur, accedo & ego, illisq; me adiungo: aderat etiam herus meus Regulus cum ea Barbarorum turba, quæ ipſum comitata fuerat. Capitaneus Regem Barbarorum talibus per interpretem alloquitur: Se pro magno id beneficio ducere, quod vitæ capti pepercerint, quem inter hoſtes ſuos ceperint: addit præterea, vt me honeſtius ab ipſis abduceret, ea legẽ me in nauem vocatum, vt merces quaſdam mihi communicaret, quibus tam fidam & liberalem cuſtodiam recompenſarem: tum quod decreuerit, alias apud me merces deponere, ac conſtituerit, vt diutius, quoniam moribus & lingua illorũ iam aſſuetus eſſem, inter ipſos hærerem, ac piperi atq; aliis ipſis neceſſariis colligendis interea occuparer, donec ipſe anno elapſo reuertatur. Sed conuentum erat inter nos, vt decem plus minus nautæ, qui quodammodo facie me referrent, vno ore me fratrem ſuum dictitent, ac vnanimiter atque pertinaciter me repetant ſecum in patriam reducendum. Proponitur ergo Barbaris hæc noſtrorum ſententia, videlicet fratres meos nullo modo concedere velle, vt in terram reuerterer, ſed recta in patriam pergerem, vrgere, quoniam pater conſpectum meum deſideret antequam moriatur. Capitaneus ſe Barbaris ad eum modum excuſat: Se quidem Præfectum claſſis eſſe dicens, & maluiſſe, vt hero comitatus reuerterer: verum ſe ſolum, fratres autem meos numero complures quibus omnibus reſiſtere non valeat. Sed hic prætextus in eum tantum finem fiebat, vt ſaluo honore, & amicitia à Barbaris commodiſſime diſcederet. Tum ipſe quoq; hero meo Regi ſic me purgo, cupere me vtique cum ipſo regredi, ſed importuna fratrum meorum flagitatione impediri.

Vbi ergo hæc ordine percepiſſet, lamentari & eiulare occipit, quod ſi vtique me ducere velint, orat, vt proxima nauigatione me reducant, ſe filii me loco di-

co dilexiſſe, & grauiter indignari in incolas Vvvattibicenſes, qui mortem mihi comminati fuerant.

Aderat vna ex vxoribus Regis, eam me lachrymis ſuis pro more gentis proſequi Rex ipſe iubet: tum ego, eoſdem ritus obſeruans, eiulatus inuicem reddebam. Finitis ergo ploratibus, Capitaneus Regi offert nonnullas merces, quę precium quinque ſcutatorum æſtimari poterant, cultros videlicet, ſecures, ſpecula, & pectines: quibus aſſumptis, ad terram, & in habitacula ſua redeunt.

Hunc ad modum omnipotens & miſericors Dominus, Deus Abraham, Iſaac & Iacob, de poteſtate & truculentia tyrannorum immaniſſimorum me clementiſſime eripuit: cui ſoli laus, honor & gloria, per Chriſtum Ieſum filium eius dilectum & redemptorem noſtrum, Amen.

Cap. LIII.

De nominibus Præfectorum in naui, & cuias ea fuerit: Item de iis, quæ acciderunt, antequam portum relinqueremus, & quantum temporis in Galliam redeundo inſumptum.



Nomen

Nomen Præfecti eius Nauis erat VVilhelmus de Moner: Naucleri, Franciſcus de Champs: Nauis ipſius, Catharina de Vattauilla, &c.

Dum nauem inſtruunt, vt Galliam repetant, nec dum portu tamen Rio de Ienero egreſſi eſſemus, conſpecta nobis ſummo mane nauicula Portugallenſium, quæ merces cum Barbaris ijs commutarat, quos ſibi deuinctos habent, & Markayas vocitantur: ſunt autem vicini Tuppin Imbarum, quibus Galli familiariter vtuntur, quæ ambæ nationes inuicem inimicitias exercent. Erat ea ipſa nauis, quæ me ante quæſitum venerat, vt ſupra monui, ſpectans ad Petrum Roſſelium, curatorem negotiorum pro mercatoribus quibuſdam. Videntes igitur Galli, eam è portu egredi tentare, tormenta per lintrem diſponunt, nauiculam inuadunt animo deprædandi. Adiungunt etiam me, vt illos de deditione compellarem: cõgredimur ergo, ſed repellimur, & quidam ex Gallis traiecti procumbunt, quidam ſauciantur; ſed & ipſe multo grauius vulnus accipio, quam quiſquam ſauciorum. In hoc diſcrimine cõſtitutus (nec enim, niſi mortis anguſtiis circumdatus eram) Deum imploro, & ardentibus votis expoſco, vt vitam mihi ſuppeditare dignetur, donec inter Chriſtianos beneficia in me collata, pleno ore deprædicare liceat, quandoquidem me ab immaniſſima tyrannide liberarit. Reſtituor ergo priſtinæ valetudini, quod ſane beneficium ſoli Deo Opt. Maxim. acceptum refero, cuius laus & gloria in æternum.

Anno 1554. vltimo Octobris die vela in portu Rio de Ienero expandimus, iter verſus Galliam inſtituentes. Ferebamur ventis adeo proſperis, vt nautis ipſis admirationi eſſet, & pro ſingulari Diuinæ Maieſtatis beneficio, ventis tam ſecundis metam vſquequaque contindere agnoſcerent: quod manifeſto etiam miraculo Deus in medio mari nobis comprobauit.

Pridie enim Natalitiorum Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, Delphines magno agmine ad naues noſtras alludebant, eos in tanta copia capimus, vt ad dies aliquot nobis ſufficerent. Similiter quinta Ianuarij piſces ad ſacietatem nobis ſe offerunt: nec enim fere alius victus, preterquam qui ex mari obuenerat, nobis ſuppetebat.

Tandem ad 25. Febr. Anno 1555. appellimus ad Regnum Galliæ prope oppidulum Honflor in Normandia, nec vlla per totum iter nobis tellus, totis fere quatuor menſibus apparuerat. Nauem itaq; exonerantibus, & ipſe operam meam locabam. Hoc demum labore cõfecto, omnibus gratias ago pro beneficiis mihi præſtitis immortales, & tandem à Capitaneo veniam, & literas rogo liberi trãſitus. Maluiſſet is quidem me iter denuo in eas oras cum ipſo ſuſcipere, ſed vbi me induci non poſſe videt, impetrat mihi à Gubernatore Normãdiæ, Domino Admirallio ſiue Thalaſſiarcha, vt honeſto teſtimonio dimitterer, qui de aduentu meo certior redditus, vocat me in colloquium, & ipſe literas ſignatas præſenti mihi tradit. Capitaneus vero meus de viatico mihi proſpicit. Venia ergo impetrata, Honfleur, Hableneuf, & inde Diepam proficiſcor.

Capvt LIV.

Diepæ ingredior ædes matronæ, cuius coniux erat Capitaneus in naui Bellete, quæ velis nos ex Braſilia præceſſerat, ſed nec dum quidem in patriam reuerſa erat.

IN vrbe Diepenſi, à qua exierat nauis Bellete, quæ vehebat interpretem illum, qui me Barbaris deuorandum propinauerat, & ſimiliter in Galliam tendebat, ſpectans ad eos, qui me profugum à lintre repulerant, cuius etiam Capitaneus Barbaris Luſitanum ad deuorandum donauerat (vt ipſimet Barbari retulerant) occupata naui quadam Portugallenſibus erepta, vt ſupra monui. Ea nauis nondum, ſub aduentum meum in patriam redierat, quanquam tribus menſibus præceſſiſſet nauem Vattauillam, quæ me redemptum vehebat.

Illorum, quos nauis Bellete vexerat, vxores & conſanguinei accedunt me, & rogitant, num obſeruaſſem eos: omnino reſpondeo, ſunt ex ijs multi homines impij, quocunque demum locorum agant, tum commemoro, quendam ipſorum, qui inter Barbaros vixerit, & nauim eam conſcenderit, Barbaris ſuaſiſſe, vt me deuorarent, ſed diuina tamen prouidentia ſeruatum fuiſſe. Addo etiam, vt lintre ad tuguria noſtra acceſſerint, permutantes merces pro pipere & Cercopithecis, ipſe vero à Barbaris profugus ad lintrem tranârim, ſed ab ipſis nulla mei miſeratione commotis repulſus, terram Barbarorum repetere coactus fuerim, quod ſane me extreme cruciarit.

Inſuper Barbaris obtuliſſe virum Chriſtianum Portugallenſem deuorãdum. Ex quibus me iam colligere, id ex ſingulari Dei prouidentia factum, vt præcederem illos incolumis, & redux vobis nuntiarem, quæ euenerint.

Appellant illi quandocunque licuerit, interea augur vobis ero, non impunitam illis fore tyrannidem illam & crudelitatem, quam in me exercuerint, in media illa Barbarie, quocunque demum id fiat tempore: manifeſtum autem eſſe preces meas ardentiſſimas, Deum ipſum in cœlis exaudiuiſſe. Tum recenſeo, quam ſecundis in reditu fuiſſent vſi ventis, qui me à Barbaris pretio redemptum in naues aſſumpſerint, quod ſane res ipſa docuit. Deus enim cœlum nobis ſereniſſimum, ventoſque ſecundiſſimos largitus eſt, & in medio mari piſces abunde in vitæ ſubſidium ſuppeditauit.

Hæc

Hæc audientes animis prorſus fuerant conſternati, ſciſcitantes anxie, quid tandem ergo ſperare ipſos iubeam; num qua ſpes ſalutis ipſorum & reditus adhuc ſupereſſe putandum ſit. Ego, ne plane deſperarent, fieri poſſe aio, vt patriam contingant reduces: pleriq; tamen noſtrum firmiter credebamus, nauem ipſam cum hominibus perijſſe.

Finitis tandem hiſce omnibus, digredior ab illis, & reliquis aduentum meũ, vbi ſoſpites patriæ fines contigerint, annunciare iubeo.

Diepam ergo deſerens, Londinum Angliæ metropolim naue aduehor, illic diebus aliquot tranſactis, Selandiam peto, & tandem Antuerpiam.

Atque hæc eſt mea peregrinatio, qua, confectis & exhauſtis immenſis malis & laboribus, ex ſolius numinis omnipotentia, ſuperata, in dulce patriæ ſolum ſaluus & incolumis reductus ſum, cui laus & honor in ſecula.

Precatio, qua in Barbarorum poteſtate conſtitutus, & deſtinatus epulis, Deo ſupplex fiebam.

O immenſa Dei omnipotẽtia, per quam cœlum ipſum & terra fundata ſunt! O Deus maiorum noſtrorum Abraham, Iſaac & Iacob, qui populum tuũ Iſraeliticum valida manu eduxiſti de poteſtate hoſtium per rubri maris aquas, qui inter Leones ſeruaſti Prophetam Daniel, te æternum mundi gubernatorem rogo, per dilectum filium tuum Ieſum Chriſtum, qui omnes nos ab æterno redemit carcere, vt me quoque ex manu horum tyrannorum eripere digneris, qui in tenebris ambulantes te non cognouerunt. Sin, ô Domine, hæc voluntas tua eſt, vt vitam tam truculenta morte finiam, inter gentes has, quibus tui notitia abſcondita eſt, quique audientes per me nomen tuum annunciari, nullum tibi numen ineſſe effutiunt, neque poteſtatem ex manu illorum liberandi me, tunc ſpiritum meum in hora mortis vltimæ corroborato, quando hoſtis cæde mea ſe ſatiabit, ne deſperem, nec de tua miſericordia diffidam, ô Domine: tu quietum & placidum mihi finem, vitæque tranquillitatem poſthac largire, meque ab æternis cruciatibus clementiſſime defende, quos formidarunt omnes quotquot fuerunt maiores noſtri. Sed, ô Deus, tua hæc eſt poteſtas, ex manu illorum liberandi me: adeſto mihi & eripe me, tu enim adiutor meus es. Si eripueris me, non fortunæ illud neque euentui aſſcribam, ſed opus brachij tui erit. Non enim eſt homo, nec poteſtas in terris, quæ eripere me valeat. Vbi ergo eripueris me de poteſtate illorum, beneficium illud & miſericordiam tuam palam faciam, & prædicabo eam inter omnes gentes,

AMEN.

Non ego crediderim quemquam penetralibus imis
Pectoris ardentes fundere poſſe preces:
Ni medios inter verſabitur anxius hoſtes,
Et miſer ærumnas perforat ipſe graues.
Nam caro ſi libitis genialiter errat habenis,
Sæpe creatori commouet arma ſuo.
Ergo reluctantem, qui ſenſeris vndique ſortem,
Hic tibi iam placidum noueris eſſe Deum.
Nec dubita, tibi numen adeſt, tu vincere certus,
Saluificam placida concipe mente fidem.
Tuque age tranquillam, qui vis traducere vitam,
Et bene proſpectum prolibus eſſe cupis:
Reſponſa edoceas diuina fideliter illos,
Vnde ſalus miſero tempore certa venit.
Cum vita in medio conuertitur obruta luctu.
Et ſtat in ancipiti ſors malefida loco.
Qui vis iudicium de noſtro ferre libello,
Nolo putes famam nominis inde peti.
Quæritur æthereo non gloria vana tonanti,
Intima qui præſens mentis vbiq; videt.
Illius arbitrio teque & tua conſecro Lector,
Ille animi faciat proſpera vota mei.

Libri prioris exitus.

HISTO-

HISTORIÆ
Braſilianæ Ioannis Stadii Heſsi
Liber Secvndvs,

Continens ſuccinctam quidem, ſed fide dignam Expoſitionem de rebus & moribus Tuppin Jmbarum, quorum Regio in America, ſub viceſimo quarto gradu vltra Æquatorem verſus Antarcticum ſita eſt, illi plagæ contigua, ex qua Fluuius de Ienero à Luſitanis cognominatus in Oceanum influit. Apud quos nouem fere menſium ſpatio captiuus fuit.


Capvt I.

De inſtituenda nauigatione in eam Americæ oram, quam flumen Iteronne Braſilianis, Luſitanis vero Rio de Jenero vocatum irrigat, & Tropico Capricorni, ſiue 24 gradui poli Antarctici ſubiacet.

Vlyssibona ciuitas eſt Luſitanorum, cuius eleuatio triginta nouem graduum ad Arctos: qui hinc ſoluunt petituri prouinciam, quæ eſt ad flumen de Ienero in Braſilia Americæ, primum ad Inſulas Canarias feruntur, quæ Hiſpanis parent, & quarum ſex nomina hic recenſentur. I. Gran Canaria. II. Lancerotta. III. Forte Ventura. IV. il Ferro. V. la Palma. VI. Teneriffe. Hinc occurrunt Inſulæ, quæ vocantur las Iſlas de Capo Verde, hoc eſt, Inſulæ Capitis Viridis (Gorgones ſiue Heſperides olim dictæ.) Id Caput ſiue Promontorium in Æthiopia eſt, quæ à quibuſdam Guineæ appellatione inſignitur. Inſulæ eæ, quas modo dixi, omnes ſunt ſub Tropico Cancri, & Regem Portugalliæ agnoſcunt.

Illis relictis, in vaſto hoc Oceano iter dirigendum eſt inter Auſtrum & Auſtroafricum, verſus Braſiliam, eaque nauigatio ſæpiſſime trium menſium, aut plurium eſt, priuſquam in Braſiliam deuenias. Superato ergo primum Tro-

pico Cancri, Æquator tranſmittendus eſt; quo retro acto, & Septentrionali plaga iam decurſa, neutra Vrſarum, nec Helice, nec Cynoſura vſpiam apparet, qui-



bus polus noſter Arcticus deſcribitur. Poſt per ipſam Ecclipticam ad Tropicum Capricorni conſcenditur. Vbi ergo trans brumale illud ſignum præteruectus fueris, ſolem iam ad Septentrionalem plagam conuerſum circumagi inclinato orbe conſpicies. Æſtus inter Tropicos eſt perpetuus: inter quos Braſilia ex parte iacet.

CAPVT

Capvt II.

De ſitu Braſiliæ, quam ex parte ipſemet perluſtraui, & ſimul de habitu ſeu veſtitu nationis Carios.

BRaſilia per ſe ampla eſt Regio, multas Barbarorum nationes complectens, quæ inter ſe linguis variant. Varia ferarum genera nutrit. Ipſa cōſpectu eſt amœniſſima: arbores enim perpetuo virent, nec fere vllam cum noſtris ſimilitudinem habent; homines nudi incedentes, obſcenas corporis partes nullo integunt velamine.

Ea Regionis pars, quæ inter Tropicos poſita eſt, nunquam adeo frigeſcit, vt cum autumno noſtro conferenda ſit. Altera vero, quæ vltra Capricorni ſignum extenditur, paulo rigidior eſt, vbi natio Carios habitat, quæ tergoribus ferarum commode ſibi pręparatis obuelatur. Mulieres eius nationis contexunt ex Bombace induſia ſine manicis, ad ſacci formam vtrinque aperti, quibus ſe induunt, ea ſua lingua Typpoy nuncupant. Sunt in ea regione fruges quædam, & arbores etiam frugiferæ, quæ victum hominibus pariter & animantibus præbent. Corporis color illis à Sole aduſtis eſt aquilinus. Agiles ſunt, & iuſta membrorum proportione, vafri & malitioſi admodum, hoſtibus ſuis adeo infeſti, vt extreme eos proſequantur, & captos deuorent. Regio ipſorum aliquot centena miliaria patet inter Septemtrionem & meridiem, quorum quidem vel quingenta ipſe maris oras legens emenſus ſum, & pleraque etiam continentis eius loca perluſtraui.

Capvt III.

De montibus eius Regionis eminentiſſimis, & de natione quadam Barbarorum in iiſdem verſante, quam VVaygannates vocant.

SVnt montes in ea regione, qui intra tria miliaria, & alicubi longius, ad mare pertingunt. Ii paulatim conſurgunt prope vicum Boiga de Todoſſos Sanctos, quem conſtruxerunt & incolunt Portugallenſes. Secundum littus maris plus vltra ducenta quatuor miliaria protenduntur illi montes, & ſub viceſimum nonum gradum vltra Æquatorem, verſus polum antarcticum deſinunt. Quibuſdam vero locis octo miliaria in latitudinem patent. Vltra illos eſt planities aperta: tum plurimi fontes ex illis ſcaturiunt; feras inſuper educant in copia.

Natio quædam Barbarorum habitat in ipſis montibus, VVayganna dicta, quæ nullis certis ſedibus fixa hæret, reliquorum more, qui citra & vltra montes

incolunt, hæc etiam ſola in cæteros omnes bella mouet, ac captos nullo diſcrimine deuorat, à ſingulis rurſum paria expectans.

Feras per deſerta venatur, quas ingenioſe admodum iaculis configere nouit, tum multa alia in venatione habet compendia, vtpote caſſibus poſitis, & decipulis.

Veſcitur melle etiam apum ſilueſtrium, quod illic abundat.

Noruntadhęc ferarum voces & clamores, tum auium linguas & concentus ingenioſe imitari, quo facilius illis imponant, & iaculis etiam conſequantur.

Focum inſtruentes more reliquorum ſcintillas ex lignis colliſis, ſeu ſibi inuicem attritis eliciunt.

Carnes quibus veſcuntur, vt plurimum ad ignem torrent.

Libere autem per montes vna cum liberis & vxoribus vagantur.

Quando prope fines hoſtium caſtrametantur, tum ſentes ac dumos circum caſas detortos intexunt, ne de improuiſo obruantur ab hoſtibus, & vt tygres arceant. Adhæc ſpinas acutas circum tuguria figunt, Maraga eibe iu dictas, perinde ac nos murices: fit autem ab illis hoc præ metu hoſtium. Tota nocte viuum alunt ignem, quem illuſcēte die extinguunt, ne fumo proditi ab hoſtibus comprehendantur.

Comam alunt, & vngues non pręcidunt, tum crepitacula illa Maraka pariter cum reliquis pro numinibus colunt, & paribus etiam potionibus & ſaltationibus indulgent. Præterea dentibus ferarum in ſecādo vtuntur: lapideis etiam cuneis ad ligna cædenda vicem ſecuris prębentibus, quales reliquis quoque nationibus in vſu fuerant, antequam cum nauibus commercia inſtituerent.

Nec raro ad hoſtes captandos progrediuntur, in inſidijs poſt truncos ſeu arbores aridas prope hoſtium tuguria poſitas latitantes, donec illi ligna petitum veniant, & ita caſſes eorum incidant.

Sunt autem longe crudeliores in ſuos hoſtes, quam illi in ipſos, quippe qui ſæpe viuos ex mero odio brachiis ſimul & cruribus detruncent: cum tamen ipſi à reliquis prius morte affecti in partes demum diſſecentur.

CAP.

Cap. IIII.

Tuppin Imbarum, quorum captiuus fui, Regio à quibus nationibus cincta ſit.

TVppin Imbæ ad mare habitant, ante montes illos ſupra commemoratos, & poſt eoſdem eorum Regio ad 60. miliaria patet. Ex ipſis montibus promanat fluuius, cuius ripam ex altera parte tenent, eius nomen eſt Paraeibe. Quà ad mare habitant, plaga ea ad 28. miliaria ſecundum littus extenditur. Vndique autem ab hoſtibus premuntur. A Septentrione imminent ipſis, quos VVeittaka appellant, ad meridiem Tuppin Ikinſij, in interiore regione Karayæ. In mõtibus autem ipſis VVaygannas, inſuper & Markayates inter ipſos habitantes, & quidem infeſtiſſimos habent, à quibus poſterioribus maximæ affliguntur. Reliquæ nationes inter ſeipſas etiam diſſident; & bella inuicem gerunt, & quos vtrinque ceperint, eos deuorant.


Ædificant plerunq; prope ſiluas & flumina, vt feras, piſces, & ligna in promptu habeant. Vbi locum aliquem deuaſtarunt, commutant eum cum alio.

Capvt V.

Tuguriorum forma, & quo genere valli, ipſorum vici muniantur.

SI Tuguria quædam conſtruere in animo habent, tum Regulus conuocat vel 40. familias: conueniunt tam viri, quam fœminæ, quotquot haberi poſſunt, qui vt plurimum omnes inter ſe cognati ſunt. Tum caſam conſtruunt, quę in latum quatuordecim pedes, in longum autem centum quinquaginta patet, prout plures eam inhabitauerint: in altum autem duas circiter orgyias aſſurgit. Lacunar conuexum eſt, in formam cellæ vinariæ, quod ramis palmarum ſolide inſternunt, vt imbres arceat. Caſa ipſa nullo interſtitio diſtincta eſt, nec ſunt in ea conclauia: quodque par, vir videlicet cum fœmina locum peculiarem occupant, ex vno latere ad duodecim pedes latum; ex altero ſimiliter fit ab alijs, donec totum tugurium compleatur: ſingulæ autem familiæ ſuum peculiarem focum habent. Regulus eius tugurij in medio locum occupat. Caſæ ipſæ pleræque omnes tribus duntaxat foribus ſeu oſtiis patent, ad vtramque videlicet extremitatem & in medio: ſunt autem humiliores, quam vt erecti ingredi poſſint.

Raro vicum videas, qui vltra ſeptem eiuſmodi caſas contineat, in quarum medio area eſt, immolandis captiuis deſtinata.



Muniunt tuguria ad hunc modum: includunt ea circumcirca palmarum truncis ſeſqui orgyiam, ſiue nouem pedes altis, per medium fiſſis, & ex ordine erectis, ac ſatis arcte coniunctis, ne qua fiſſura ſagittæ tranſitum præbeat. Ipſi autem foramina minuta aperiunt, per quæ ſpicula ſua diſpergant. Tum vero circa hanc munitionem crates circumſtruunt, ex præaltis & robuſtis palis factas, non tamen adeo arcte compactas, nec etiã adeo laxas, vt quis perrumpere poſſit ſubducto corpore. Quibuſdam moris eſt capita occiſorum & deuoratorum illis præfigere in ipſo introitu tuguriorum.

CAPVT

Capvt VI.

De modo ignem eliciendi.

Ligna illis naſcuntur, quæ vocant Vrakuciba, illa exiccant, dehinc duo ex illis digiti vnius craſſitudinem æquantia inuicem terunt, ex quo attritu puluis deraditur, qui calore attritorum lignorum inflammatur, atque hoc modo focum inſtruunt.

Capvt VII.

De ſtratis, quibus noctu incubant.

Noctu indormiunt reti ex Goſſipio contexto (Inni vocant) & ad duos palos ſupra terram religato. Focus autem tota nocte collucet, nec facile in tenebris tuguria egrediūtur, vt naturæ opus reddant, niſi ignem prælucentem habeant, adeo Dæmonium, Ingange ipſorum lingua dictum, exhorrent, quod ſæpius ipſis obuium conſpiciunt.

Capvt VIII.

Quam ſint exercitati in feris ac piſcibus iaculis configendis.

Siue nemora petant, ſiue flumina, vbiuis arcu ac ſagittis inſtructi incedunt. In ſiluis obuerſantes, oculos ſurſum in arborum cacumina perpetuo figunt, ſi quas ex maiorum auium genere conſpiciant, vel Cercopithecos, aut alia animalcula, quæ in arboribus verſari ſolita. Vbi quid deprehenderint, eo vſque ſectantur, donec prædam nanciſcantur, raro admodum vacui domum reuertentes, ſi venatum exeant. Piſces non minus ſolerter inueſtigant in ipſo littore: viſo enim acuto præditi ſunt. Vbi quem natantē viderint, eum iaculis figunt, vix vnquam aberrantes. Fixum autem natando quam primum conſequuntur. Sunt quidam maiores piſces, qui vbi vulnus ſenſerint, fundum petūt. Illos ipſos etiam, ſeſe ſub aquas mergentes, vel ad ſex orgyias in profundum ſequuntur, & captos protrahunt.

Sunt & illis reticula, contexta ex filo detracto è folijs quibuſdam oblongis & acutis, ipſorum lingua Tockaun vocatis: quo reti, ſi piſcari inſtituunt, conueniunt aliquot, quiſque ſuum affert, ingrediuntur mare, quà vnda alta non eſt, & reticula ea in circum componunt, tum alij orbem eum ingrediuntur, & aquas ictibus verberant, quo facto, piſces profundum petere volentes, in retia incidūt. Qui plures ceperint, diuidunt eos cum reliquis.

Sæpenumero & illi, qui longe à mari abſunt, aduentantes piſces eiuſmodi in magna copia capiunt, & ad ignem torrefactos contundunt in farinam, quam probe exiccant, vt ætatem ferre poſſit, ſic præparatam domum auehunt, & cum farina radicum mixtam comedunt: ſin piſces torridos aueherēt, corrumperentur illi ante iuſtum tempus, vtpote qui ſale macerati non ſunt. Adhæc farina arctius conuaſatur, quam piſces integri, licet aridi.

Capvt IX.

De ſtatura, & habitu corporis eius gentis.

GEns eſt concinna & iuſta corporis proportione prędita, in vtroq; ſexu, nec differt à noſtris hominibus, niſi quod à ſole aduſti colore ſint aquilino, quippe qui nudi incedant, cuiuſcunque vel ætatis vel ſexus demum fuerint, nec ipſa verenda aliquo modo contegant. Deformant autem ſeipſos coloribus aſcititijs. Barbam non alunt, ſed pilos radicitus euellunt, quotieſcunq; ſuccreſcūt. Perforant etiam labia, & auriculas, quibus lapillos appendunt in ornatum ſcilicet corporis. Adhæc varie ſe plumis exornant.

Capvt X.

De inſtrumentis, quibus in ſecando & findendo vtuntur, ijs videlicet in locis, in quæ cultri, ſecures & forfices non perferuntur.

PRiuſquàm naues in eas oras appellerēt, & nunc quoque quibuſdam in locis, quo nullæ vehuntur, quoddam genus lapidis colore veneto aut cæruleo ſaturo in modum cunei formāt, tum partem latiorem obtuſo modo acuunt: is ſpitamæ longitudinem habet, palmæ autem latitudinem, & duorum digitorum craſſitiem; variant autem magnitudine: hinc lignum aliquod ſumma parte inflectunt in angulum, cui lapidem inſerunt, & vimine aſtrictum innodant.

Eadem forma eſt ferreis illis cuneis, quos à Chriſtianis quandoque accipiunt. Sed nunc manubria aliter formant: foramen enim in ſummo conficiunt, cui lapidem inſerunt, & quiduis pro libitu ita ſecant.

Pars dentes aprugnos in medio acuunt, quos ligno duplici includunt, & ſagittas ac arcus ſuos illis radunt, tamque glabras & rotundas reddunt, ac ſi torno læuigata ac perpolita eſſent.

Eſt & aliud dentis genus in vſu, animantis cuiuſdam, Pacca illis vocati: illum in a-

in apice acuunt,& ſi ſanguis intercus ipſis moleſtus eſt,locum ſcabunt eo,donec ſanguinem eliciant,vt quandam ſacrificationis rationem referat.

Capvt XI.

De pane,quo veſcuntur,& de nominibus frugum,item de ſatione & præparatione eorum in vſum & victum quotidianum.

ARbores ijs in locis incidunt, quo plantationem ſuam inſtituere conſtituerunt,inciſas relinquunt ad menſes tres,donec exiccentur,hinc igne ſuppoſito eas comburunt,& plantant radices medio inter truncos ſpatio,quibus veſcuntur:eæ nomine Mandiocæ vocantur; & naſcuntur inſtar fruticis ſex pedum alti, ſinguli tres radices proferunt. Quando ſuccreuerũt, euellunt fruticem, & radices decerpunt:caulis autem ramulos abruptos terræ defigunt, ij radices agunt;quæ ſemeſtri ſpatio ſuccreſcentes,vſui rurſus eſſe poſſunt Præparantur autem tribus potiſſimum modis. Primus eſt, vt ſuper lapidem contritæ in minutiſſima fruſtula comminuantur: & ſuccus exprimatur, quod fit inſtrumento ex folijs ramorum palmæ parato,cui nomẽ eſt Tippiti: expreſſæ ſiccantur, poſt per cribrum tranſmittuntur, ex farina autem illa liba pinſitant. Inſtrumẽtum illud, in quo farinam torrent & pinſunt, ex luto figulino confectum eſt, formâ patinę capacioris.

Alter modus eſt,quando radices recentes in aqua macerant,donec putreſcãt, putrefactas in fumum ſuſpẽdunt,donec exiccentur:aridas eiuſmodi radices vocant Keinrima,& multo durant tempore, vbi in vſum adhibere eas cogitant, in mortario ligneo contundunt:ea farina tam pura,tamque candida euadit, vt triticeæ non cedat,hinc liba pinſitant,quorum nomen eſt Byyvv.

Tertius modus eſt, cum accipiunt probe putrefactas Mandiocas, antequam exiccentur, & illis aridam farinam,& aliam adhuc recentem commiſcent, mixtam poſt deſiccant,quæ integrum annum incorrupta ſeruatur; & perinde eſt efficax:hæc ad eum modum præparata,vocatur illis V.Y.than.

Sunt & aliæ rationes farinam conficiendi, ex carnibus videlicet & piſcibus paratam, & quidem hoc pacto: Carnes vel piſces ſuper ignem in fumo & flamma aſſatos penitus indurant; hinc fruſtulatim captos denuo ſuper igne in vaſe ſeu ſartagine vſtulant & torrefaciunt. Vaſa ea in hos vſus cocta ſunt, & Y. nepaun illis dicuntur,poſt in mortario ligneo minutiſſime teruntur & cribrantur. Atque ita farina efficitur, quæ diu aſſeruatur: nec enim vel piſces vel carnes vllas ſale condire apud eos moris eſt. Hanc autem farinam cum altera ex radicibus mixtam comedunt, nec omnino ingrati ſaporis eſt.

Capvt XII.

De modo coquendi cibos, & de nouo quodam ſalis genere.

PLeræque ex illis nationes ſale non veſcuntur: erant tamen quidam inter eos, qui me ceperãt, ſali aſſueti, edocti id à Gallis, quorum commercio fruuntur. Inſuper commemorabant, eſſe nationem ſibi vicinam, Karaya nomine, quæ ex palmis ſalem conficeret in condimentum ciborum, verum qui eo liberalius vterentur, vitæ eſſe breuioris. Illud autem eo modo parant, quo & ipſe parari vidi, & in parando ipſo iuui. Palmam prægrandem incidunt, quam ſcindunt minutim, hinc ſtruem ex lignis aridis conficiunt, cui palmæ ſegmina ſuperimponunt, & omnia ſimul ignibus ſubiectis cremant: hinc ex cineribus illis lixiuium parant, quod coctum cogitur, & ſal illud producit. Ego quidem nitrum eſſe arbitrabar, ſed ignis exploratione ſecus ſe rem habere deprehendi, ſal ſapiebat, & colore erat cinereo.

Quicquid coquant, ſiue carnes ſiue piſces fuerint, vt plurimum pipere viridi condiunt: vbi coctio fere conſummata eſt, ex iure depromunt, & in liquidam pultem redigunt (Mingau eam vocant) quam ex cucurbitis, quibus pro vaſis vtuntur, ſorbent.

Si vel carnes vel piſces coquunt, quos aliquandiu durare cupiunt, eos ſupra focum ad 4. ſpitamas eleuatos in cratibus ligneis deponunt, tum ignem ſatis luculentum inſtruunt, atque fumo flammiſq; vſtulant, donec humor omnis deficiat. Menſis autem eiuſmodi carnes non niſi bullitione recoctas apponunt, quas illi ſua lingua Mockaein vocant.

Capvt XIII.

De Magiſtratu, & legibus ſiue iure ipſorum.

NVllis legibus, nec iure fere vllo reguntur: ſingula tuguria ſuos habent Præfectos, quos illi Regulos vocant: quotquot autem præſunt, eodem ſanguine fere omnes prognati ſunt, & pares Magiſtratus obtinent, quicquid alij ſentiant. Fieri tamen poteſt, vt alter in bellis ſit exercitatior, ac proinde maioris exiſtimationis habeatur, & reliquis in expeditionibus præferatur, qualis ſupra memoratus Konyan ille Bebe. Præter id ſane nullas alias peculiares conſtitutiones inter ipſos deprehendi, niſi quod iuniores in omnibus, quę conſuetudo ipſorum probauit, ſenioribus prompte obſequantur, & morigeri ſint.

Si inter ipſos homicidium vel ex telo, vel alio modo eueniat, conſanguinei eius, qui cæſus eſt, ad ſupplicium de homicida ſumendum parati ſunt, quãquam id raro admodum vſu veniat.

Præ-

Præterea omnes Primario cuidam ſui tugurij parent: is ſi cui quid mandat, animo prompto id conficitur, nec minus aut vi vlla opus eſt: ſunt enim per ſe parati & expediti.

Capvt XIIII.

Quomodo ollæ & vaſa fornacibus excoquantur, quorum apud ipſos vſus eſt.

MVlieres vaſa, quæ in vſu habent, hoc modo præparant: Lutum figulinum ſubigunt, donec tractabile reddatur, hinc vaſa diuerſa pro libitu inſtituunt, quę ad tempus in aere ſiccant, & lineis verſicoloribus ductis affabre diſtinguunt. Vbi illa iam ignibus excoquere volunt, inuerſa lapidibus imponunt, & circumquaque ſiccos arborum cortices ſtruunt, ignemq; ſupponunt: quo tandem modo excoquuntur, & tam candentia, quam in quouis fornace fiunt.

Capvt XV.

De modo præparandi potiones, quibus inebriantur, & de moribus inter compotandum receptis.

EAs potiones hac ratione apparant mulieres. Radices mandiocas in ollis ſatis capacibus decoquunt, coctas in aliud vas ſiue patellam infundunt, donec deferbuerint: tepefactis puellas & virgines admouent, quæ ore eas maſticant, maſticatas in peculiare poculum reponunt.

Vbi omnes ad eum modum dentibus comminutæ fuerint, refundunt eas in priores ollas, quas aqua ad ſummum complent, ignemque admouent, donec incipiant bullire.

Hinc peculiaria vaſa in promptu habent, quæ ad medietatem in terram defoſſa ſunt: ea his potionibus aſſeruandis parata ſunt, non ſecus ac noſtra dolia vinaria ſeu cereuiſiaria. In ea decoctiones illas infundunt, & probe obturant: per biduum ita relictæ fermentantur, & inde maioris fit efficaciæ, atque generoſioris ea potio; & cum ſit craſſioris ſubſtantiæ probe nutrit. Hac ſe genialiter reficiunt, atque etiam inebriantur.

Singula mapalia ſuum potum præparant. Cum ergo eiuſdem vici incolæ genio indulgere conſtitutum habent, quod fere ſemel in menſe accidit, primum omnes in vnum tugurium congregantur, & illius potum omnem exhauriunt. Hinc ordine ſimiliter ad alia procedunt, donec potum vniuerſum per omnia tuguria euacuarint.

Quando compotant, conſidunt circum vaſa, alij titiones pro ſellis habent, alij nudo pauimento inſternuntur, tum mulieres ex ordine illis decenter potum præbent, pars ſtantes concinunt, pars choreas circum vaſa inſtituunt. Veſicam exoneraturi in eodem, quo conſedere vel conſtitere loco vrinam reddunt.



Compotationes per totam noctem continuantur: nonnunquam inter titiones diſiectos ſaltant, clamores inconditos tollunt, & buccinas inflant. Inebriati mire tumultuantur, & horrendos clamores ac vociferationes edunt. Raro inter ſe diſſidentes videas, aut rixas vel iurgia ſibi mouentes. Optime autem inter ipſos conuenit, & fauore mutuo inuicem certant, ita, vt ſi cui plus eſcæ ſuppetat, ille cum reliquis prompte communicet.

Capvt

Capvt XVI.

De cultu ſeu ornatu virili, deque coloribus adſcititijs eorum, tum qualia ſibi nomina imponant.

RAdunt verticem, & coronam ex capillis circumquaque relinquunt, more monachorum. Sæpe illos interrogaui, vnde formam eam tondendi acceperint: Illi autem reſponderunt, obſeruaſſe eam maiores ſuos olim in viro, cui nomẽ fuerit Meire humane, qui multa miracula inter ipſos ediderit. Sunt qui contendunt, eum vel Prophetam, vel ex Apoſtolis aliquem fuiſſe.

Interrogati, quo inſtrumento vſi fuerint in tondendis capillis, antequam forfices à nauigantibus acceperint, retulerunt id lapideo cuneo fieri ſolitum fuiſſe, cui aliud quiddam ſuppoſuerint, in quo crines colliſos, confractoſque feriendo decurtarint: verticem autem fragmento lapilli cuiuſdam pellucidi raſiſſe; cuius adhuc in tonſoria multus apud ipſos vſus eſt.

Porro ex pennis rubeis conſarcinatum habent redimiculum, quod Kannittare illis dicitur: id circum caput religant.

In labijs inferioribus foramen ſatis amplum retinent, quod in pueritia adhuc conformant, acuminato oſſe ſeu apice cornu ceruini labia terebrantes, & vulneri lapillum aut lignum inſerentes, & vnguentis ſolitis inungentes.

Illud foramen poſtmodum non conſolidatur, poſt vbi adoleuerint, vt armis iam habiles eſſe credatur, ampliant illud, & lapillum viridem mediocris magnitudinis illi inſerunt. Pars conciſior intrat labia; quæ craſſior eſt foras appendit. Inferiora labia omnes habent pendula, ex pondere lapidis affixi. Similiter lapillum in vtraque maxilla geſtant, ſed minorem.

Sunt qui ex criſtallo lapillos eos conficiant, & forma quidem oblonga.

Eſt & aliud illis ornamenti genus, ex cochlearum marinarum Matte pue vocatarum, teſtis conformatum, inſtar Lunæ ſemiplenæ candidum; quod à collo appendunt, & Bogeſſy appellant.

Tum ſphęrulas ex marinis cochleis operoſe & multo labore adornant, culmi craſſitudine, quas ordine iunctas, pari modo à collo ſuſpendunt.

Brachiis etiam plumaceas criſtas imponunt, tum cutem nigro colore diſtinguunt, pennaſque nigras ac rubras alternas corpori agglutinãt, cum viſcoſa quadam materia, quæ ex arboribus profluit, quam corporis partibus plumis decorandis illinunt, vnde pennæ appoſitæ tenaciter adhæreſcunt. Tum brachia ipſa

alternis coloribus variãt,hoc rubro, illud nigro colore inficientes: idem faciunt in cruribus & reliquo corpore.

Aliud inſuper habent geſtamen ex Struthiocameli pennis compoſitum,rotundum & amplum, hoc ſupra nares poſt tergum religant, cum belligeratum hoſtes exeunt, aut feſtiuitatem aliquam celebrant:Enduap nomen illi eſt.

Nomina propria cum feris ac beluis communia habent,nec vno aliquo ſolo gaudent,ſed plura ſibi imponunt,ea tamen differentia. Recens natis vnum aliquod ſingulare additur,illud tamdiu retinent,donec bello & hoſtibus occidẽdis idonei ſint: quo ergo quis plures hoſtes internetioni dederit, eo nomina ſibi numeroſiora facit.

Caput XVII.

Mundus muliebris.

Mulieres faciei & vniuerſo corpori fucum coloribus inducunt, eodem quo viri modo,ſed hæ comam alunt, quemadmodum noſtræ mulieres, quo ornatu ſolo fere gaudent, præterquam, quod auriculas perforatas habeant, ex quibus ſuſpẽdunt quoddam Clenodii genus,illis Nambibeia dictum, ſpitamę longitudine,ex marinis illis cochleis, Matte pue dictis,efformatum.

Nomina muliebria ab auibus,piſcibus,&arborum fructibus deſumpta ſunt, & quæque ſibi peculiare à primis incunabulis ſortitur atque retinet, ſed adultæ, pro numero mancipiorum,quæ mariti occiderint,ea multiplicant.

Pediculis ſibi mutuo caput purgantes, eos comedunt: ſi cauſam rogatæ, reſpondent,cum in capitibus ipſorum victum quæritent, pro hoſtibus haberi, & proinde id ſupplicium in illos ſtatui.

Non habent obſtetrices ordinarias: quando pariunt, indiſcrete accurrit quiſque proximus,ſiue vir is fuerit,ſiue fœmina. Vidi ipſe ante quatriduum vix enixas expedite obambulare.

Infantes ſuos baiulant ſupra dorſum, in faſcijs quibuſdam, ex Goſſipio textis inuolutos,& ita onuſtæ nihilo ſegnius laboribus funguntur:infantes autem ſomnum placide interim capiunt, & ſatis ſe commode habent, quantumcunque ſane quaſſentur,& interturbentur.

Caput

Capvt XVIII.

De ritu imponendi prima infantibus nomina.

Xor alterius heri mei, qui me ceperat, enixa eſt filium, paucis diebus poſt partum recens editum, conuocat eos, qui proximi illi à latere erant in eodem tabernaculo, cōſultant, quid nominis nato recens puerulo imponendū videatur, quod & virile ſit, & tremendum. Enumerant aduocati varia, quorum nullum patri arridebat. Tandem ipſe conſtituit, à quatuor maioribus ſuis nomen mutuari, & id boni ominis eſſe affirmabat, quippe qui ab illis denominentur, fœliciter & proſpere ſuccreſcere, & ſagaces fieri in capiendis hoſtium mancipijs. Tunc recenſet ex ordine nomina illorum. Krimen erat primus; ſecundus Hermittan; tertius Koem; quartus memoria mihi excidit. Cum audirem nomē Koem, ſuſpicabar fuiſſe Cham: verum Koem illorum lingua idem eſt, quod noſtris, aurora. Ego qui præſens aderam, hortabar herū, vt retineret nomen Koem, vt qui vtique ex maioribus illis fuerit. Puer ergo natus vnum ex illis nominibus retinuit. Atque hæc eſt infantibus nomina indendi ratio, nullo Baptiſmo, nulla circumciſione adhibita.

Capvt XIX.

De vxoribus ducendis, & de conuerſatione cum ijſdem.

Aiore ex parte vna aliqua vxore contenti ſunt, non deſunt tamē qui plures habeant. Quidam ex Regulis, vel tredecim quatuordecimue ſuperinducūt. Is cui vltimo dono ceſſeram, à quo Galli me redemerant, Abbati Boſſange nomine, complures in coniugio habebat. Sed quam primam ſibi iunxerat, ſuprema erat: quælibet in tugurio priuatum ſuum habebat conclaue, & peculiarem focum inſtruebat, adhæc proprios agros radicibus colebat. Verſabatur autem Rex in illius contubernio, cum qua noctem traducturus eſſet, eadem ipſi cibum præbebat. Ipſe autem ordine ad ſingulas procedebat.

Proles, quas ex coniugio ſuſcipiunt, maſculi quidem, vbi adoleuerint, venatui ſtudent, prædam quiſque ſuæ offert matri, quam illæ percoquunt, & reliquis communicant: optime autem inter vxores illas & coniuges conuenit.

Moris præterea eſt, vt ſi pertæſum alicuius vxoris ſit, eam alteri dono offerat: de filiabus etiam & ſororibus idem fit.

CAPVT XX.

De Sponſalibus.

DEſpondent filias adhuc puellas, & impuberes adultis, & iam viro maturis detondent capillos. Dorſo peculiares quaſdam rimas ac vulnera inſcalpunt; de collo ſuſpendunt dentes ferarum, donec capilli ſuccreſcant, & vulnera conſolidentur, nihilominus notis ſeu veſtigijs remanentibus; ſi quidem ita vulneri medicātur, vt ſigna nigricantia relinquantur poſt curationem, quod maxime ſibi illæ honori ducunt.

Finitis ceremonijs, ſponſo nuptam offerunt, ferme abſque vllis ſolemnitatibus. Coniuges ſe decenter & modeſte in maritalibus gerunt, clam debitum ſibi ſoluentes.

Vidi ego Præfectum quendam ſummo mane tranſeuntem per omnia tuguria, & infantum crura acuta piſcis dente affricantem, quo terrorem illis incuteret, & formidoloſos efficeret; vbi à parentibus commonefierent imminentis monſtri, ſi quando inſolenter fletibus & eiulatibus indulgerent.

CAPVT XXI.

De bonis, facultatibus, & diuitiis ipſorum.

NIhil negociantur, nec monetam vllam norunt. Theſaurus illis ſunt auium pennæ, quo, qui illis magis abundat, eo ditior cenſetur: tum, qui ex labijs lapillos habet propendentes, inter locupletiores reputatur.

Quodque coniugii par, ſuos agros proprios colit radicibus, vnde vitam ſuſtentat.

CAPVT XXII.

De honoribus & dignitatibus inter ipſos.

HÆc præcipua & maxima inter ipſos eſt dignitas, quæ confertur illi, qui plures hoſtium cepit & occidit. Receptum enim habent conſuetudine, vt tot numero ſibi quiſque nomina adſciſcat, quot hoſtes ipſe à ſe captos propria manu confecerit. Illi ergo reliquis præferuntur, qui plura ſibi nomina comparauerint.

CAPVT

Caput XXIII.

De Numinibus ſiue Dijs, in quos credunt.

Fructus quidã modo cucurbitæ apud illos naſcitur, cauus, duorum ſextariorum capax: per hunc, ab eius videlicet imo ad ſummum, figunt baculum, & in latere foramen ad oris formam incidunt, tum vero lapillos iniiciunt, qui moti ſtrepitum ſeu ſonũ concitant. Tamaraka ab illis appellatur.

Hæc illorum numina ſolis viris propria ſunt, quorum quiſq; ſuum peculiare retinet.

Sunt autem quidam inter illos mantici generis, qui cum noſtris magis ſeu diuinatoribus conferri poſſunt: Paygi illis dicuntur, puto hagios dicere velle. Illi ſemel in anno totam regionem peragrantes ſingula tuguria viſitant, dictitantes ſpiritum ſibi familiarem ex remotis orbis partibus adfuiſſe, & poteſtatem conceſſiſſe, vt quotquot ipſi velint Tamaraka efficerent fatidica voce prædita, ac facultatem illis concederent, conſulentibus reſponſa dare, ac votorum compotes reddere.

Interea illi inter ſe certant ſtudijs, & ſuo quiſque tintinnabulo hoc beneficij impetrare feſtinat. Feſtum celebre apparant, compotationibus, choreis, diuinationibus, varijſque & miris ceremonijs indulgentes. Dehinc vates decernunt diem, & tugurium deſignant, in quod conueniant: illud expurgant, impedimẽta remouent, mulieres puerosque arcent. Edicunt vates, vt quiſque ſuum Tamaraka rubris pennis condecoratum ſecum in illud tugurium apportet, vbi vocis facultatem accipiat. Conueniunt in loco cõſtituto, vates ſupremum locum occupant, & ſua Tamaraka infigunt terræ, prope illa reliquorũ quoq; defiguntur, & quiſque pro ſe vatibus dona offerunt, ſagittas, pennas, & inaures, ne forte incauti vates ea negligant. Vbi iam omnes in vnum cõgregati ſunt; vates quodlibet Tamaraka aſſumptum ſuffitu quodam ex herba, Petun illis dicta, luſtrat. Inde ori illud ſuo admouet, concutit, ac talibus affatur, Nee Kora. Loquere ergo & vocem ede, ſi intus habitas. Hæc effatus gracili voce verba profert, quæ ægre auribus percipiantur, vt dubites vtrum à Mago, an ab idolo edita ſint: vulgus idoli retur, ſed reuera Magi ipſius vox eſt, atque ita ordine cum ſingulis agitur. Perſuaſi itaque magnum ſuis idolis iam ineſſe numen, à Magis admonentur, vt bellum ſuſcipiant, & hoſtes capiant, ſiquidem ſpiritus eos, qui Tamaraka inhabitent, geſtire carnibus mancipiorum exſaturari: quibus auctoribus expeditionem ſuſcipiunt.

Poſtquam vates Paygi numen afflauit omnibus illis crepitaculis, quiſque ſuum ſuſcipit, & dilecti filij nomine ipſi adblandiens, repoſitorium componit, vbi conſeruetur, tum dapes illi apponit, & omnia vitæ neceſſaria, non ſecus ac

nos à vero,Deos ab illis expoſcit.Hæc ergo ſunt illis numina, nec ſolliciti ſunt de Deo conditore cœli ac terræ,ſed cœlum volui,& terram conſtare,antiquitus ita acceptum,& vſum inualuiſſe dicunt,neque de mundi primordijs accuratiorem habent aliam notitiam.

Commemoratur tamen ab illis quoddam diluuium,quod omnes olim maiores illorum perdiderit præter paucos,qui partim ſcaphis elapſi,partim in arboribus ſaluti conſuluerint. Suſpicor autem quædam veſtigia fatalis illius diluuij, quod in Geneſi deſcribitur,inter ipſos relicta eſſe.

Cum primum inter eos verſarer,& intelligerem ex ipſis,quod reſponſa ab his Tamarakis peterent, diabolicas quaſdam præſtigias credebam: verum cum & ipſe intereſſem Magorum ceremonijs,qui numen his communicare promittebant,intelligens dolum & impoſturam, ſubducens me, mirabar tantam gentis cæcitatem.

Capvt XXIIII.

De mulieribus Manticis, & quibus ceremonijs tales efficiantur.

Conueniunt primum in quoddam tugurium, deinde Magi omnes mulieres eius tugurij ordine ſuffitu luſtrãt: mulier autem ita luſtrata, vocem, quantum poteſt, intendere, & ſubſultare cogitur, tum in orbem curſitat, donec in terram concidat, exanimatæ ſimilis. Hinc vates infit, ecce iam expirauit, paulo poſt in vitam ego reducam eam: vbi ergo ad ſe redijt, pronuntiat eam ſagacem eſſe, & futuris prædicendis idoneam. Quare prœlium inituri, & has mulieres de euentu eius conſulunt.

Vxor heri mei, cui mactandus eram oblatus, quadam nocte vaticinari cœpit,& ſibi ſpiritum peregre oblatum adfuiſſe aiebat viro ſuo,qui certior eſſe velit de morte mea,& quærebat de claua, vbi illa lateret, cum qua mancipia obtruncant.

Vir eius reſpondebat,in promptu eſſe eam,cætera etiam parata,niſi quod videatur ſibi,me non eſſe Portugallenſem,ſed Gallum potius.

Vbi deſierat illa vaticinari, quæro ex ea, vt quid vitæ meæ adeo inſidiaretur, cum hoſtis eorum non ſim; an non vereatur, ne quid mali ſibi adſciſcat, ſi Deum meum iratum habeat.Illa me quietum eſſe iubet,ſiquidem ſpiritus illi peregre allati,certiores ſaltem de ſalute mea fieri velint. Hæ ergo & aliæ complures eiuſmodi ceremoniæ illis in vſu ſunt.

Capvt

Capvt XXV.

De materia & forma nauium, quibus vehuntur.

SVnt arbores in ea regione, Yga Yvvera dictæ: haſce integras decorticant, à ſummo vſque ad imum, & vt cortex illęſus detrahatur, peculiari apparatu arbores cingunt.

Hinc cortices detractos in montes prope mare ferunt, & ignibus excalefactos in vtraque extremitate multum incuruant, per medium ligna tranſuerſa religant, ne dilatentur, & ſcaphas ita conformant, quarum ſingulæ vel triginta viros armatos bello inuehere ſufficiant. Cortex hic pollicaris eſt craſſitudinis, latus quatuor circiter pedes, lõgus vero quadraginta, alij etiam longiores ſunt, alij breuiores.

Has illi ſcaphas ſumma agilitate impellunt, & quolibrt locorum in ijs vehuntur, ſi mare impetuoſum eſt, ſubducunt eas in terram, donec ſerenitas redeat. Vltra duo miliaria in altum quidem non progrediuntur; ſed ſecus littus pro libitu procul excurrunt.

Capvt XXVI.

Cauſæ cur hoſtes ſeſe inuicem vorent.

NOn vrgente quidem fame, ſed odiis acerbiſſimis inuicem flagrãtes ſe mutuo deuorant: quando in aduerſos pugnant, hinc inde ſe inclamant talibus: Dete immeraya ſchermiuramme heivvoe: Dij te male perdant, eſca mihi nunc futura. De Kange Iuca eypota Kurine, hoc ipſo adhuc die caput tuum comminuam, ſche innamme pepike reſeagu: adſum, vt cædem amicorum meorum nunc vlciſcar in te. Yandeſeo ſchemocken ſera quora oſſorime rire, &c. Caro tua hodie ante ſolis occaſum mihi lautitias ad prunas toſta prębebit. Fit ergo ex mero odio naturali, vt mutuo in ſe tam ſint crudeles.

Capvt XXVII.

Quomodo conſilia ineant, cum expeditionem in hoſtium terram ſuſcipiunt.

CVm in hoſtes bella mouere ſtatuunt, Duces conueniunt, ineuntque conſilia, de inſtituenda & perficienda expeditione, conſulta de hinc per tuguria paſſim edicunt, vt ſe bello parent, definiuntque tempus nominato cuiuſdam arboris fructu, qui cum maturuerit, belli tempus adeſſe ſciant: nec enim vllam

anni aut dierum diſtinctionem norunt. Præterea profectionem determinant piſcis cuiuſdam, qui illis Pratti dicitur, partus tempore, partus vero tempus ab illis Pirakaen vocatur: ad illud ergo tempus ſcaphas interim & ſagittas adornant, & ſiccatarum radicum farinam, quam V.Y.than vocant, in annonam. Tandem etiam Pagyos ſacerdotes ſuos in conſilium adhibent, & reſponſa de victoria petunt. Fit interim, vt ad illorum nutum ſententiam ferant. Nihilominus mandant, vt ſomnia obſeruent accurate, quæ de hoſtibus aliquid præfigurent. Vbi maior pars ſomniant, hoſtium carnes aſſari, victoriam ſibi pollicetur: ſin ſeipſos ad ignem torreri viderint, malum omen agnoſcunt, & propterea expeditionem differunt.



Quando ſomnia proſpera apparuerint, per ſingula tuguria potiones conficiunt in copia, quibus ſe largiter ingurgitant, & cum idolis ſuis Tamaraka ſaltationes lætabundi celebrant: quiſque ſuo ſupplicat, vt ipſius auxilio hoſtium aliquem in ſuam poteſtatem redigere poſſit. Hoc peracto, profectionem inſtituunt,

tuunt, vbi vero hoſtibus iam viciniores facti ſunt, Duces ſingulis mandant ſub eam noctem, quæ præcedit impreſſionem, vt ſomnia eius noctis fideliter recordentur.

Ipſemet aliquando cum illis militatum profectus obſeruaui, quod vbi hoſtium finibus appropinquaſſemus, dux belli per caſtra incedens, ſub veſperam proxime præcedentem conflictum, monuerit, ne ſomnia ea nocte viſa obliuiſcerentur, & adoleſcentibus iniunxerit, vt orto ſole feras venarentur, piſceſque caperent. Poſtquam illa mandata exſequuti ſunt, Dux prædam ignibus decoqui curauit: & reliquis Regulis adeſſe imperauit. Illi parati ad Ducis caſtra venerunt, & humi in orbem cõſederunt, Dux dapes apponi illis imperauit; pranſi ſomnia ordine expoſuerunt, quæ ſatis commoda videri poterant, præ gaudio itaq; choreas cum idolis ductitarunt.

Hoſtium habitacula noctu ſpeculantur, & priuſquam illuceſcat, ipſa aurora hoſtes vi adoriuntur. Si lethaliter ſauciatum ceperint, eueſtigio illum obtruncant, & carnes toſtas domum auehunt: incolumes viuos abducunt, & in domicilijs ſuis mactant. Horrendo clamore ſublato hoſtes adoriuntur, terramque acriter pedibus feriunt, ac tubas ex cucurbitis conſtantes horribiliter inflant: funiculis omnes ſuccincti ſunt, quibus hoſtes captos vincire deſtinant, tum rubris pennis diſtinguuntur, vt à reliquis differant: in iaculando ſunt agiles, & ignita tela in tecta hoſtilia diſpergunt, vt incenſa exurantur. Si qui eorum ſauciantur, in promptu ſunt herbæ vulnerariæ, quibus læſis medentur.

Capvt XXVIII.

De armis & telis Barbarorum.



VTuntur arcubus & ſagittis, quarum cuſpites oſſeo probe acuto mucrone adalligato præmuniunt. Similia ſpicula ex dentibus piſcium marinorum, Tiberaun nomine, fiunt. Prẹterea Bombacem cera illitam ad cuſpides ſagittarum religant, & igne addito ſpargunt: hæc illis ignita tela ſunt.

Scuta adhæc in vſu habent ex arborum corticibus, & ferarum tergoribus: tum ſpinas defoſſas infigunt pauimento, quemadmodum nos ferreis muricibus vtimur.

Audiui

Audiui quidem, ſed præſenti cernere non contigit, quod hoſtes ex caſtris profugare poſſint pipere, quod apud illos prouenit, & tali quidem pacto: Luculentum ignem excitare, flante vento, cui magnam copiam piperis inſpergerent, vti fumus hoſtium caſtra oppleat, ſicque illos in fugam verti neceſſe ſit. Quod ſane, vt credam, facile adducor. Fui enim ipſe inter Portugallenſes, apud Fernanbuco, vt ſupra expoſitum eſt, & cum nauis noſtra alicubi in ſicco hęſiſſet ob fluctuum reciprocationem, Barbari in nos irruerant, ſperãtes ſe ſuperiores fore; verum ſpe ſua fruſtrati, coniectis ſarmentis aridis inter littus & nauem, atque inſperſo pipere, fumo nos ex naui deturbare conati ſunt: ſed & ſpes eos in hac re refellit, quia ligna ignem non conceperunt.

Caput XXIX.

De ceremoniis in hoſtium cæde & epulatione vſitatis, de inſtrumento, quo captos obtruncant, & de reliquis circumſtantijs.

HOſtem primo domum deductum, mulieres atque pueri miſere verberibus excipiunt. Hinc pennis cinericei coloris illum pingunt, ſupercilia deradũt: ſaltant in gyrum; funiculis valide aſtringunt, ne aufugiat, mulierem illi adiungunt, quæ & eius cuſtodiam habeat, & cum ipſo etiam conſuetudinem: ſi vero ex illius cõſuetudine grauida fiat, puerum natum educant, donec adoleſcat, adultum vbi commodũ illis videtur, obtruncant & deuorant. Captum ad tempus alunt, & probe ſaginant: interim neceſſaria parant, vaſa aſſeruandis potionibus multa effingunt, peculiaria etiam ignibus excoquunt, ad excipiendum & conſeruandum colores pingendis miſeris paratos. Nodos ex plumis componunt clauæ fatali alligandos. Contorquent funem prælongum, Muſſurana vocitant, quo conſtringitur iam morti deſtinatus. Vbi omnia expedita ſunt, tempus mactationi definiunt. Inuitant reliquos etiam vicinos, qui pagos proximos incolunt, vt ſolemnitati iſti interſint. Hinc vaſa omnia potu implent. Vno vero aut altero die, antequam mulieres potionem illam coquant, captum in aream ſemel atque iterum protrahunt, eoque in medio conſtituto, choreas circum eundem inſtituunt.

Vbi inuitati omnes iam comparuerunt, Præfectus tugurij aduentum ipſorum gratulatur, his verbis: Adeſte ô amici, & conuiuium hoc de hoſte veſtro comedentes, nobiſcum læti celebrate. Pridie quam compotationes inſtituant,

Muſſuranam aptiuo ad collum creligant; & eodem die clauam illam ligneam, Ivvera Pemmê vocatam, coloribus ſuis diſtinguunt: ſex pedes longitudine ſupe-




rat, illi viſcoſam quandam materiam illinunt, hinc ouorum putamina cinericei coloris ab aue, cui Mackukavva nomen eſt poſitorum, in ſubtiliſſimum puluerem redigunt, quæ clauæ viſcidæ inſpergunt, quo facto, mulier in puluerem illũ ouorum aſperſum notas deſcribit, ſiue incondite verius ſcalpit, & dum picturæ eiuſmodi intenta eſt, reliquæ cantantes eam gregatim circumſiſtunt. Clauam ergo Ivvara Pemmê, iam vt decet, exornatam plumarum faſciculis & alijs eo ptinentibus, de pertica ſuſpendunt in vacuo tugurio: mulieres autem totam eam noctem cantionibus circum appenſam decantatis inſumunt.

Similiter & faciem capto pingunt, ac dum fœmina ea picturam abſoluit, reliquæ cantiones continuant.

Quando compotationes iam inchoant, captum illis quoque adhibent, & eidem potum miniſtrantes, ſermones cum eo miſcent.

Exhau-

Exhauſto potu poſtridie reſpirant, & capto tuguriolum in area cædi deſtinata extruunt, in quo ad ſequentem vſque diem pernoctet cuſtodibus accurate ta-



men adhibitis: ſummo mane, antequam illuceſcat, denuo clauam fatalem cantionibus & ſaltationibus ſuis circumcirca luſtrant; donec dies procedat. Nocte pulſa captiuum ex ſuo ergaſtulo protrahunt, & illud rurſum demoliuntur, areamque patentem & planam ſternunt. Hinc Muſſuranam à collo capti ſoluunt, & eam lumbis eius circumdant, ſtricte eam vtrinque extendentes; ſtat medius ipſe & impeditus. Extremitates Muſſuranæ comprehenſas aſtringunt complures. Hoc habitu ille aliquandiu conſiſtit miſer, cui ſcrupulos apponunt, quibus mulieres circumcurſitantes, & deglutitionem minitantes, ſi velit, impetat. Illæ autem ipſæ coloribus pictæ, & in hoc ordinatæ ſunt, vt & miſero negotium faceſſant, & cum primum in partes diſſectus fuerit, primarias quatuor prompte corripiant, & manu tenentes circum tuguria curſitent. Quo ſpectaculo illi affatim delectantur.

Confectis ergo ceremonijs illis, ignem instruunt, ad duos paſſus à mancipio diſtan tem, vt miſer ſuum rogum intueri poſſit. Poſt accurrit mulier geſtans clauam Ivvara Pemme, nodulos plumeos ſurſum vergentes quatiens, exultans, & præ gaudio vocem attollens, vinctum prætercurſitat, vt fatale lignum conſpicere nolens volens cogatur.

Dehinc ex viris quiſpiam clauam accipit; & coram capto conſiſtens, prætendit eam, vt fixis oculis ad faſtidium contueatur. Dum hæc fiunt, proceditis, qui nomen ex cæde reportaturus eſt, comitatus quatuordecim; aut quindecim viris, & cinere aſperſo totum corpus fuſcati, pergunt in eam aream, in qua captiuus eſt. Is vero, qui ante illum cum claua conſtiterat, venienti eam offert. Accedit autem Regulus tabernaculi, clauam corripit, & nouo cædis auctori eam intra crura tranſmittit. Qui ritus honoris cauſa inter eos obſeruantur. Poſt execu-



tor cædis clauam corripiens infit: En adſum tibi vitam iam erepturus: quoniam & tui multos ex amicis meis obtruncarunt, deuorarùntque. Huic reſpondet

det

det is,qui morti deſtinatus eſt: Facilis iactura vitæ,quam ſi eripueris,vlciſcentur cædem eam amici mei,qui mihi ſunt adhuc numeroſi.



His dictis,ſimul clauam occipiti impingit tanto impetu,vt cerebrum diſpergatur. Adſunt quamprimum mulieres,cadauer abripiunt,flammis vſtulāt,hinc cutem circumquaque deradunt, vt truncus totus niteat,tum ligno inferiorem gutturem obturant,ne quid inter tractandum amittat forte.

Vbi cutis denudata fuerit, vir lanio opus vlterius aggreditur, & crura ſupra genua, brachia autem præciſè ad humeros detruncat. Accedunt quatuor mulieres in hoc ordinatæ, quæ quatuor eas diſſectas partes, crura videlicet & brachia abripiunt, & ſublatis illis circum tuguria in gyrum curſitant, clamoreſque præ lætitia tollunt. Hinc truncum diuidunt in duas partes æquales, ita vt femora ſeu coxas, & inferiorem ventrem à ſuperiore, ſeu pectore & thorace per medium ſeparent, quas inter ſe patiuntur. Lactes & reliquas internas partes mulieribus relinquunt, quæ eas coquunt, iuſculum autem decoctum ex illis in pul-

tem ſubigunt, Mingau vocatam, quam illæ adhibitis liberis abſorbent. Lactes comedunt; tum carnes circa caput derodunt. Cerebrum, lingua, & quicquid e-



ſui eſt in capite, pueris cedit. Finitis hiſce ritibus, ſinguli domum repetũt, aſſumpta portione ſua. Auctor cædis aliud adhuc nomen ſibi imponit. Regulus tugurij brachiorum muſculos ſupernos ſcalpit dente cuiuſdam animantis occiſori: vbi vulnus conſolidatum eſt, relinquitur veſtigium, quod honori magno ducitur. Quo die cædes perpetrata eſt, auctor eius ſe quieti dare neceſſe habet, & in lecto ſuo retiformi decumbere totum eum diem: præbetur illi arcus non ita magnus, cum ſagitta, quibus tempus fallit, & ſcopum ex cera adornatũ petit. Quod fit, ne brachia ex terrore cædis obtuſa, ſeu exterrita fiant tremula in ſagittando. Hiſce omnibus ego ſpectator, & teſtis oculatus interfui.

Numeros non vltra quinarium norunt: ſi res numerandæ quinarium excedant, indicant eas digitis pedum & manuum pro numero demonſtratis. Quod ſi nu-

ſi numerus & horum multiplicationem excedat, coniungant aliquot perſonas, & pro multitudine digitorum in illis res notant & numerant.

CAPVT XXX.

De quibuſdam animalibus, quæ fert ea Regio.

SVnt in ea regione Capreoli, quales noſtri. Aprorum duo genera: alij enim noſtris ſimiles; alij cum porcellis vel nefrendibus conferri poſſunt. Nomen illorum eſt Teygaſu Tattu: ægre admodum capiuntur decipulis, quibus Barbari in venatu vtuntur.

Cercopithecorum ſunt illic tria illorum genera. Primum Key vocatur; quod ad nos perfertur. Alterum eſt Ackakey; quod catervatim in arboribus ſalis, magnoſq; per ſyluas clamores edit. Tertium genus Pricki ruffum eſt, barbarum more capri; mediocris canis magnitudinem habes.

CAPVT XXXI.

Figura animalculi Dattu.

EſT quoddam illic genus animalculi Dattu vocatum; palmæ expanſæ altitudine, lõgitudine pedali: toto corpore armatum, præterquam in ventre: armatura cornea eſt, & iuncturis complicatur, inſtar noſtrorum thoracum ferreorum. Roſtrum prælõgum habet & acuminatum, caudam etiam trahit ſatis prolixam. Circa rupes verſatur, nutritur formicis. Carnem habet prepinguem; quam non raro appoſitam comedi.

CAPVT XXXII.

De fera Sarvvoy.

EſT & fera quædam Sarvvoy, felis magnitudine, colore cinericeo, interdum fuſco, caudam etiam inſtar felis habet. Cum fœtum edit, enititur circiter ſex proles. In aluo fiſſuram habet, ad dimidiæ ſpitamæ lõgitudinem, intra eam alia cutis ſubeſt. Nec enim aluus hiat aut fatiſcit: in eo ſinu ſunt vbera: quocunque obambulat, proles ſecum geſtat, intra ſinum eum latitantes, & vtraque cute inuolutas. Aliquoties eaſdem ipſe venatus ſum, & catulos ex ſinu ipſemet deprompſi.

Sunt præterea & multæ Tigrides, exitioſæ hominibus & magna damna inferentes. Sunt etiam Leopardi, & alia diuerſa & inſolita animalia, inter quę Cat-

tiuare dictum, amphibium, veſcens iunceo quodam genere, in ripis aquarum dulcium naſcente: ſi metus ipſum inuadit, fugit in aquas vſque ad imum: ouem magnitudine ſuperat; caput leporino conforme eſt, craſſius tamen & minus auritum: caudam obtuſam & breuem habet, crura ſatis alta. Veloci etiam per terram curſu ex flumine alio in aliud fugit. Pilos ſubnigros & in pedibus tres digitos habet. Suillam ſapit, ſi comedas. Sunt & lacertæ illic, amphibiæ, quæ palato non ingratæ ſunt.

Capvt XXXIII.

De quodam vermiculi genere, Barbaris Attun vocato, quod cum pulicibus noſtris conferri poteſt.

Ermiculi pulicibus noſtris minores apud illos naſcuntur, Attun illis nomen eſt, ex ſordibus humanis per tuguria proueniunt: illi ſe in cutem pedum humanorum abdunt, prurituintra carnem excitato, dum intro repunt, hinc paulatim carnes erodentes, ſubſidunt in imo, antequam ſentias malum. Si ſerius animaduerteris ſubrepentes, nec mature exemeris, ſemen numeroſum capitis lentibus ſimile cumulatim in carne progenerant, piſi magnitudine & forma aceruos ponentes. Vbi præſenſeris demum, & hoſce ſyrones expurgaueris, relinquitur foramen in carne tam amplum, vt piſum recipere poſſit. Vidi ego cum primum cum Hiſpanis in eas oras deferrer, quod multis ex ſociis meis pedes plane corroſi perirent ex hoc malo, dum negligerent primo, & principijs non obſtarent.

Capvt XXXIV.

De Veſpertilionibus quibuſdam, pedes & facies hominum noctu per ſomnum arrodentibus.

Enus Veſpertilionum maius noſtrate illic vagatur noctu, & tuguria inuolat, lectiſternia illa retiformia, in quibus cubare ſolitum eſt, infeſtans; ſi non abiguntur, & homines ſopitos ſenſerint, ad pedes aut facies aduolant, & buccella carnis mordicus euulſa abſcedunt.

Dum verſarer inter illos, ſæpius mihi pedum digitos arrodebant, experrectus cruentos aſpectabam. Barbarorum autem plerunque frontem appetebant.

Capvt XXXV.

De Apibus eius oræ.

TRia genera apum illic proueniunt. Primum fere cum noſtris cõferri poteſt: alterum nigrum eſt, & muſcarum magnitudine: tertium minus eſt, nec culices ſuperat. Hæ omnes in arboribus exeſis mellificant. Ipſe cum Barbaris ſæpius mel de triplicis huius generis aluearijs exemptum collegi: quod minimum vero earum genus confecerat, vt plurimum præſtabat. Sed nec illæ aculeos habent tam acres atque noſtrę. Vidi enim cum mella depromerent Barbari, apes confertim in illos irruentes, quas manibus vix de nuda cute remouere ſufficerent. Ad hæc ipſe interfui eidem operi, ſed primo adeo compungebar, vt ferre nõ poſſem, ſed flumen petens, inſidentes ſubmergendo abigere cogerer: nec enim aliter à cute fugare eas vllo modo poteram.

Capvt XXXVI.

De auibus eius Regionis.

MIras aues illic eſt videre: aliæ Vvvara Pirange, ſecundum mare eſcam quærentes, & in ſcopulis nidulantes, qui non longe à terra abſunt; gallinarum noſtrarum magnitudine; roſtro prælongo, pedibus Ardeæ fere æqualibus, paulo tamen preſſioribus.

Sunt aues eæ tali natura præditæ, vt plumæ, quæ pullis primo ſuccreſcunt, ſunt plumbei coloris, quæ adultis in fuſcas mutantur, & tali habitu integrum annum obuerſantur, tandem elapſo anno vno, pennæ per totam auem mutantur in tantam rubedinem, vt quemuis rubrum colorem vincat, atque hæc in illis perdurat, nec mutatur deinceps. Pennæ autem eiuſmodi ſunt in magno pretio apud Barbaros.

Capvt XXXVII.

Deſcriptio arborum quarundam eius Regionis.

BArbari vocant quaſdam arbores Iuni Pappeeyvva, illæ fructum ferunt à pomis noſtris non multum diſcrepantem, quem Barbari dentibus comminuere ſolent, & ſuccum in vaſculum exprimunt, hinc corpora ſua eo varie pingunt. Cum primum cuti illinitur, nil niſi aqueum quiddam apparet, paulo poſt cutis tam atra euadit, quam ſi atramento ſcriptorio eam infeciſſes. Hic color in nonum diem permanet, nec euaneſcit citius, quantumuis corpora lymphis abluant.

CAPVT XXXVIII.

De Bombace ſiue Xylo, quomodo proueniat. De pipere item Braſiliano, & quibuſdam radicibus aliis, quas Barbari magna cura plantare in vſum victus quotidiani conſueuerunt.

XYlon in arbuſculis naſcitur tres fere cubitos altis, multos circumquaque ramuſculos ſpargentibus. Quando in flore eſt, nodulos ſeu capita multa efformat, quæ poſtquam maturuerit, aperta fatiſcunt: lana ipſa conſpicitur, tegens grana minuta nigricantia, è quibus ſatis arbuſculæ proueniunt: abundant autem eiuſmodi arbuſta capitibus illis.

Duo genera piperis iſtic ſunt, alterum flaueſcens, alterum vero rubeſcens, eodem fere modo ac forma ſuccreſcentia: dum viret Cynosboti habet magnitudinem; frutex per ſe humilis eſt, ſeſquicubitum altus, folijs exiguis, ſed abundans pipere, quod acriter in ore mordicat: maturum decerpunt, & ſoli expoſitum ſiccant.

Eſt & tertium genus piperis, ſed minoribus granulis, à prædictis non multum diſſidens, quod ſimiliter ſub ſole torretur. Sunt illi radices Iettiki dictæ, ſatis boni ſaporis, quas ſi plantare inſtituunt, conſcindunt eas in minuta fruſta, quæ terra obruta radices agunt, & ſarmenta in lupuli modum late ſupra terræ ſuperficiem ſpargunt, & radices abunde producunt.

FINIS.

JOAN-

JOANNES STADIUS PRECATUR Lectori ſalutem plurimam.

AMICE Lector cauſa itinerarij mei fuit, vt intelligeres, qua occaſione ad terras & populos hoſce feroces, & in eorundem poteſtatem deuenerim, vt & pateficeret, quam potenter ex horum tyrannide ſolius DEI nutu ac ope erectus ſim: ac vt omnibus innoteſceret, DEVM omnipotentem etiam noſtro ſæculo ſibi fideles inter Ethnicos & Barbaros miraculoſe defendere ac tutari, non minus, quam quauis ætate præterita. Tum vt pro beneficio hoc, DEO quiſque gratias mecum agat, & in periculis firmiter in eum confidat. Dicit enim Dominus: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & prædicabis nomen meum.

Dicet quis, ſi omnia in acta referre & publicare velim, quæ per omnem ætatem expertus, & quorum præſens ſpectator fuerim, ingens volumen prodeat, neceſſe ſit. Huic ego quidem refragabor, & ſi hic ſcopus mihi foret propoſitus, multa ſane & alia haberem, quæ literis mandare non erubeſcerem.

Sed hoc non mei eſt inſtituti, & abunde paſſim animum meum declaraui, quo hunc libellum publice proſtare velim. Tametſi abſque hoc eſſet, omnes tamen Deo grati eſſe tenemur, pro paterna protectione, qua nos ab ineunte ætate in hunc vſque diem clementiſſime conſeruat.

Nec me fugit argumentum huius libelli quibuſdam abſurdum videri, ſed quis illorum ſtupori medebitur? Ego vero minime primus omnium in haſce oras delatus, nec poſtremus ex ijſdem reuerſus ſum: ſunt enim alij multi, qui eas nauigationes emenſi ſint, terraſque illas atque populos probe perſpexerint, qui ſane non ludendo tantas labores exantlarunt, aut poſtmodũ eoſdem ſubibunt.

Quis vero neſcit longe aliter eſſe affectum eum, qui mortui iam vicinus præſens intuetur periculum, quam qui ſpectatori aſtat, aut ab alio factum narrari audit? Ad hæc, ſi omnibus in hoſtium manus deueniendum ſit, qui Americam petunt, quis quæſo tandem id oneris ſubire audeat?

Hoc certo equidem affirmare auſim, multos probos & honeſtos viros in Caſtilia, Luſitania, Gallia, tum Antuerpiæ, qui Americam perluſtrarunt, mihi teſtimonium perhibere, de fide & ſinceritate narrationis ac hiſtoriæ meæ. Si qui ſunt, quos hæc incognita latent, illos ego productis teſtibus conuincere non grauabor.

Prima mea nauigatio in Americam facta eſt in naue Luſitana, cuius Capitaneus Pintiadus erat. Comites tum habebam duos præterea Germanos, Henricum Brandt Bremenſem, & Ioannem à Bruckhauſen.

Secunda inſtituebatur ex Hiſpali Hiſpaniæ in Prouinciam Rio de Platta, quæ in America eſt: Capitaneus eius Claſſis erat Don Diego de Senabrie, nec præter me quiſquam alius erat in eo itinere natione Germanus. Traducto tandem biennio inter varia pericula & labores mari terraque exantlatos, naufragium paſſi ſumus prope Inſulam S. Vincentij, quæ non procul à continenti Braſiliæ Regionis abeſt, & à Portugalleſibus occupatur. Illic offendi egregij Poetæ Eobani Heſſi filium, qui perhumaniter equidem me excepit. Præter hũc Mercatorum quorundam Antuerpianorum, quorum cognomen die Schätze / Curatorem negotiorum, Petrum Roſſelium: vterque horum teſtari poſſunt aduentum meum, & captiuitatem, in quam incideram.

Nautæ illi præterea, qui me captum à Barbaris redemerunt, ex Normandia Galliæ Prouincia aduenerant, cuius nauis, VVattavilla dictæ, Capitaneus erat VVilhelmus de Moner; Nauclerus vero Franciſcus des Champs, ex Horfleur oriundus, eius popularis erat Perottus, qui interpretis vices obibat. His mihi ſubuenientibus, in Galliam reductus ſum, (qui vtinam æternam à Deo mercedem pro hoc beneficio omnes referant.) Adhæc illi ipſi auxiliati ſunt mihi in impetrandis ſalui conductus literis; veſtitum etiam & viaticũ benigniter egenti ſuppeditantes. Hi minime ſane inficias ibunt, vbinam gentium me exceperint.

Poſt Diepam linquens, naue Londinum Angliæ aduectus ſum, illic mercatorum miniſtri per nautam, qui me aduexerant, de ſtatu meo certiores redditi, & conuiuijs me excipientes honorarium ac viaticum mihi dederunt. Hinc ſoluens in Germaniam ventis tandẽ delatus ſum: Antuerpiæ ingredior ædes, quas Aquigranenſes cognominant, conuenio mercatorem Caſparum Schetum, cuius ex parte erat curator ille negotiorum in S. Vincentio Petrus Roſſelius, nuncio illi de naue Curatoris ſui à Gallis hoſtiliter adorta in portu Rio de Ienero, & de Gallis ab ea depulſis: donauit me ille duobus aureis ducatis in viaticum, pro quo honorario Deus retributor bonorum ipſi gratiam referat.

Si cui ergo adoleſcentum hæc mea ſcripta & teſtimonia non ſatisfacient, is, vt hunc ſcrupulum animo eximat, diuino implorato auxilio, iter hoc bonis auibus ingrediatur: ſiquidem indicia ipſi ſatis manifeſta in hoc ſcripto præbui, quæ tuto inueſtigare poſſit. Cui enim Deus præſto erit, vel totus orbis non erit inuius.

Soli Deo ſit Maximo,
Honor, Decus, Laus, Gloria,
Per ſeculorum ſecula.

AMEN.

NAVIGATIO IN BRASILIAM AMERICÆ, QVA AVCTORIS NAVIGATIO, QVÆ MEMORIÆ PRODENDA IN MARI VIDERIT, BRASILIENSIVM VICTVS ET MORES A NOSTRIS VALDE ALIENI; ANIMALIA ETIAM, ARBORES, HERBÆ, ET reliqua ſingularia noſtris penitus incognita deſcribuntur: adiectus inſuper Dialogus eorum lingua conſcriptus.

A JOANNE LERIO BVRGVNDO

Gallicè primùm ſcripta, deinde latinitate donata.

Variis autem figuris illuſtrata per Theodorum de Bry, Leo:

FRANCOFVRTI

Venales reperiuntur in Officina Theodori de Bry.

ΕΙΣ ΛΕΡΑΙΟΝ.

Ἐν δοίῃ μάλα θυμὸς ἐμοὶ φίλε, πῶς σ' ὀνομήνω,
   Ἠὲ Λαερτιάδην, ἠὲ Μελησιγένην.
Πρὶν γὰρ πολλὰ πάθες τ' εἶδές τ', ἰδὲ πόλλ' ἐπαληθεὶς
   Ὄψ' ἀπενόστησας, ἄλλος ἐὼν Ὀδυσεύς·
Οὐ μέντοι πτολίπορθος ἐών· μᾶλλον δὲ πολίτας
   Κείνους ποιήσων, ὥσπερ Ἴκοιο, Θεοῦ.
Νῦν δ' αὖ Ὠκεανόν τε λέγων καὶ πείρατα γαίης,
   Καὶ Λαιστρυγονίην, ὀλομένους τ' ἀνέμους·
Κύματά τ' ὀκρυόεντα, ἀπολλυμένους τε ἑταίρους,
   Πῶς οὐκ ἄλλος ἔφυς φίλε Μελησιγενής;

Is. Caſ.

AD IOANNEM LERIVM AMERICANÆ Hiſtoriæ Scriptorem.

Jgnotas quondam & noſtro procul orbe remotas
   Gentes monſtroſa Barbarieque feras;
Stridenteſque ſonos linguæ, ventreſque nefandos,
   Humanis ſaturos carnibus, ecce, refert.
Credo equidem Leræ: Doces nam viſa, Sed euge,
   Te dignum nodum vndice ſolue precor.
Talia, dic, portenta hominum, tam rara benigni
   Temperies cœli num generare queat?
Et quos inculta mites creat arbore fructus,
   Mite ſolum indomita fertilitate nitens?
Horrida monſtra hominum, quæris, num gignat amœna
   Temperies cœli, fertilitaſque ſoli?
Gignit. Sed cauſas doceant qui ſemina rerum,
   Quique arcana tenent interiora viri.
Num maiora vides hominum portenta creari,
   Quæ cœlum multo mitius atque ſolum?
Teſtis culta nouem ſtudiis Europa ſororum,
   Quæ toto, princeps, erigit orbe caput.
Hîc quam horrenda vigent pudeat memorare, libellis
   Vt poßit noſtris maior adeſſe fides.

I. I. B.

IN HISTORIAM AMERICAM AB Ioanne Lerio conſcriptam.

Immanes mores tu qui audis & effera monſtra,
Quæ fert terra orbis nomine dicta noui:
Miraris pectus pluſquam geſtare ferinum
Humanos vultus, oraq; ſueta polo.
Primorum ſunt hæc noxæ monimenta parentum,
Infecit triſti quæ genus omne malo:
Hic veri quondam ſimulachrum numinis, amens,
In ſæuas meruit degeneraſſe feras.
Sunt quibus indulſit cœli clementia larga,
Vnde foret cultu mitius ingenium.
Cultior his mores, ni vitæ temperet vſus,
Omnes conſimilis barbaries teneat.

ST. T.

IN IOANNEM LERIVM EIVSQVE DE AMEricana peregrinatione hiſtoriam.

Tanta noui, Leræe, refers miracula mundi,
Tamque nouas rerum, tamq; hominum facies,
Vt cupiam luſtrare oculis iam ſingula ni me
Terreat vnda furens, Barbarieſq; virum.
Atqui tolle moras, cupidum perq; omnia deduc:
Nobis Oceano ſat via tuta patet.
Tuto inter ſæuos, humanaq; viſcera flammis
Torrentes, fas eſt viuere Læſtrigonas.
Oceanum rabie ſuperat gens Galla furentem,
Et ſuperat ſæuos, barbara, Læſtrigonas.

G. M. N.

TOTIVS

TOTIVS HISTORIÆ SVMMA CAPITA.

Cap. I.

Auctoris ſcopus.

Cap. II.

Aſcenſus in naues Iuliobonæ: itemq; occurſus nauium & expugnatio: tempeſtates, littoraq; & Inſulæ primum obuiæ.

Cap. III.

Bonitæ, Albakoræ, Aurataque, & ſues marini, piſceſq; volatiles: aliique quos tum vidimus, tum cepimus ſub Zona torrida.

Cap. IV.

De Æquinoctiali circulo, tempeſtatibus, ventorum inconſtantia, pluuiis corruptis, caloribus, ſiti, aliiſque incommoditatibus, quas circa illam mundi plagam ſuſtinuimus.

Cap. V.

De primo Indiæ Occidentalis conſpectu, & incolentium Barbarorum: deq; iis, quæ nobis in mari acciderunt ad tropicum vſq; Capricorni.

Cap. VI.

Deſcriptio ſinus Ganabaræ, qui & Geneurenſis appellatur: Inſulæ caſtelliq; Colignii, atque Inſularum adiacentium.

Cap. VII.

De ingenio, robore, ſtatura, nuditate, ornamentis corporis virorum & feminarum Braſilienſium, apud quos annum fere ſum commoratus.

Cap. VIII.

De craſſis radicibus, & craſſo milio, ex quibus Barbari farinam conficiunt, qua in panis vtuntur locum: deque eorum potione quam *Caou-in* appellant.

Cap. IX.

De feris, prægrandibus lacertis, ſerpentibus, aliiſque Americæ monſtroſis animantibus.

Cap. X.

De variis Americanis auibus à noſtris diſſidentibus, de magnis veſpertilionibus, apibus, muſcis, culicibus, aliiſq; regionis illius inſectis.

Cap. XI.

De nonnullis piſcibus apud Americanos maxime vulgaribus, deq; eorum piſcatu.

Cap. XII.

De arboribus, herbis, radicibus, exquiſitiſſimiſque fructibus, qui in Americano proueniunt ſolo.

Cap. XIII.

De bello, prœliis, fortitudine, & armis Barbarorum.

Cap. XIV.

Captiuos duos quo tractent modo Barbari,quibuſque ceremoniis in iiſdem mactandis & deuorandis vtantur: quibus per occaſionem immaniſſimæ crudelitatis alia exempla adiecta ſunt.

Cap. XV.

Quid nomine religionis apud Barbaros Americanos veniat;de erroribus in quos ab impoſtoribus, quos *Caraibes* vocant, inducuntur; deque craſſiſſima Dei ignoratione, quæ apud eos obtinet.

Cap. XVI.

De coniugio polygamia, & conſanguinitatis gradibus, quos Barbari obſeruant; deque liberorum apud eos educatione.

Cap. XVII.

Quid leges,quidq; politia apud Braſſilienſes nuncupari poſſit:quam humaniter excipiant hoſpites;deque lachrymis ac fictis ſermonibus,quibus hoſpites in ipſo ingreſſu à mulieribus excipiuntur.

Cap. XVIII.

Quam curam morbis ſuis adhibeant Barbari;de eorum ſepultura & exequiis;deque inſano eorum circa mortuos luctu.

Cap. XIX.

Colloquium in ipſo aditu Braſilienſis oræ inter indigenas *Tououpinambaultios Tououpinenkin* Braſilice ac Latine conſcriptum.

Cap. XX.

De noſtro ab America diſceſſu, deque naufragiis, & aliis non minimis periculis,quæ primum in reditu noſtro euaſimus.

Cap. XXI.

De extrema fame,tempeſtatibus,aliiſque non paucis periculis,à quibus in Galliam redeuntes diuina ope erepti ſumus.

AVCTORES IN HAC HISTORIA CITATI.

Biblia ſacra.
Ioſephus.
Euſebius.
Nicephorus.
Plutarchus.
Cicero.
Ouidius.
Appianus.
Oſorius.
Gomara.
Benzo.
Calchondylus.
Viretus.
Hiſt. Eccleſ. Gallica.
Matthiolus.
Bodinus.
Popelinerius.

IOAN-

IOANNIS LERII

IN HISTORIAM SVAM PRÆFATIO.

ANte quam Hiſtoriam meæ Nauigationis in Braſiliam Americæ Prouinciam exordiar, pauca quædam de meo inſtituto dicenda eſſe duxi.

Religionem inter ea quæ diligenti obſeruatione digna cenſentur, primum obtinere locum nemo vnquam negauit. Hinc fit vt (quamuis fuſius quænam à Barbaris colatur huius libri cap. 16. ſim dicturus) hoc loco nonnulla obiter attingere mihi videatur neceſſe: præſertim cum narrationis initium à quæſtione fecerim quam ſatis ſuſpicere (meo quidem iudicio) non poſſum, nedum vt à me ſoluatur. Video igitur eos, qui optime ex ſenſu à natura indito de his rebus ſenſerunt, dixiſſe quidem, notionem illam, quod à ſupremo quodam pendeant res omnes hominum, animis ita naturaliter infixam eſſe, vt auelli nullo modo poßit. Itaq; quamuis in cultus diuini ratione controuerſiæ non paucæ exortæ ſint, fundamentum tamen hoc conuelli non poſſe, hominem inſtinctu quodam à natura indito eo pertrahi vt religionem aliquam, ſeu vera illa ſit ſeu falſa, profiteatur. Attamen iſtis ſapienter determinatis non diſsimularunt, vbi ad illud ventum eſt, quo propenſius humanum fertur ingenium, in negotio religionis illud frequenter vſu venire, quod ait Poeta:

----Sua cuique Deus fit dira cupido.

Quæ duo, vt Barbaris noſtris applicemus, conſtat eos, homines cum ſint, notione hac omnibus communi præditos eſſe, homine aliquid eſſe maius à quo bonum malumq; pendeat, tale ſaltem quale ſibi fingunt. Quo referri debet cultus ille quem Caraibibus *ſuis exhibent, à quibus ſtatis temporibus bonum malumve omen ſibi adferri credunt. Summum autem bonum in hoſtium vltione fortiter perſequenda (quod olim Romanis, hodie etiam Turcis vſu venit) ponunt. Cultus vero ille, qui apud alios populos Religionis nomen obtinet, apud eos locum nullum habere dici poteſt: Quin & illud addi, (ſi qua gens in toto orbe terrarum) ſine Deo vitam hanc tranſigere. Attamen hac in parte minus fortaſſe ſunt damnandi, quod & miſeriam ſuam excæcationemq; aliquatenus agnoſcunt, (quamuis nec pœnitentiam agunt, nec remedio vtuntur oblato) ſuamq; mentem non diſsimulant.*

Ad reliqua quod attinet, ſummæ capitum, quas ad libri initium appoſuimus, quid in toto hiſtoriæ progreſſu tractetur, ſatis indicant.

Ceterum non me latet, quod vulgo dici ſolet: Senes, eoſq́; qui à longinquis peregrinationibus ſunt reduces, quod nemo ſit qui obſiſtat, non raro mentiendi licentiam ſibi arrogare. Ego vero teſtor me, qui & mendacia & mendaces odi, ſi qui ſint, qui fidem adhibere nolint multis ſane ante hæc tempora inauditis, quæ à nobis commemorantur, non eo eſſe animo, quo in rem præſentem veniant, vt ad ea loca deducam. Nec magis commouebor iſtis, quam adhuc commotus ſum, poſtquam mihi renuntiatum eſt non deeſſe, qui fidem iis non haberent, quæ à nobis de horrenda illa fame Sancerrana ſunt ſcripta, quam auſim affirmare minus aſperam, quamuis diuturniorem, ea fuiſſe quam in mediis vndis remigrantes perpeſſi ſumus. Enimuero ſi iſti de quibus ſit ſermo, fidem iis derogare non verentur, quæ in ipſius Galliæ veluti meditullio, plus 500. teſtibus ſuperſtitibus contigerunt, quidni de iis dubitent, quæ in remotiſſimis regionibus viſa ſunt, maioribus vero noſtris inaudita, ita vt non niſi experientia ipſa hominum animis inſidere poſſint? Me autem hoc loco fateri non pudebit, ex quo in Americam tranſportatus ſum, quæ & incolarum viuendi ratione, & animantium forma, ipſaque adeo terræ fœtura à noſtris Europæis, Aſiaticis, & Africanis prorſus alienis reſpectu noſtri nouus Orbis merito dici poteſt, opinionem abiecisſe, quam de Plinio nonnulliſq́; aliis indueram. Vidi enim permulta non minus prodigioſa, quam quæ in eorum ſcriptis fide indigna cenſentur. Siquidem ea quæ oculis cernuntur penitus animum penetrant. Ad genus orationis quod attinet, iam ante, tenuitatem meam probe mihi perſpectam eſſe teſtatus ſum. Non dubito autem, quin multorum iudicio phraſibus non ſim vſus tum ad rem nauticam, tum alias ſatis accommodatis. Illis itaq́; ſatisfactum nõ eſſe certo ſcio: præſertim vero Gallis noſtris, quorum aures delicatiſſimæ, nil niſi terſum ſermonibuſque nouis ornatum admittunt. At vero multo minus iis placebimus, qui libros omnes vt pueriles & ſteriles damnant, niſi aliunde deſumptis hiſtoriis luxurient: Quamuis enim ad ea, quæ tractaui multas accommodare facile mihi erat, tamen excepta Gomaræ Ind. Occid: hiſtoria, qua ob rerum multarum cum his noſtris affinitatem non raro ſum vſus, vix vllas in medium afferre contigit: niſi quod poſtrema hac editione nonnulla memoratu digna addidi. Ac ſane (quantum mihi cernere datur) hiſtoria quæ proprio ſuo argumento ornatur, repudiatis aliarum veluti alienis plumis, legentium animos à propoſito minus remouet, efficit vt auctoris ſcopum lectores facilius poſſint aſſequi. Præterea ab iis quæro, qui commentarios iſtius ætatis legunt, annon tædium parit, allegatio illa ſententiarum prope infinita quantumuis ad rem accommodatarum?

Ne

*Ne autem mihi quis obiiciat, quod Theuetum & alios reprehendens, in eandem tamen incurram reprehenſionem: Si quis eſt. inquam, qui improbet (quaſi arrogantius dicta) quod vbi de vita & moribus Barbarorum verba facio, frequenter has vſurpem formulas, vidi, interfui, accidit mihi, atq; alia eiuſdem generis: Reſpondeo, res illas ad meum ipſius argumentum pertinere: deinde res deſignare non rumoribus auditas, ſed & oculis ipſis & experientia confirmatas, imo auſim dicere à nemine alio vſquam obſeruatas, multo minus memoriæ proditas. * Quod non de vniuerſa America dictum velim, ſed de illa plaga quam per annum incolui, nimirum ſub tropico Capricorni apud Barbaros Americanos, quos* Tououpinambaultios *appellant. Denique fidem do iis qui veritatem ſimplici ſermone prolatam mendacio verborum exquiſito ornatu fucato præferunt, fore vt ea quæ à me ſunt in hac hiſtoria tractata veriſſima eſſe comperiant, quinetiam nonnulla eſſe, quæ, quod maioribus noſtris fuerunt ignota, admiratione digna ſint iudicanda. Deum orbis & tot præſtantiſſimarum rerum conditorem & conſeruatorem oro, vt meum hoc opuſculum ad nominis ipſius gloriam cedat. Amen.*

* Ioann. Stadius Heſſus Braſſilianam Hiſtoriam ſcripſit 1555. & 1557. edidit: ſed vernaculo ſermone, integro anno antequam tu iſthinc redires.

HISTO-

*Ne autem mihi quis obiiciat, quod Theuetum & alios reprehendens, in eandem tamen incurram reprehenſionem: Si quis eſt. inquam, qui improbet (quaſi arrogantius dicta) quod vbi de vita & moribus Barbarorum verba facio, frequenter has vſurpem formulas, vidi, interfui, accidit mihi, atq; alia eiuſdem generis: Reſpondeo, res illas ad meum ipſius argumentum pertinere: deinde res deſignare non rumoribus auditas, ſed & oculis ipſis & experientia confirmatas, imo auſim dicere à nemine alio vſquam obſeruatas, multo minus memoriæ proditas. *Quod non de vniuerſa America dictum velim, ſed de illa plaga quam per annum incolui, nimirum ſub tropico Capricorni apud Barbaros Americanos, quos* Tououpinambaultios *appellant. Denique fidem do iis qui veritatem ſimplici ſermone prolatam mendacio verborum exquiſito ornatu fucato præferunt, fore vt ea quæ à me ſunt in hac hiſtoria tractata veriſſima eſſe comperiant, quinetiam nonnulla eſſe, quæ, quod maioribus noſtris fuerunt ignota, admiratione digna ſint iudicanda. Deum orbis & tot præſtantiſſimarum rerum conditorem & conſeruatorem oro, vt meum hoc opuſculum ad nominis ipſius gloriam cedat. Amen.*

*Ioahn. Stadius Heſſus Braſſilianam Hiſtoriam ſcripſit 1555. & 1557. edidit: ſed vernaculo ſermone, integro anno antequam tu iſthinc redires.


Theodore de Bry fe

HISTORIA NAVIGATIONIS IN BRASILIAM AMERICÆ PROVINCIAM.

CAPVT I.

Auctoris ſcopus.

QVONIAM, quæ ſit amœnitas, amplitudo, & vbertas, Quartæ Orbis terrarum ſectionis, quæ *America* vulgo dicitur, cuius pars *Braſilia*; quibuſq; cingatur inſulis, & regionibus antiquis penitus ignotis contineatur: quam multis item petita nauigationibus, annis ab hinc octoginta, ex quo primum innotuit: pleriq; noſtra memoria Coſmographi, in explicandiſque rebus geſtis verſati homines docuerunt.

Illo itaque omni argumento longe lateq; diffuſo liberati, hac Hiſtoria duntaxat ea complecti decreuimus, quæ inter eundum & redeundum, & apud feros Americanos, quibuſcum circiter annum vixi, experiendo ac obſeruando, viſu audituque, percepimus. Quod vt planius exponam, ab initio quænam fuerit hæc adeo longinqua difficiliſque expeditio, explicandum.

CAP. II.

Aſcenſus in naues Iuliobonæ: itemque occurſus nauium & expugnatio: tempeſtates, littoraque & inſulæ primum obuiæ.

CVM Boiſius Villagagnonis nepos, qui ante Iuliobonam aduenerat, à pecunia regia tribus inſtructis nauibus prouiſaque re frumentaria, pro imperio iuberet: 13. Calen. Decembr. anni 1556. in naues conſcendimus. Ipſe Boiſius, ex nauibus vna, quæ Roberga minor appellabatur, octoginta nautis militibuſq; occupata, legati nomen imperiumque habuit. Alteram, duce Mario, Robergæ maioris titulum præferentem, gubernatore autem Ioanne Humberto Harefloriensi, vt res ipſa docuit, experientia in nauigando ſingulari, centum & viginti mortalibus,

Boiſius claſſi præficitur.

quo in numero cenſebar, attribuit. Tertia quæ Roſea, centurionis nomine vocabatur, annumeratis ſex puerulis, ad linguam Americanorum addiſcendam, tranſportandis: quinque autem, vna cum moderatrice, virginibus (quæ primum è Gallia mulieres, magna Barbarorum admiratione, qui tantum nudas ante vidiſſent, in Braſiliam delatæ ſunt) nonaginta circiter hominibus completa eſt.



E portu naues ſoluunt.

Eo die ipſo, cùm è portu ſolueremus, tormentorum ſtrepitus atque tympanorum, buccinarumque ſoni, ceteraque eiuſmodi, quæ nauibus in expeditionem euntibus ſolemnia eſſe conſueuere, circa meridiem audita ſunt. Primum in mari Cauxio, duobus à portu ſalutari millibus, anchoræ iactæ. quo in loco vt aſſolet, nautis militibuſque recognitis, & profectione imperata: eius nauis quam conſcenderam funis anchorarius abrumpitur, anchoraque labore maximo recuperata, profectio in craſtinum indicta eſt.

Itaque

Itaque 12. Cal. Decembr. è terra prouectis,& Britanniam ſub dextra relinquentibus, duodecim dierum tempeſtate coorta: plerique metu & nauſea vehementer conflictati, præcipue qui mare nunquam viderant, ſingulis ſe momentis abſorbendos eſſe cogitabant. Reſq; profecto eſt admiratione digniſſima, nauem è ligno quantumuis magnam atq; firmã Oceani vim pati poſſe. Nam vt è craſſiſſimis trabibus naues fiant, arcteque fibulis vinciantur: quemadmodum qua eram delatus, circiter centum pedes in longitudinem, in latitudinẽ vero viginti patebat: quænam eſt cum altiſſimo latiſſimoq; Occidẽtali Oceano, magnitudinis tantulæ collatio? Qua de cauſa cum nauigandi artẽ vniuerſam, tum ſigillatim acum nauticam, ad moderãdos curſus maritimos excogitatam, nemo ſatis vnquam laudauerit: quam tamen ante annis ducentis & quinquaginta eſſe in vſu, quidam memoriæ prodidêre. Igitur, cum dies tredecim magnis difficultatibus, nobis eſſet nauigatum, Deo fauente, tranquillitas reddita eſt.

Nauigationis, acuſque adeo maritimæ præſtantia.

Conſequenti poſt die Dominico, duabus onerariis nauibus Britannicis ex Hiſpania redeuntibus occurrimus: parumque abfuit, quin nautæ noſtri cum eſſe quæ eripere poſſent, intellexiſſent, eas penitus expilarent. Quemadmodum enim demonſtraui, tormentis ceteroque omni apparatu bellico inſtructi confidebant, neque ſi infirmioribus occurriſſent, ab iniuria facile temperabant.

Et quoniam in hunc ſermonem incidimus, quæ nautarum ſit rapacitas, hoc primo nauium occurſu, declarare viſum eſt. Qui enim robore & armis præſtant, quod etiam in continente nimium ſæpe accidit, reliquos prędæ habent. Afferunt tamen, cum vela obuios contrahere iubent, ſe iamdiu tempeſtate aut malitia terram non attigiſſe, rebus egere omnibus, orantque vt pecunia redimere liceat: qua in colloquutione nauibus occupatis, ne ſcilicet onere peſſum eant, præſtantiſſima quæque extorquent. Obiicientibus (quod ſæpe nobis erat vſitatum (iniquiſſimum eſſe hoſtes iuxta ſocioſque prædari: ſolennia terreſtribus etiam copiis verba reponunt, More belli accidere, ſibi vt quiſque prouideat.

Nautarum rapacitas.

Addam, quod exemplis poſtea comprobabitur, cum Hiſpani Luſitaniq; ſe Braſiliam adiiſſe primos, omnemq; adeo continentem, quæ à freto Magellanico, qui meridiem verſus quinquaginta gradibus extenditur, ad Peruſium citraque Æquinoctialem lineam glorientur: eaque de cauſa poſſidere affirmant, Gallos vero ſe in iure ſuo interpellare: ſi mari vincant, crudeliſſime interficiunt, in eamque feritatem aliquando deuenêre, cutem vt viuentibus detraherẽt, deterrimove genere mortis afficerent. Galli contra, ſe Americæ participes eſſe demonſtrant; neque ab Hiſpanis Luſitaniſque vinci facile patiuntur, ſeque acerrime tuentes par pari hoſtibus referunt, qui eadem certe claſſe manum conſerere non audent.

Vt ad nos redeam, iterum tempeſtate coorta, ſex ſeptemve dies mare adeo intumuit, pleriq; vt fluctus non tantum foros ſuperarent; verum etiam, cum eius rei periculum faceremus, de qua Pſal. 107. meminit, ſenſibus pene orbati, ebriorum more vacillabamus. nauis autem ita fluctuabat,

Mire Deus mari pro arbitrio imperat.

nemo ex nautis ſtare poſſet. Vt eodemq; Pſal. continetur, cum ſupra montes aquarum altiſſimos, maximeq; timendos erecti, è veſtigio infra profundiſſimos hiatus demerſi, tamen inter tot fata conſeruamur: ſentimus profecto admirandam Dei optimi maximi potentiam. Itaque cum periculo tam ſint affines, qui nauigant: Poeta qui latitudine lignorum, quibus nauigia facta ſunt, eos à morte ſeparat, videtur, quam par ſit longius ſeiungere, cuius, quod ſint elegantiſſimi verſus adſcribere viſum eſt.

Iuuen. Sat. 12.

I nunc, & ventis animam committe, doloſo
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Tempeſtate ſedata, cum Deus qui mari pro arbitrio imperat, ventum ſecundum excitaſſet, ad mare Hiſpanum peruenimus, Noniſq; Decemb. obiectum habuimus promontorium Sacrum. quo in loco, Hibernica naui obuiam facta, arte, de qua paulo ante diximus, noſtri epibatæ ſex ſeptemve Hiſpanienſis vini dolia, ficus, malaque Aurantia exportarunt.

Sacrum Promontorium.

Septimo poſt die ad tres inſulas delati ſumus ex Fortunatis: has quie Neuſtria nauigāt, Gratioſam, & Lancilotā, & Fortauenturam nominăt, antiquis autē appellabantur, Aproſitus & Iunonia, Ombrioſque: ſeptemque numero ſunt, quas nunc, vt opinor, omnes, Hiſpani occupāt. Et quāuis in orbe deſcribendo quidam Fortunatas inſulas ſub vndecimo citra Æquatorem gradu collocent: cum me præſente, Aſtrolabus litem diiudicaret, inuenimus, ad viceſimum octauum Arcticum verſus ſitas eſſe: idcirco fatēdum eſt, ſuo aliorumq; periculo, decem & ſeptē gradibus, iſtiuſmodi Coſmographos aberrare, quib. eas inſulas à nobis remouēt lōgius.

Fortunatæ Inſulæ.

Hic ſcaphis eductis, viginti ex noſtris bene armati, ad populandumq; progredientes, conſpicati ab Hiſpanis, & repulſi, fuga naues petiêre. Attamen cum ſe in omnes partes conuerterent, nauigiolo piſcatorio metu ab ſuis derelicto facti obuiam, cum maximam vim marinorum canum, circinorumq; nauticorum abſtulêre, nihilq; omnino, ne velis quidem exceptis, reliquêre, tum quod de Hiſpanis peius mereri non poſſent, quos vlciſci percupiebant, ſcapham vna cum lintre ſecuribus depreſſerunt.

Dum tres dies ob malitiam prope Fortunatas inſulas cōmoramur, hamis retibuſq; ingentē piſcium copiam cepimus, ideoq; veriti, quod aqua dulcis nō ſuppetebat, ne ſiti premeremur, plus dimidia parte, in mare conjecimus. Genera, canes marini, Auratę, piſceſq; alii, quorum ignorabamus nomina, erant etiam Trichides, corpore tam paruo, vt caput cum cauda (quæ nihilo minus lata eſt) cohærere videatur, capite autem galeæ criſtatę perſimili, ſatis prodigioſæ. Decimo ſeptimo Cal. Ian. mari tertio intumeſcente, ſcapham quæ vni ex nauibus adhærebat, fluctus tam cito complexuit, vt peſſum iret: vixq; duo nautæ, qui aſſeruabant, demiſſis è naui funibus periculum effugerent. Illud etiam commemorandum videtur quod accidit, tempeſtate dies quatuor deſæuiente, coquus quidam laridum in cado ligneo temperans, fluctu ſupra foros elato, cum cibum in mare longe proiectum amiſiſſet, fluctus alter oppoſitus eundem in locum vi magna

Trichides prodigioſæ.

Admirabilis fluctuum reciprocatio.

gna

gna retulit, neque cadum ſubuertit, vereque prandium reſtituit, quod vt aiunt, præter caſam fugerat.

Ad 15. Cal. Ian. die Veneris Canariam in conſpectu habuimus. conſequenti autem Dominico propius facti, erat conſtitutum ibi commeatum expedire aduerſo tamen vento inſulam non tenuimus. Hæc amœna eſt admodum, quam & incolunt Hiſpani, gignitq; ſaccharum in arundinibus, & vina pręſtantiſſima. Ceterum tanta eſt altitudine, vt LX. paſſuum millibus interiectis conſpici poſſit. A quibuſdam Taneriffe dicitur, opinantibus antiquorum Atlantem eſſe, à quo mare vocatur Athlanticum. Alii contra, autumant duas eſſe inſulas, Canariam & Taneriffen. quæ lis, quod ad me attinet, manebit ſub iudice. *Canaria.*

Eo die ipſo ſumus conſpicati myoparonem Luſitanum: qui cum neque fugere poſſet, quod vento ferebatur aduerſo, neque armis confideret, contractis de more velis, Boiſio ſe tradit in manus. Nec morati centuriones, vt qui iam diu decreuiſſent, ſuæ claſſi nauem adiungere, quam Hiſpanis Luſitaniſve ſperabant ſe erepturos, in myoparonem, ne aufugere poſſet, quoſdam ex ſuis imponunt. Veruntamen, cum neſcio quibus de cauſis, Luſitano gratificari vellēt, ſi confeſtim myoparonem alterū inueniſſet adduxiſſetque, quem eripuiſſent, redditum iri promiſêre. Ille, vt qui ſibi melius eſſe vellet, quam alteri, accepta, vt poſtularat, vna cum armis ſcapha, viginti autem ex noſtris, cum quibuſdam ex militibus ſuis, prædonis more, pyraticam enim, vt opinor factitabat, vt de improuiſo fortunam experiretur, longe claſſem contendit anteuertere. *Myoparonis deditio.*

Tum legebamus oram Africæ, à Mauritanis occupatam, ab ea fere diſiuncti quatuor millia paſſuum; eſtque, vt à multis tunc fuit obſeruatum, terra valde plana, humiliſq; adeo, vt quantum oculi valebant, montibus nullis officientibus, ea nobis videremur altiores, ita vt breui ſubmergēda crederetur, nauibuſq; ſuperāda. Et quamuis, oculo iudice, ſe ad hunc modum res habeat, in omnibus fere littoribus, tamen cum illuſtrius apparêret hoc in littore: cum tantam ego planitiem, quæ vallis habere poterat: contra, mare tranquilliſſimum, quod altiſſimi montis effigiem præferebat, intuerer: memoria repetens, quæ, hac de re ſacræ docent literæ: illud excellentiſſimum Dei opus, magna cum admiratione contemplabar. *Mauritania.*

Vt ad piratam redeam, qui, vt diximus, ſcapha erat antegreſſus, ad 8. Cal. Ian. quo die natus eſt Chriſtus, in Liburnicam incidit, quam tormentis petere viq; retinere contēdit, & ad nos adducere. Quæ res valde noſtris cēturionibus placuit. nauis erat enim eximia, & plena ſale candido: quam, vt decreuerant, in Braſiliam ad Villagagnonem deduxêre. At in fide Luſitanis præſtanda, de reſtituendo myoparone, crudeles adeo extitêre, vt Hiſpanis & Luſitanis in vnum idemq; nauigium coniectis, ne fruſto quidē nautici panis relicto, velis dilaceratis, ſcapha etiam ablata, qua deſtituti terram tenêre non poſſent: mitiore conſilio vſi eſſe viderentur, miſeros ſi depreſſiſſent, quam ſi ita dimiſiſſent. Nam niſi aliunde ſcapha laborantibus opitulata ſit, certum eſt, aut naufragio tandem, aut fame periiſſe. *Iob 38.3.10.11.* *Pſal. 104.9.* *Myoparonis expugnatio.* *Nautarum crudelitas.*

Duarum nauium deditio. Hoc facinore, compluribus inuitis, perpetrato: longe ſumus in altum prouecti, ſecundo flante Vulturno. Ne autem lectori faſtidium pariam, ſi tot naues expugnatas, ſigillatim commemorem: craſtino tertioque poſt die, cum reſiſteret nemo, duas in poteſtatem redegimus. Cum Liburnicam, quæ prius occurrit, epibatæ noſtri, præcipue qui myoparonem Hiſpanicum aſcenderant, prædæ habere cuperent: eaque de cauſa eſſent minoribus tormentis aggreſſi: ducibus tamen vltro citroque colloquutis, ab iniuria temperarunt. Ex Hiſpanienſi altera, vinum, panis nauticus, aliaque cibaria direpta. Nullius tamen rei iacturam magis conquerebatur Hiſpanus, quam gallinæ. hanc aiebat, cum procelloſo mari ponere non intermitteret, ouum ſibi quotidie in naui ſufficere.

Die dominico, qui proxime ſequutus eſt: cum is, qui ſpeculabatur ſignum de more dediſſet, animaduerſis quinque nauibus (de quarum magnitudine atque forma diiudicare nequiuimus) nautæ noſtri (quibus fortaſſe non ſum placiturus, eorum virtutibus prædicandis) expediti & ante victoriam pæana concinentes, ſe conſequi poſſe arbitrabantur. Sed cum nos aduerſo, illi ſecundo vento delati, velis, vt aiunt, remiſque fugerent: quamuis, magno ne claſſis euerteretur periculo, pedem vndique faceremus, ad prædandumque milites incumberent: fruſtra defatigati manum conferere non potuerunt.

Ne quis autem, quæ commemoraui hactenus, falſitatis accuſet: nos videlicet, cum Braſiliam peteremus, mare infeſtum habuiſſe: obnoxiis aut fuga ſaluti conſulentibus aut vela dimittentibus: affirmabo tribus omnino nauibus, quæ tormentis erant inſtructiſſimæ, adeo vt quæ me accepiſſet, maiora octodecim ex ære tormenta, minora è ferro plus triginta ſuſtineret: nautas militeſque decreuiſſe, vt qui omnes fere eſſent Neuſtrii (gens in naumachiis omnium quæ Occidentem verſus nauigant, bellicoſiſſima) ſi Luſitaniæ claſſi occurriſſent, confligere, magna ſpe victoriæ. Animoſum certe conſilium, ſi ab his res geſtas memoriæ prodiderunt, nominatimque ab Oſorio repetamus, quantum armis Luſitani excelluerint, quas nationes, quamque varias deuicerint: cum & bello contra Mauritanos in Africa contenderent, & Orientem verſus contra Indos dimicarent. opponi tamen poſſet Gallos Barbaris dexteritate præſtare (ex quibus cum initio peterentur, extitère qui aluearibus apum in hoſtes coniectis ſe defenderent) neque ſine ſanguine & ſudore, tam fortes viros vnquam poſſe ſuperari.

Neuſtrii in naumachiis excellunt.

Oſor. in Hiſt. Luſ. lib. 8. & 9.

Cap.

Cap. III.

Bonitæ, Albacoræ, Aurata que, & ſues marini, piſceſque volatiles, aliique; quos tum vidimus, tum cepimus ſub Zona Torrida.



Ex illo tempore, tranquillitate vſi ventoque accommodatiſſimo, ad tertium fere gradum citra Æquinoctialem peruenimus. ibi maximam ſuum marinorum copiam & auratarum, eorumque piſcium cepimus, quos Albacoras & Bonitas, qui è Neuſtria nauigant, appellare conſueuere: ex aliiſque generibus quam plurimos. Quo in numero erant & piſcium volantium. de quibus, cum nautæ mentionem facerent, *Piſces volantes.* exiſtimabam nobis imponere velle: donec ita ſe rem habere comprobauit experientia. Tum è mari emergere, & ſublime volando gregatim petere piſces vidimus, in morem alaudarum ſturnorumque: volatus vero altitudine haſtam æquabat, longitudine centum paſſus. Sæpe-

numero ad malum nauium impingentes cadebant,& manu facile capiebantur. Piſcis eſt,vt eundo & redeundo animaduerti multoties, haleci valde ſimilis: paulo tamen & longior & rotundior: habetque ſub gutture paleolam,alis ad modum veſpertilionis toto corpore contextis porrectiſque;ſapore autem ſuauiſſimo & probatiſſimo. Ceterum,quoniam huius generis nullum citra Tropicum Cancri videram, primo exiſtimabam quod calore gauderent,ſub Torrida Zona degere,in neutramque partem Polos verſus excedere. Sed cum quidam ſcripſerit marinas hirundines, prope Magellanicum fretum videri: quas opinor eaſdem eſſe,rem in medio relinquere viſum eſt. *Obſeruaui etiam iſtiuſmodi piſces nuſquam tuto agere poſſe. Nam in mari degunt, Albacoras prædoneſque alios è piſcibus habent inimiciſſimos: ſi ſubuolando periculum effugere tentant, aues ſunt marinæ,à quibus capti vorantur.

**Sed in mediterraneo ſæpe capiuntur: conſule Rondeletii lib. De Piſcib.*

Aues marinæ.

Dicendum quoq; aliquid videtur de his auibus, quæ prædam è mari pro victu habent. Hæ ſunt adeo cicures, vt ſupra foros funeſq; nauium ſidentes capi manu patiantur. quarum certiſſima, vt qui de iis guſtauerim,penituſque cognouerim,hæc eſt deſcriptio: pluma ſunt,vt accipitres, leucophæata; magnitudine cornicum eſſe videntur, nudati paulo plus carnis habent paſſere: vt mirum ſit corpore tam paruo capere poſſe,atque in vſum vertere piſces multo ſe maiores, atque craſſiores. Denique vno ſunt inteſtino, pedibuſque planis, vt anates.

Bonita piſcis.

Quod ad ceteros piſces attinet,de quibus paulo ante diximus: Bonita nulli ſapore cedit, Cyprinis communibus aſſimilis, cum ſquamis tamen careat: illas maximo vidi numero, circiter quadraginta dies, quibus fere noſtris nauibus adhæſerunt, idque accidere veriſimile eſt, quod pice naues vnctæ ſint.

Albacoræ.

Albacoræ autem à Bonitis forma non admodum alienæ,tamen cum & viderim,& comederim Albacoras,quinque pedum longitudine,craſſitudine corporis humani,quod ad earum magnitudinem,nulla eſſe poteſt cum Bonitis collatio. Deinde cum nullo modo ſint Albacoræ viſcoſæ,ſed carne vt ſalar friabili,nullis aculeis, paucis viſceribus, inter piſces optimos ſunt annumerandæ. Et quamuis quæ ad condiendam Albacoram,neceſſaria videbantur,præſto non eſſent(vt accidit peregre nauigantibus)ideoque ſale contenti,latis orbibus,igne toſtam ederemus: tantillo tamen apparatu erat nobis gratiſſima. Quamobrem ſi Cupidiariorum natio, quæ mare tentare non audet, nihiloque ſecius (vt de fele vulgo dicitur) ſiccis pedibus, abligurire piſces percupit; Albacoram in continenti tam facile mercaretur, quam reliqua genera; ecquid dubitatis quin vna cum piſce digitos ſæpe circumlaberet? vt enim dixi de hirundinibus marinis, cum Albacoræ degant inter Tropicos, in altoque mari verſentur, non ita littoribus appropinquant, vt à piſcatoribus integræ ad nos peruenire poſſint. Quod vero ad Africanos attinet, qui mare ad Orientem accolunt, Peruſioſque qui Occidentem verſus, tum & Albacoras facile piſcari: tum incorrupte ſuis apponere credibile eſt.

Aurata,

Aurata. Aurata, quæ meo iudicio ita vocatur, quod in aqua luteo eſſe colore videatur, & auro quam ſimillima, figura Sulmoni proxima eſt; differt tamen dorſo depreſſiore. expertus ita pronuntio; Auratam non tantum ceteris, de quibus mentionem fecimus, bonitate præſtare: verum etiam nego, in mari fluminibuſque quicquam inueniri poſſe ſuauius.

Sues marini. Suum autem marinorum duo ſunt genera, vnum roſtro acuto, vt anſeres, alterum tam obtuſo, vt cum è mari attollit, ſphæra eſſe videatur. Idcirco ab ea ſimilitudine, quæ eſt illi cum cucullatis, capita monachorum appellabamus. Ex iis animaduerti longos circiter ſenûm pedum, cauda lata, bifidaque, in capite omnibus erat foramen, quo ſpiritum ducere, & vndam vibrare ſolebant. Cum incipit mare commoueri, ſuper aquam eminentes, præcipue nocte tempeſtate conflictati, virides apparẽt, viridemq; reddunt maris effigiem. præterea in morem ſuum terreſtrium, alte anhelant ſtertuntque. Quamobrem nautæ illos vagari & reſpirare conſpicati, tempeſtatem certiſſime præſagiunt, quod & ſæpe ſum expertus. *Ingens ſuum marinorum copia.* Et quamuis, cum tranquillitas eſſet, pelago modo criſpante vndiq; ſuum marinorum circumiecta multitudine, quoad proſpici poſſet, totum mare illis cõſtratum videretur: tamen cum non tam faciles captu eſſent, quam piſces reliqui eſſe conſueuiſſent, prout collibuiſſet in promptu non erãt. *Modus piſcandi ſues marinos.* Itaq; vt lectori ſatisfaciam cumulatius, qua tandem arte capiãtur, explicabo. Qui probe inter eos piſcandi modum callet, conſpicatus è prora, harpagonemque ferreum manu tenens longurio reuinctum longo craſſoque vt haſta dimidiata: qui etiam funi alligatur viginti circiter pedum: gregatim accedentibus, quem ferire poſſit, eligens, tanta vi harpagonem iaculatur, vt ſi recte percutiat, ferro ſus adunco teneatur: tum relaxato fune, quoad fieri poteſt, dum ſe dolore ſaucius in omnes partes conuertit, ferroque magis induit, ſanguis eum paulatim vireſque deficiunt. Nec morati nautæ ceteri, manu ferrea, quæ & ipſa longurio adhæret captum in nauem pertrahunt. Hac ratione viginti quinque in itinere cepimus.

Suum marinorum inteſtina. Quoad inteſtina, ſi vt porco, ita & ſui marino quatuor tanquam pernæ demantur diuidaturq; & viſceribus, ſpina etiam dorſi, coſtiſq; ablatis eundem in modum pendeat, hic illi valde ſimilis erit. Iecur eodem ſapore. Caro tamen recens dulcior & deterior. Pinguedo in omnibus quos vidi, pollicis craſſitudinem non excedebat, nullamq; puto inueniri, quæ duos ſuperet digitos. Itaque, ne nobis amplius imponat id, quod Lutetiæ alibique laridum quadrageſimæ piſcatores appellant, ſuiſq; marini pinguedinem eſſe arbitrantur: nam ea cum plus quatuor digitum craſſitudine pateat, Balænæ cenſenda eſt. Ceterum quoniam in quarundam aluo, quas venati ſumus, paruuli ſunt reperti, quos vt lactentes aſſos apponebamus, nulla contrariæ opinionis habita ratione, magis exiſtimo ſues marinas vt ſcrophas, viuos quam oua parere. Qua de re ſi accuſer, ad arbitrium eorum qui experti ſunt potius, quam qui ſcripta tantum legêre, prouocans: vt rem diiudicare, mei nõ eſt inſtituti, ita nemo, quin ea quæ viderim certa eſſe credam, iure interdicturus eſt.

Requienes. Permultos etiam Requienes, vt à Neuſtriis appellantur, cepimus. Ii quoque mare ſedato virides apparent: quibuſdam longitudine quatuor pedes ſuperanribus, craſſis pro magnitudine corporis. Tamen quod eorũ caro minus probetur, neceſſitate compulſi & meliorũ inopia, nautæ Requienem attingunt. Pelle ſunt aſpera ſerrataque, capite plano atq; lato, ore patulo tanquam lupi Moloſſi ve Britannici. *Requienes damnoſi.* Cum hac de cauſa monſtroſi ſunt, tum dentibus acutiſſimis damnoſi: quemq; ſemel corripuerint, aut dilacerant, aut in mare deprimunt: qui lauant in Oceano ſibi à Requienibus valde timere coguntur. Nec cum eſſent educti ſupra foros nauium, quod ſæpe accidit hamis è ferro digitali craſſitudine, minus ab iis cauendum erat quam à feris canibus. Quapropter cum neq; capti, neq; liberi ab iniuria temperarent, parumq; ad veſcendum accommodati cenſerentur: quos eramus piſcati lancinantes, atque cruciantes, vt damnoſis animãtibus dignum erat, claua ferrea mactabamus. Deciſis aliquando brachiis, doliiq; circulo per caudam traiecto, in mare proiicebamus: tum ſe ipſi iactantes quod diu non mergebantur, ingenti nos voluptate perfundebant.

Marinæ teſtudines. Plin. lib. 9. c. 10. Ceterum etſi ſub Zona Torrida, non ſint ea magnitudine teſtudines, qua in Rubro Indico ve mari Plinius eſſe dicit, vt ſingularum ſuperficies contegendis habitalibus caſis, parandiſq; cymbis accommodentur: tamẽ cum tantæ ibi exiſtant, vt parum ſit credibile, breuiter attingere viſum eſt. Proponam igitur ſpecimen, quo de magnitudine lector iudicare poterit, vnã videlicet in naui Boiſiana captã, adeo grandem extitiſſe, vt octoginta hominibus, quos nauis acceperat more nautico prandentibus, large ſuffecerit: ſuperior teſta ouali effigie, lata duos pedes cum dimidio, & iuſta craſſitudine centurioni Mario ad clypeum data eſt. carne tamen proxime ad vitulinam accedunt, vt lardo traiectæ, toſtæq; eodem ſapore videantur. *Modus piſcandi marinas teſtudines.* Hic quoq; vt animaduerti, earum eſt piſcatus. Tranquillo mari, alias enim raro apparent, in ſumma pelagi euectis, ſol teſtam accendit, vt pati non poſſint: itaq; ſe inuertunt ad temperandum calorem, diuque in gyrum verſant: hoc cõſpicati manu ferrea commiſſuræ teſtarum impacta, vi magna nautæ quatuor aut quinque connitentes, in phaſelum pertrahunt.

Hæc habui de teſtudinibus breuiter explicanda & aliis piſcibus: poſtea mentio fiet de Delphinis, atque etiam Balænis, pluribuſque Cetaceis.

Cap. IV.

De Æquinoctiali circulo, tempeſtatibus, ventorum inconſtantia, pluuiis corruptis, caloribus, ſiti, aliiſque incommoditatibus, quas circa illam mundi plagam ſuſtinuimus.

VT de nauigatione abſoluã, tribus aut quatuor citra Æquinoctialem lineã gradibus; vento deſtituti, tempeſtate aduerſa non modo vſi ſumus, pluuia malitiaq; inuicem ſuccedentibus; verũ etiã (vt nauigatio difficilis atq; periculoſa eſt circa Æquatorem) obſeruaui ventorum inconſtantia *Ventorum inconſtantia circa Æquatorẽ.* ſæpe accidiſſe, vt tribus noſtris coniunctim hærẽtibus nauigiis,

uigiis, vnumquodq; ſubito peculiari flatu raperetur, figuramq; trianguli Orientem Occidentemq; verſus & Septẽtrionem delata efficerent: nulla nautarũ induſtria prohibente. Illa ventorũ conflictatio erat momẽtanea, erumpebantq; vortices, qui & ſubito curſum remorabantur, & è veſtigio vela tam impotẽter inflabant, vt mirum ſit nauem non inuertiſſe millies.

Pluuia fœda & contagioſa. Æſtus maximus.

Præterea quæ ſub Æquinoctiali circulo decidit pluuia, fœda contagioſaq; eſt, vt ſi collapſa corpus attigerit, enaſcantur puſtulæ, veſteſq; maculẽtur. Sol autem mire feruet, qua de cauſa caloribus preſſi maximis, ingenti quoq; ſiti laborabamus: quod aqua dulcis, poculenta ve alia (ſi prandioli tempus demas & cœnulæ) nos omnino deficeret. Vnde accidebat, quod mihi vſu veniſſe memini, halitu conſumpto, vt hora plus obmuteſcerem. Hac neceſſitate compulſi nautæ, nihil magis habẽt in votis, quam vt aqua ſalſa cum dulci commutetur. Si quis opponat (repudiato in vndis pereunte ſiti Tantalo) fieri poſſe vt aqua marina bibatur, aut humectando ſaltem palato inſeruiat: reſpondeo, nullis omnino remediis aquę ſalſæ per ceram colandæ, aliter ve diſtillandæ (pręterea quũ fluctuationes nauiũ inſtituendis fornacibus, lageniſque conſeruandis minime conueniant) effectum eſſe, niſi quis vellet, ſimulatque ori admouiſſet, ipſa etiam euomere viſcera, vt ea deguſtationi accommodaretur, & potui multo minus. Attamen vitro infuſa ſplendore & puritate nulli cedit. poſtremo aqua marina (quod & ſum admiratus & Philoſophis examinandum relinquo) ſi lardum, halecem, alia ve carnium & piſcium genera valde ſalita temperes, & magis dulcia fient, & citius quam ſi fontana.

Nautarum deſiderium. Aqua marina minime potabilis.

Nauticus panis corruptus.

Vt vnde ſum digreſſus eo redeam, faſtigium noſtræ, ſub Zona Torrida, miſeriæ fuit, quod maximis & continuis imbribus ad carinam vſque permeantibus nautico pane corrupto & mucido, quo tamen vtebamur admodum exigue, vermes vna cum pane (tot inerãt enim, quot micæ) nihil abominati, ne ſiti conficeremur, edebamus: vitiata quoque aqua dulci oppletaque vermibus cum è vaſis effunderetur, ſtomacho nullus erat tam firmo quin expueret. Qui autem bibebant, vna manu tenere poculum, altera ob fœtorem nares comprimere cogebantur.

Aduerſus delicatos inuehitur.

Interea quid vobis in mentem venit, hominum delicatiſſimi? calorem exiguum ferre non poteſtis, tunicaque interiori commutata, bene terſi opaco in conclaui & ſplendido, cathedra lectulo ve impoſiti, otium agitis? vobis cordi non eſt ad menſam accumbere, ſi lances nitidiſſimæ, vitra bene lota, candidiora niue ipſa mantilia, dapes conquiſitiſſimæ apparatiſſimæque, vinum deeſt Smaragdo clarius? Vultis nauigare vt ad hunc modum vitam traducatis? vt auctor vobis nequaquam ſum futurus, eaq; de re minus cogitabitis, cum quid in reditu acciderit audietis: ita cum de mari mentio incidit, & nauigationibus tam longis, vos vellem oratos qui ex libris tantum ſapitis, quodq; multo eſt deterius, ex eorũ fabulis, qui mare nunquam viderint, vt elato ſupercilio Mineruam non doceretis: hoc eſt vt interpretor, iis paululum cederetis, qui tot incõmoda perferrendo ea ſunt experti, quæ nullo certe modo in animum irrepunt, niſi periculum ipſe fecerit.

Gubernator nauis egregius ſine literis. Addam cum ea quæ ante commemoraui de varietate ventorum atque tempeſtatum, imbribus fœtidis & caloribus: tum quæ in Oceano generaliter fiunt, præſertim ſub Æquatore: vidiſſe me Ioannem Meunium Hareflorienſem, ex noſtris gubernatoribus, qui cum literas neſciret, cognoſcendo Aſtrolabo, chartiſq; nauticis, & Baculi Iacob aſſecutus eſt tantam nauigandi peritiam, vt ſæpenumero, maximeq; cum eſſet tempeſtas, ſilentium imponeret viro bene docto, quem nominare non habeo neceſſe: cum iſte tamen pacato mari explicandis Theorematis excelleret. Nec interea propoſitum eſt, quicquam detrahere de iis artibus, quæ in ſcholis docentur, & literarum monumētis conſeruatæ ſunt. Sed magnopere vellem, nulla vt hominum auctoritas, & ratio cum experientia contenderet. Veniam igitur à lectoribus efflagito, ſi in memoriam reuocans nos aqua putri, & mucido pane vixiſſe, permultaſq; rerum incommoditates perpeſſos eſſe, miſera illa conditione, cum lautis cenſorū iſtorum dapibus comparanda, ſum ab incepto ſermone paululum digreſſus, & in eos inuectus. Accidit ſæpe ob eas de quibus ante diximus difficultates, quæ poſtea demonſtrabuntur fuſius, abſumpto omni commeatu, citra Zonam Torridam retro naues abiiſſe, quod Æquatorem ſuperare non poſſent.

Cum hac miſeria conflictati circumeundo, & paulatim appropinquando, triginta quinque diebus tranſmittere tentaſſemus, pridie Nou. Febr. Deo propitio, Æquatorem attigimus. *Æquator quare dictus.* Æquator autem dicitur, non tantum quod ſub hac linea dies noctibus perpetuo ſunt æquales: verum etiam quod cum Sol ad eam redit, quod in anno bis accidit, nimirum ad 5. Calen. April. & Id. Septemb. eadem toto in orbe dierum & noctium exiſtit æqualitas, ita vt qui ſub Arctico & Antarctico degunt, *Eleuatio Poli Antarctici.* duobus illis demum in anno diebus lucem noctemq; participent, è veſtigio Sole ab eorum conſpectu alternatim recedente ad ſex omnino menſes.

Quo igitur die mundi Zonam ſumus præteruecti nautæ ſolemnia vſurpauere: etenim ad memoriam eius rei conſeruandam, qui nunquam ſub Æquatore fuerunt, eos funibus alligatos in mare demittunt: aut panniculis cacabo affricatis atro vultum inficiunt, vectoribus tamen ſe pecunia redimere licet, quod mihi contigit.

Hiſt. vniuerſ. Ind. lib. 3. c. 98. Itaque Iapyge ſecundo delati ſumus ad quartum gradum vltra Æquinoctialem. Hic Polus Antarcticus primum à nobis eſt viſus (quam Neuſtrii Stellam Su appellabant) quibuſdam ſtellis, vt ab illo tempore animaduerti, in modum crucis depictum: ideoq; ſydus integram ſtellam Su nominant. Retulère, vt quidam ſcribit, qui hoc primum iter ſunt agreſſi, albidam circa Polum Antarcticum nubeculam perpetuo videri, quatuorq; ſtellas, crucis forma, cum tribus aliis, quæ Septentriones valde referunt. Iamdiu Polus Arcticus à conſpectu noſtro aberat: obiterq; dicā, non modo ſub Æquinoctiali Polum vtrumq; nō apparere, quemadmodum pleriq; arbitrantur, ſed neutrum, niſi duobus emenſis vltra citrave gradibus.

Sol pro Zenith. Id. Feb. cum ſudum eſſet, Nautæq; Solis altitudinem Aſtrolabo deprehendiſſent, affirmant ad perpendiculum radiare. Idcirco, quamuis periculi

riculi faciendi gratia, pugiones, cultellos, aliaq; id genus ſupra foros defigeremus, noſtris in celocibus eo die meridiano præſertim tẽpore, vmbra nuſquã eſt viſa. Duodecim fere gradus prouectis, tẽpeſtas tres quatuorve dies aduerſa extitit: paulo poſt è contrario tanta malitia facta eſt, vt interea celocibus immotis, perpetuo hic manſiſſemus, niſi ventus flauiſſet.

Balenæ.

Toto itinere noſtro nondum Balænæ obuiam erant factæ, tum vero prope vidimus. Quo in numero vna, quæ facilime potuit conſpici, iuxta nauim emergens, quoad ſe commoueret, ſcopulus credita eſt, vt metuerem, ne impacti fracta celoce periremus: obſeruaui cum ſe in mare abſconderet, ante caput exerentem, ore plus doliis aquæ duobus eieciſſe, demergentemque tantum excitaſſe fluctum, denuo vt vererer ne in gurgitem nos ad ſe pertraheret. Eſtque profecto res horrenda, vt in Pſalmis, Ioboque legimus, eiuſmodi monſtra tam facile in Oceano ludere.

Pſal. 104. 26. Iob. 40. 26.

Delphinas piſces alii comitantur.

Vidimus etiam Delphinas compluribus piſcium generibus comitatos, & militari ordine incedentes: in mari ſubrubido eſſe colore putantur; ex iſtis vnus ſexies ſeptieſve, tanquam gratulari vellet, celocem qua eram vectus circumdedit: nos inuicem nihil non tentauimus is vt caperetur, ſed caute cum refugeret capi nunquam potuit.

Cap. V.

De primo Indiæ Occidentalis conſpectu, & incolentium Barbarorum: deque iis quæ in mari acciderunt ad tropicum vſque Capricorni.

Dies quo primum America nobis detecta eſt.

Americus Veſputius in Americam primus noſtra memoria nauigauit.

INDE ſecundo diu flante Fauonio, ad v. Cal. Mar. anno 1557. mane circiter octauam horam, in conſpectu Occidentalem Indiam habuimus (in qua Braſilia) quę & quarta orbis ſectio antiquis penitus incognita, & America dicitur: eius nomine, qui circiter annum 1497. primus eam detexit. Explicare ſuperuacaneum eſt, quam læti quamque alacriter Deo egerimus gratias, tam prope intuentes continentem optatiſſimam, breuique adeundam. Explorato igitur, quod eramus conſpicati terram eſſe (decipi enim facile eſt nubibus in aerem abeuntibus) eo die ipſo, flatu ſecundo, & prora in altum conſtituta, cum Boiſius eſſet antegreſſus, anchoræ iactæ ſunt mille paſſibus interiectis, à regione aſpera *Huuaſſou* Barbaris appellata: tum educta è naui ſcapha & tormentis aduentu ſignificato, vt aſſolent qui illas regiones adeunt, virorum mulierumq; ſtatim manus ingens viſa eſt ſtare in littore. Hi omnes (vt à quibuſdam ex noſtris, qui loca illa iam ante cognouerant, eſt animaduerſum) erant natione *Margaiatium* Luſitanis confœderata, Gallis autem inimiciſſima: vt captis nulla liberationis merces ſoluenda eſſet alia, quam vt mactati conciſique Barbaros ſaginarent. Tum quoque vidimus menſe Februario (qui fere tota in Europa eſt frigidiſſimus, geluque impedit, ne quid è terra prodeat) nemora & lucos, herbaſq; tam eſſe virides, quam ſunt in Gallia, Maio & Iunio menſibus, quo vere perpetuo fruuntur Braſilienſes.

Huuaſſou locus aſper.

Margaiates Gallis inimiciſſimi.

Nemora herbæq; ſemper virent in America.

Hoſtilis *Ouetacatium* atque Gallorum inter ſe animus, quem vtriq; ve-

hementer diſſimulabant, impedimento nō fuit, quo minus è naucleris v-nus, qui eorum linguam mediocriter nouerat, cum nautis aliquot ſcapha conſcēſa, littus peteret, vbi magna multitudine Barbari conſtiterant. Nec tamen intra teli iactum accedere, ſed vereri ne à feris hominibus capti, interfectiq; torrerentur. Ita eminus oſtendere cœperunt cultellos, ſpecula, pectines, aliaq; id genus, cum quibus ad victum pertinentia, commutare ſi vellent, petebant. Qua re à quibuſdam qui propius acceſſerant, intellecta, nec rogati pluribus, mira celeritate quæſitum excurrere. Mox redeunte Nauclero, farina quapiam ex radice, qua panis loco vtuntur Braſiliēſes, pernæ carneſq; ex aprorum genere, aliaq; ad victum neceſſaria, fructus etiam magna copia, quales gignit regio, allati. Præterea vt & dona offerrent, & aduentum gratularentur, ſex vna comitante fœmina, Barbari ſcapham ingreſſi, ſponte ſua nos inuiſere. Quos cum primum vidiſſem, lectoribus cogitandum relinquo, quam eos ſim attente contemplatus, de quibus etſi commodius & fuſius agendum eſt ſuo loco, hic tamen attingere obiter nōnulla decreuimus. Principio tū viri, tum fœminæ nudi æque agūt, atque quum ex vtero prodiêre ad ornatum toto corpore atrati. Ceterum viris eſt familiare ſinciput attondere in formam coronæ monaſticæ, occipitis vero crines dimittere, quos tamen vt hi ſolent, qui apud nos alunt comam, circa collum reſecant. Ad hæc pertuſo inferiori labro viridi colore politulum lapidem capitati argentei latitudine atque craſſitudine inſertum geſtant, quo dextre foramen illud aperiunt claudúntque. Hunc ad venuſtatem vſurpant: quo tamen auulſo, & in labro inferiori, tanquam ore altero hiante apparent turpiſſimi: fœminæ labrum minime perforant, ſed vt noſtrates crinem valde ſummittunt, auriculas autem adeo traiiciunt, vt digitum accipiant: vnde candida oſſa pendêre, & ſupra humeros fluctuare ſolent. Alio reiicienda videtur eorum confutatio, qui Americanos eſſe villoſos falſo ſunt opinati. Antequam autem Barbari à nobis diſcederent, duo ſenes qui auctoritate præſtabant, demonſtrant, illa in regione maximam eſſe vim Braſilii optimi, cui & ſecando, & exportando ſuam operam pollicentur, reſque ad victum neceſſarias: nihilque prætermittunt, quo perſuadeant, vt manere vellemus. Præterea quum alio tendebamus, manendi ratio non erat: quod cum inimici eſſent, & multitudine vincerent, hoc conſilio inuitabant, vt ſi terram tenuiſſemus, more ſuo, vulneribus confectos deuorarent. At cum *Margaites* tormenta, & quicquid adeo naues noſtræ aduexerant, valde eſſent admirati: neque maximis de cauſis, præcipue ne Gallorum periculo fieret, ſi forte illuc appellerent) in animo haberemus vim facere ad ſuos qui expectabant in littore, veniam redeundi poſtulant. Itaque, quoniam nullus eſt apud eos pecuniæ locus, cum rebus quas attulerant, hamos, induſia, cultellos, ſpecula, idque genus quamplurima commutauimus, quæ quidem ſunt ad negotiandum apud Braſiliēſes accommodatiſſima. Ad extremum vt quum nos adiêre Barbari, pudenda liberaliter oſtenderant, ita, quum exire, & in ſcapha ſedere vellent, induſia quæ à nobis accepiſſent, ad vmbilicum vſq; colli-

Farina ex radice, aliaque Barbarorum cibaria.

Primi Barbari ab auctore viſi, & deſcripti.

Aſtutia Barbarorum ad decipiendos Gallos.

Pecunia Barbari carent.

Vrbanitas vere Barbara.

colligentes, atque ne macularent veriti, in natibus demonſtrandis nequaquam parci fuere, mira certe vrbanitas & digna quæ legatione fungatur. Nam etſi prouerbio feratur apud nos, pellem induſio eſſe chariorem: illi contra, excellenti erga nos magnificentia fortaſſe, nates aperiendo, pellẽ arbitrantur induſium eſſe præferendum.

Hoc in loco paululum immorati, quamuis noua illa cibaria primum aliena viderentur, neceſſitate coacti, tamẽ auide comedebamus. At poſtridie eius diei, qui Dominicus erat, ſublatis anchoris, vela fecimus. Terram legentes viginti fere millibus paſſuum interpoſitis, obiectum habuimus Caſtellum Luſitanorum, quod illi Spiritum ſanctum, Barbari *Moab* appellant. Hi celoces noſtras, myoparonemque adeo conſpicati, quem ſuis ereptum eſſe facile coniecerunt, tormentis vtrimque ter aut quater diſploſis, quod extra iactum eſſemus, pilæ abierunt innoxiæ. *Spiritus ſanctus Caſtellum Luſitanorum.*

Igitur littoribus appropinquante curſu continuato, plagam prætervecti ſumus quam *Tapemiry* appellant: hic qua in continentem mare influit, paruæ ſunt inſulæ, quique has incolunt Barbari, vt mea quidem fert opinio, Gallorum ſocii fœderatique ſunt. *Tapemiry.*

Vlterius paulo circiter gradus viginti, habitant *Paraibæ*, quorum in regione, quemadmodum prænauigando animaduerti, tumuli eminent in caminorum figuram abeuntes. *Paraibæ.*

Cal. Mart. Breuia & Syrtes legimus, ſcopulis & lingulis intermixtas, quæ loca, ne illæſæ naues pereant, maximopere nautæ ſolent effugere. *Breuia et Syrtes.*

Ex aduerſo Breuium planiciem ſumus conſpicati, amplitudine triginta milliarium: hanc incolunt *Ouetacates* homines adeo feri, vt neq; pacem inter ſe colant, & cum finitimis omnibus aduenisq; bellum gerant. Cum vero ab hoſtibus premuntur (à quibus tamen nunquam iugum accepere) mira pernicitate morti ſe eripiunt, qua & inter venandum feras ex ceruorum genere quodam aſſequuntur. Omnium Braſilieſium more, nudi penitus agunt, nihilo tamen ſecius ad nates vſq; comam demittunt, contra quam reliquorum fert conſuetudo, qui, vt paulo ante diximus, dicemusque poſtea fuſius, cum ſinciput attonderint, tum circa collum crinem reſecant. Denique efferati *Ouetacates* illi, regiunculam inuicti habitantes cruda carne veſcuntur in morem canum, luporumque, lingua etiam diſſident à finitimis, vt inter Occidentalis Indiæ populos immanitate ac ſæuitia inſignes merito cenſendi eſſe videantur. Cæterum quod nullum cũ Gallis, Hiſpanis, Luſitaniſq; commercium habeant, aliiſq; tranſmarinis, carent noſtris omnino mercibus. Attamen, vt poſtea audiui à quodam interprete Neuſtrio, ſi eas finitimi cum *Ouetacatibus* cõmunicare deſiderat, hac vtuntur permutatione: *Margaias, Caraias*, aut *Tououpinambaultius* (quæ gentes ſunt vicinæ) alii ve Barbari, ſe ipſi *Ouetacati* non credentes, oſtentant eminus falcem, cultellum, pectinem ve, aut ſpeculum, aut alia eiuſmodi, nutuque conquirunt an permutationem velit facere. Tum ſi conſentiat, viciſſim plumas depromit, aut virides lapides, qui, vt demonſtrauimus, labris includuntur, aut quædam non abſimilia. Deinde locum deſi-

gnant ab hinc trecentis quadringentiſve paſſibus: hic alter in lapidem ſtipitemve, quę putat eſſe commutanda, reponens, longe abit. Nec moratus *Ouetacas* ad tollendum accedit quæ ille depoſuerat, eodemq; in loco relinquendum, quæ ipſe oſtenderat. Fidem hactenus ſeruāt, permutatione vero facta, cum alter eo rediit, vnde primo viſus eſt, violatis induciis magna contentione certatur, quis cuiq; permutatum eripiat. Nec dubiū eſt quin *Ouetacas*, venatici canis leuitate, primas ferat. Itaq; noſtris hominibus, qui arthritide laborāt, claudis, tardiſq; ſunt pedibus, nequaquam cenſeo, ſi de conſeruādis mercibus cogitant, cum *Ouetacatibus* negotiationem inſtituēdam eſſe. Cantabri tamen, quorum etiam lingua differt à ceteris, vtq; notum eſt, agilitate præſtant, optimeq; ambulare videntur: cum duobus his rationibus cum *Ouetacatibus* comparādi ſunt, tum eos quis merito digniſſimos exiſtimet, qui vna diſcurrerent. Quin & annumerari poſſent, qui Palmarum flumen accolunt, quadam in regione Floridæ. Hi (vt memoriæ proditum eſt) ceruum aſſequi, totumq; diem irrequieti ſolet currere. Præterea Gigantes ad flumen Platam (eodem auctore) tanta felocitate, vt fugientes capreas ſæpe manu retineant. Sed age dum relaxatis habenis, veredos bipedes illos dimittentes. Sed vt ſi libet, Euro citius euolent, interdum etiam vt eſt veriſimile non ſine graui lapſu, tribus in plagis Americæ (diſtantibus inter ſe tamen Platenſi præſertim & Florida plus tricies centenis paſſuum millibus) & in quarta Europæ, niue ſtipatius concidant, ad inſtitutum ſermonem reuertamur.

Hiſt. vniuerſ. Ind. lib. 2. cap. 46. & 84.

Ouetacatium tranſmiſſa regione, aliam in conſpectu ſtatim habuimus, quam *Maq-he* appellabāt, incoliturq; à Barbaris, quos tātum dicam, ob eas rationes, quæ modo explicatæ ſunt, minime in vtramque, vt aiunt, aurem dormire: cum ad incurſionem faciēdam, paratiſſimos habeant finitimos. Hoc in littore, magna rupes in turris modum ſe attollit: quæ ſole tacta lucet adeo & radiat, vt quibuſdā Smaragdi genus eſſe credatur. Idcirco à Gallis & Luſitanis hac præternauigātibus *Mag-henſis* Smaragdi nomē habuit. Ferunt hanc rupem nauibus adiri non poſſe, quod ad libellam ſummæ aquæ ſcopuli eminentes, plus quatuor millibus paſſuum excurrant in pelagus: terra etiam negant vllam inueniri ſemitam, qua rupes aſcendatur.

Maq-he.

Rupes Smaragdus credita.

Paruæ ibi ſunt tres Inſulæ, *Mag-henſes* appellatæ, quarū ex aduerſo cum iactis anchoris noctem quieuiſſemus, poſtridie ſublatis dolonibus Frienſe Promontorium tenere contendebamus. Vento tamen reiecti, eo vnde mane profecti eſſemus, reuertimur: quo in loco ad Iouis diem in anchoris ſtetimus, parumque, vt audietis, abfuimus à naufragio. Etenim poſtridie eius diei ad vi. Non. Mart. quo Bachanalia celebrantur ab hominibus male feriatis, ante ieiuniū Quadrageſimæ, hora vndecima pomeridiana, cum primum acquieſceremus, adeo repente procella extitit, vt cum tempeſtatem ferre non poſſet funis anchorarius abrumperetur, nauis autem fluctuans, & vi vndarum littus petens eo delapſa ſit, vt cum aqua duabus vlnis & dimidia non eſſet altior (qua breuiore ne parua quidem nauis ſuſtineri poterat) nihil propius fuerit, quā vt in vado adhæreſceret. Tum gubernator

Proximum diſcrimen ex quo euaſimus.

bernator iacta bolide, cum eo rem deueniſſe intelligeret, quanquam illi munus incumbebat, vt bono eſſemus animo iubere, bis aut ter exclamauit, Actum eſt, Actum eſt. Nautæ vero cum diligentiſſime alteram ieciſſent anchoram, quæ, Deo fauēte, ſubſtitit, ne in ſcopulos vnius ex Maghēſibus inſulis (profligata ſalute, ſi id quidem accidiſſet, quod mare commotius illiſam nauem confregiſſet) deferremur impedimento fuēre. Hoc periculo trium fere horarum ſpatio ſumus defuncti, nec interea proderat nautica keleuſmata, quæ commodius in alto vſurpantur, quam prope littora vbi tempeſtates maxime ſunt timēdæ. Cum autem, ſedato mari, dies illuxiſſet, propterea quod, vt diximus, aqua dulci vtebatur vitiata, quidam ex noſtris aquatum profecti in deſertas *Maghenſes* inſulas, nō modo terram ouis auibuſque multigenis (& tamen ab iis, quæ ſunt apud nos valde forma diſſidentibus) conſtratam inuenēre, ſed quod non eſſent hominibus aſſueti, tam erant cicures, vt manu capi, fuſtibuſq; interfici ſuſtinerent, ita vt à noſtris aquatoribus in ſcapham conſtipatæ magna copia exportarentur. Ea de cauſa, cum ſuperiori nocte laboribus extrahenda, nautæ famem excitaſſent, aues illas promiſcue comedēre. Die Iouis, quo *Maghenſes* inſulas reliquimus, vento vſi ſecundo, poſtridie quarta pomeridiana Frienſe Promontorium attigimus, qui portus eſt oræ totius, ob Gallorum nauigationes, nobiliſſimus. Hîc anchora iacta, tormentiſq; aduētu ſignificato, centurio & nauis magiſter, cum aliquot militibus in terrā egreſſi, obuios habuēre magna multitudine, Barbaros, ii vocantur *Tououpinambaultii*, Gallorum ſocii atq; fœderati. A quibus cum accepti ſumus comiter, tum quid ageret *Paycolas* (ſic enim Villagagnonem appellabant) didicimus, quæ res nobis quidem longe accidit gratiſſima. Eodem in loco hamis retibuſque piſces multos cepimus, compluriū generum, & ab iis, qui in noſtro mari degunt, valde forma diſſimiles. In quibus maxime varium atque prodigioſum genus erat, quod ea de cauſa deſcribam. Hornum magnitudine vitulum fere æquabat; roſtro quinque pedes longo, lato ſeſquipede, vtrinq; dentes acuti, tanquam ſerræ prominebant. Quum vero eductus in terram, roſtrum adeo ingens, huc & illud vibraret, mutuo alter alterum appellans, admonebat, tibias vt remoueret. Ceterum carne eſt duriſſima: vt enim eſſemus famelici, ea tamen, quatuor & viginti horas cocta, veſci nunquam potuimus. Hic etiam primum vidimus, non tantum ſublime volantes Pſittacos, & gregatim, vt in Gallia cornices, columbæque: verum etiam vt ex illo tempore obſeruaui, binos in aere ſibi cohærentes, quemadmodum apud nos turtures ſolent. Cum igitur ſexaginta fere millia paſſuum itineris ſupereſſent, quamq; citiſſime fieri poſſet, contenderemus: ad Frienſe Promontorium, breuior quam erat in votis, mora facta eſt. Itaque eo die ipſo ſublatis veſperi dolonibus, tam proſpere nauigatum, vt ſequenti Dominico, Non. Mart. anno 1557. Oceanum ſub dextra relinquentes, in ſinum ingrederemur, à Barbaris *Ganabara* nuncupatum, à Luſitanis vero Rio de Ienero, hoc eſt, Fluuium Ianuarii, quod Cal. Ian. eum primo ſinum adierant. Poſteaquam honoris Villagagnonis cauſa, quingentûm

Auium multitudo in Maghenſibus inſulis.

Frienſe Promontorium.

Tououpinambaultii cum Gallis fœderati.

Prodigioſus piſcis.

Agmen Pſittacorum volantium.

Sinus Ganabara.

fere paſſuum interuallo, tormēta diſploſimus,& nobis ille reſpondit(Caſtra enim fecerat in parua quadam huiuſce ſinus inſula) anchoræ ſunt in propinquo iactæ. Hæc igitur ſumma eſt eorum, quæ inter nauigandum in Braſiliam, tum paſſi ſumus, tum vidimus.

Cap. VI.

Deſcriptio ſinus Ganabaræ, qui & Geneurenſis appellatur: Inſulæ, Caſtelliq; Collignii, atque inſularum adiacentium.

CVm ſinus iſte à Barbaris Ganabara dictus, eo tempore, quo illic agebamus, inter ceteros eius regionis portus, nauibus Gallicis notiſſimus fuerit: abs re non exiſtimaui alienum, ſi peculiarem eius deſcriptionem hoc loco proponerem. Ille à Luſitanis Generenſis appellatur, quod Cal. Ian. primo eum intraſſe credatur, tribuſque viginti gradibus iacentem vltra Æquinoctialem lineam, ſub Capricorni tropico. Cuius rei meminiſſe Lectorem cupio, vt Theueti agnoſcat impudentiam. Is in libro virorum Illuſtrium *Quoniambecum* laudans, ait me, aut alium impoſtorem, hunc ſinum ad tres & viginti gradus, prope polum Antarcticum collocaſſe, quum tamen nunquam aliter, quam hic ſcripſerim. Quæ alii de ſinu iſto ſcripſerunt, prætermitto, eumque quatuor & viginti paſſuum millibus patere affirmo. In quibuſdam vero locis in latitudinem creſcere, donec 14. aut 16. conficiat. Et quamuis ii montes quibus iungitur, non adeo ſint excelſi, atq; ii ſunt, quos Geneuenſis lacus alluit, recte tamen cum eo comparari poteſt propter vicinitatem vndique terrarum.

Comparatio lacus Geneuenſis cum fluuio Genabara in Braſilia.

Oſtium eius periculoſum eſt, quia relicto mari trium Inſularum incultarum oræ legendæ ſunt: vnde magnum nauibus periculum imminet, ne ſcopulis alliſæ penitus frangantur. Deinde prænauigandum eſt fretum, quod cum trecentos in latitudinem paſſus non habeat, enaſcitur ſiniſtrorſum è monte ac rupe pyramidis formam imitante: quæ non modo eſt immenſæ magnitudinis, verum etiam eminus artificio quodam elaborata videtur. Propter eius autem rotunditatem, & quod ingēti turri perſimilis eſſet, hyperbolice à Gallis *le Pot de beurre* appellata fuerat. Paulo vlterius intra ſinum ipſum rupes extat ſatis plana, quæ circuitu patet circiter centum & viginti paſſus. Hæc à nobis *Le Ratier* dicebatur, quam Villagagno cum primum appuliſſet impoſita ſupellectile ac impedimentis, muniri poſſe ſperabat: vi tamen vndarum inde pulſus eſt. Ea porro quam incolebamus inſula, duobus eſt paſſuum millibus vlterior: hæc (vt commemoraui) erat inculta ante Villagagnonis aduentum. In circuitu circiter paſſus mille complectitur, latitudinem ſexies ſuperante longitudine: ſcopuliſque ad libellam ſummæ aquæ extantibus cingitur, qua de cauſa naues citra tormenti iactum accedere non poſſunt: eſtque ideo natura munitiſſima, vt adiri ne nauigiolis quidem poſſit, niſi è portus latere ex aduerſo ingredietis Oceani. Hæc ſi diligēter cuſtodita fuiſſet, nec expugnari, nec intercipi potuiſſet, queadmodum à reditu noſtro fuit à Lu-

Rupes vocata vas butyraceum.

Muſcipula.

Deſcriptio Inſulæ & propugnaculi, in quo Villagagno habitabat.

ſitanis

tanis occupata, eorum qui relicti eſſent culpa: ab vtraque parte eminebat colliculus, cuius in faſtigio tuguriolum Villagagno extruxerat: rupi vero quinquaginta, aut ſexaginta pedes in altitudinem porrectæ, & ad inſulæ centrum ſitæ, ſuum impoſuit prætorium. Reliqua in planiciem redacta, domiciliis continebantur, quæ, annumerata omni Villagagnonis familia, octoginta circiter homines incolebant. Illa omnia ſi prætorium excipias, aliquot fabrilibus lignis ædificatum, & propugnacula qualicunque cæmento ſuperinducta, parua erant tuguriola, prout Americani ſolent, lignis extructa rotundis, herbaque contecta. Atque hæc quidem pauca de artificio munitionis illius, quam Villagagno nuncupauit Collignium in Gallia erectum Antarctica. Id autem ab eo factum eſt, vt Gaſpari Collignio Galliæ Thalaſſiarchæ gratularetur: neque immerito. Nunquam enim ſine illius fauore ac ope, (vt antea commemoraui) cum iter illud agere, tum vllam in Braſilia munitionem exædificare potuiſſet.

Vt igitur quæ reſtant de Ganabara ſinu perſequamur, ſciendum eſt vltra propugnaculum decem fere millibus, pulcherrimã, fertiliſſimamq; inſulã iacere: ea cum in circuitu duodecim paſſuum millibus pateret, Magnæ inſulæ nomen à nobis ſortita eſt. Quinetiam quod à Tououpinambaulſiis fœderatis incoleretur, eam frequenter petebamus, ad exportantandam farinam, aliaque neceſſaria. *Magna inſula.*

Sunt præterea in illo ſinu maris multæ inſulæ incultæ, in quibus pręſtantiſſima oſtrea reperiuntur. Barbari quidem in littoribus ſe ſubmergẽtes, manibus adferunt lapides ingentes exiguis oſtreis (illi *Leripes* vocant) circumdatos, quæ ſic petris adhęrent, vt vix ſint auellenda. Horum plenos lebetes coquebamus, & in quibuſdam exiguas gemmas reperiebamus. *Leripes oſtrea.*

Hic fluuius multorum piſcium genere abundat, in primis mulis quã optimis, ſuibus marinis, & mediocribus aliis, quorum nonnullos, in capite de Piſcibus deſcribam. Hic vero ingentes, ac monſtroſas Balænas ſilentio præterire nolo, quæ pinnis aquam ſuperantibus, nobis ita fiebant obuiæ, vt tormentulis facile peterentur. Veruntamen iſtiuſmodi globis eas valde lædi non exiſtimo, tantum abeſt, vt interfici poſſint: eaque de cauſa recedebant à nobis innoxiæ, quod pelle ſint duriſſima craſſaque pinguedine. Harum vna, quatuor, & viginti à Caſtello milliaribus Frienſe promontorium verſus in vadis adhæreſcens, Oceanum repetere, quod eam aqua profundior defecerat, non potuit: ad quam tamen accedere auſus eſt nemo, antequam expiraret, quippe cum ſuis conatibus vicinam terram concuteret, & à quatuor millibus paſſuum exaudiretur. Poſtquam vero vitam exhalauit, multi ex Barbaris & noſtris, fruſta quædam carnium deciſarum abſtulerunt: reliquum autem eo in loco remãſit. Eas vero carnes parui faciebamus, propter inſipidũ guſtum: pinguedinẽ vero colliquabamus, vt oleo expreſſo ad lucernas vteremur. Lingua vero, quæ pars exiſtimatur pręſtantiſſima, ſale condita, fuit Thalaſſiarchę in Galliã tranſmiſſa. *Balænæ.* *Balæna in vadis.*

Duo ſunt etiam flumina, quæ ad extremitatem ſinus terra vndique circumdata, cum eo coniunguntur. In iis ego aliquoties cum Gallis naui- *Fluuii dulces.*

gaui, & multos Barbarorum vicos in vtroque littore ſitos inuiſi. Hæc ſunt quæ in hoc ſinu præcipua cognoui, atque etiam arcis poſſeſſionem Gallis ereptam eſſe, tanto magis doleo, quanto hæc recte cuſtodita, vt erat facillimum, tutum nobis perfugium, & Gallis commodiſſimam nauigandi occaſionem præbere potuiſſent. Vltra quadraginta, aut ſexaginta paſſuum millia Platam verſus, & fretum Magellanicum, alter eſt ingens maris ſinus, à Gallis Vaſarum dictus, ad quem appellunt illuc qui nauigant, ſicut & ad Frienſe Promontorium, quod & primum tenuimus, cum Braſiliam peteremus.

Cap. VII.

De ingenio, robore, ſtatura, nuditate, ornamentis corporis virorum & fœminarum Braſilienſium, apud quos annum fere ſum commoratus.

Hactenvs ea quæ in mari vidimus, dum Braſilienſium regiones petiimus, deſcripſi: qualis denique ſit Ganabara ſinus demonſtraui: Nunc antequam naui conſcenſa reditum in Galliam parem, vitæ genus & alia hîc à noſtris incognita, paucis deſcribere volo.

Statura ac diſpoſitio Barbarorum.

Vt autem ordine cuncta exequar, Barbari Americani, qui terram Braſilii incolunt, *Tououpinambaulſii* nominantur, quibuſcum ego circiter annum familiariter ſum verſatus. Ii corpus nec prodigioſum, nec monſtroſum habēt, ſed noſtro qui in Europa viuimus, perſimile quod ad ſtaturam ſpectat. Sunt quidem fortiores, robuſtiores, ſaniores, & minus obnoxii morbis. Pauci apud eos ſunt claudi, pauci altero priuato oculo: deformes fere nulli: licet etiam centeſimum ac vigeſimum ætatis annum ſæpe attingant (per lunas enim annos numerare norunt) pauci tamen caneſcunt. Id vero regionis illius temperiem indicat, quæ cum nullis frigoribus, aut pruinis torreatur, virides herbas, agros, & arbores ſemper habet: ipſi quoque moleſtiis ac curis omnino vacui, iuuentutis in fonte labra rigaſſe videntur. Et quoniam fontes lutoſos, & ſcaturigines peſtilentes non adeunt, è quibus mala omnis generis oriuntur, quæ nos ante tempus attenuant, macerant corpus, animum excruciant, deniq; perimunt: vtrumque nihil eorum ad illos pertinet, diffidentia, auaritia, litibus, inuidia, ambitione denique non laborant. Colore prorſus nigro non ſunt, ſed tamen ad nigredinem accedente, propter ſolis vehementiam, quemadmodum Hiſpanis, ac Prouincialibus vſu venire videmus.

Barbari rerum mundanarum neglectores.

Nuditas Barbarorum in genere.

Ceterum viri, fœminæ, infantes nudi prorſus incedunt, nec vllas corporis partes vnquam tegunt, nullo eius nuditatis pudore. Attamen villoſi non ſunt, vt quibuſdam viſum eſt, imo ſimulatq; pili in corpore apparet, aut vnguibus, aut forcipibus paruulis, quas à Chriſtianis accipiunt, euellunt: barbam ipſam, palpebras, ſupercilia eradicant, vnde luſci, toruoque aſpectu fiunt. Idem legimus in inſula Cumana vſurpari à Peruenſibus.

In eos qui Barbaros villoſos eſſe putant. Hiſt. gent. Ind. lib. 2. c. 79.

Caput quidem illi capillis veſtitum habent, qui maribus ab ineunte ætate à vertice ad ſinciput raduntur, vt monachorum coronam dicas: ad occiput vero comam nutriunt noſtrorum more maiorum, quam, vbi ad collum vſque fluctuat, reſecant. Hic, ne (ſi fieri poſſit) aliquid à me prætermittatur, quod ad hanc tractationem pertineat: illud addam, eſſe nimirum in illis terris herbas quaſdam duorum digitorum latitudine: hę paululum incuruæ, in orbem & longitudinem excreſcunt, veluti calamus, qui contegit ſpicam milii illius prægrandis, quod apud Gallos triticum Sarracenum nuncupatur. Vidi aliquando ſenes (non tamen omnes, nunquam adoleſcentes, multo minus pueros) qui duobus illius herbæ foliis acceptis, filoque xylino virilia contegerent, atque etiam faſciis, ac linteolis, quę à nobis habebant, obuoluerent. Qua in re primo aſpectu elucere videretur ſcintilla quædam naturalis verecundiæ, ſi modo id ea de cauſa facerent. Etſi enim id penitius nunquam ſum ſcrutatus: nihilominus tamen arbitror id ab illis fieri tegendi alicuius morbi gratia, quo in ſenectute partes illæ conflictantur.

Quare ſenes Americani interdum virilia tegant.

Labium perforatum, & eius perforationis ratio.

Hoc inſuper de more habent, vt ab infantia puerulis omnibus labium inferius pertundant, eoque in foramine os quoddam perpolitum, ac inſtar eboris candidum inſeratur, minimarum figura pyramidum, quę ſupra menſam in quicuncem ordinatæ, verticillo petuntur. Pars faſtigiata pollice vno, duobuſve digitis extrinſecus porrecta, inter gingiuas, & labium retinaculo adhæret: idque pro arbitrio auferunt, reponuntque. Os vero illud faſtigiatum, ac candidum, in adoleſcẽtia tantum geſtant. Cum vero ad grandiorem ætatem peruenêre, cumque lingua ſua *Conomi-ouaſſou* vocari incipiunt, (quod grandem, aut craſſum adoleſcentem ſonat) foramini labiorum inſerunt lapillum viridem, ex genere pſeudoſmaragdi, qui ſimiliter obice quodam intrinſecus retentus, extrinſecus apparet, capitati argentei rotunditate, ac latitudine, craſſitudine autem duplici. Atque etiam nonnulli repeniuntur, qui digiti longitudine geſtent, eumque teretem. Cuius poſtremi generis vnus à me in Galliam allatus eſt. His lapidibus interdum ſublatis, Tououpinambaultii, linguam foras per rimam illam labiorum, animi gratia egerunt, ita vt gemini oris effigiem ſpectantibus præbeant. Vtrum vero ſpectaculum iſtiuſmodi placeat, an deformes admodum hac ratione fiant, facile eſt iudicatu. Alios inſuper vidi, qui lapillos eiuſmodi virides in labiis geſtare non contenti, vtriſque malis eundem ad vſum perforatis, includebant.

Lapilli virides labiis inſerti.

Malæ perforatæ ad lapillos inſerendos.

Quod ad illorum naſos attinet, cum apud nos obſtetrices ſoleant ab ipſo puerorum ortu, vt formoſiores ac productiores efficiant, digitis extendere: contrarium prorſus inſtitutum apud Americanos noſtros obtinuit. Puerorum enim pulchritudinem naſi depreſſione metiuntur. Itaq; ſimulac ex vtero matris prodiêre, pollice naſus eis deprimitur, perinde atq; catellis in Gallia quibuſdã fieri ſolet. A quibus longe illi diffident, qui quodam in Peruani regni tractu, feruntur tanto eſſe naſo præditi, vt ex eo ſmaragdi, cyanii, aliiq; lapilluli, cum candidi, tũ rubri, filo aureo ſuſpendantur.

Hiſt. vniuerſ. Ind. lib. 4. cap. 108.

Barbari nigro colore infecti, & variis coloribus picti.

Noſtri præterea Braſilienſes compluribus pigmentis & coloribus ſibi corpus variegant: inprimis vero crura, ac tibias adeo inficiunt atro colore, ex ſucco fructus cuiuſdam ab illis *Genipat* dicti, vt eminus animaduerſa, femoralibus ſacerdotalitiis induti eſſe videantur. Ea porro nigredo expreſſa ex illo *Genipat* fructu, ita illorum cuti adhæreſcit, vt decem aut quindecim diebus elui nequeat, quamuis ſe frequenter abluant.

Meniſci ex oſſibus candidis.

Adhæc meniſcos etiam habent octo digitis longiores, ex oſſibus apprime leuatis, ac inſtar alabaſtri candidis (quæ *Yaci* appellant) mutuato à Luna nomine, quam ita vocant: hos funiculo xylino ad pectus è collo appenſos demittunt.

Bou-re torques.

Similiter fruſtula complura teſtę prægrandis lapide quodam diu multumque attrita perpoliunt. Rotunda deinde, ac inſtar denarii tenuia efficiunt, vmbilico pertuſa, filoque xylino traiecta, pro torquibus collo inſerunt (hæc *Bou-re* ipſorum lingua vocantur) vt apud nos catenulæ ſolent aureæ. Id porro, quod à multis buccinum appellatur, eſſe crediderim, ex quo pleraſque mulieres, zonas apud nos geſtare videmus: cuius & quidem pręſtantiſſimi, plus quam tres vlnas habebam, cum in Galliam appuliſſem. Barbari pręterea torques (quos ab illis *Bou-re* dici, antea commemorauimus) conficiunt ex quodam genere ligni nigri, ac ſolidi, cuiuſmodi ſycomorum eſſe Matthiolus teſtatur, quod ad eam rem valde accommodatum eſt: quoniam ad grauitatem, ac ſplendorem gagatis accedit. Maximam præterea vulgatarum gallinarum copiam habent Americani: quarum progeniem à Luſitanis acceperunt. Albis ſæpenumero plumas detrahunt, ac ferramentis quæ nunc habent: antea vero cum illis carerent, lapidibus peracutis molliores plumulas minutatim concidebant. Illis aquæ feruidæ, ac bullienti impoſitis, ac rubro coloris braſilico tinctis: poſtquam ſe gummi quodam ad id accommodato, illeuerunt, contegunt, atque ornant corpus, brachia, tibias, variiſq; depingunt coloribus: ita vt inſtar pipionis, aliarumve auium recens excluſarum, lanuginem quandam habere videantur. Vnde veriſimile eſt, vt, cum quidam noſtrates in eas terras perueniſſent, eoſque ita initio ornatos proſpexiſſent, nihil penitius de eis perſcrutati, hunc rumorem ſparſerint, Barbaros ſcilicet prorſus eſſe villoſos. Res tamen longe ſecus ſeſe habet, vt qui tales natura non exiſtant. Proinde rumor ille ex rei ignoratione manauit, cui deinde nimium leuiter fides adhibita eſt. Quidam etiam memoriæ prodidit Cumanos ſeſe vngere ſolitos gummi quodam, vnguento ve glutinoſo, ac deinde ſe plumis variorum colorum conueſtire.

Barbari plumis ornati creditu ſunt villoſi.

Hiſt. gen. Ind. lib. 2. c. 79.

Frontalia ex plumis contexta.

Ornatus vero capitis *Toüoupinamkiorum* noſtrorum hæc eſt ratio: præter ſincipitis abraſionem in coronæ monaſticæ formam, crineſque occipitis, quos ad collum ſummitti diximus, ſolent inſuper auium plumas, roſei, rubei, cuiuſuis denique coloris aptiſſime compoſitas colligare, eaſque ad frontalium vſum adhibere. Hęc non male galericula referunt non ita pridem à nobilioribus fœminis noſtratibus vſurpata: quæ proinde à Barbaris noſtris accepiſſe non immerito dicantur. Frontale autē iſtud vernacula lingua eſt *Tempenambi.*

nacu-

Inaurium quoq; ex oſſibus albiſſimis apud eos magnus eſt vſus, oſſibus illis non abſimilium, quæ perforatis ſuis labiis adoleſcentes imponere diximus. Apud eos auis eſt *Toucan* nomine, atra toto corpore, ceu coruus, circa ingluuiem plumis tenuiſſimis, fuluo colore, torque miniato ab imo circumdatis. Partis iſtius pellem detrahunt, detractam ſiccant, (auis nomen retinet) ſiccatam vtrique genæ applicant cera agglutinatam, quam *Trayetic* nuncupāt. Quibus ita aptatis, dicas vmbones lupatarios ex ære inauratos ab illis geſtari. *Inaures.*

Præterea ſi ad bellum ſeſe accingant, aut pro more (de quo alibi) & ſolenni pompa captiuum deuorandum ſint mactaturi, vt ad ornatum & elegantiam nihil deſit, veſtes induunt, pileos aptant, armillas brachiis imponūt ex plumis viridis, rubei, cærulei, & cuiuſcunq; alius coloris compactas, eximiæ pulchritudinis. Quibus artificioſiſſime aptatis & interſertis atq; adeo calamo tenui arundineo filoq; xylino admodum concinne cōpactis & cōnexis, vt vix vllum credam in Gallia eſſe phrygionem, qui maiori induſtria plumas illas tractare & aptare poſſit. Dicas veſtes hac ratione contextas è villoſo ſerico cōfectas eſſe. Eundem ornatum ligneis ſuis clauis adhibent, quibus ad hunc modum ornatis elegātius dici nihil poteſt.

Ornamētorum poſtremum genus eſt, quod Struthiocamelorū pennis leucophæi coloris, quas ab accolis accipiūt (ex quo licet colligere grandiſſimas illas aues in regionibus illis verſari, quas tamē illic me non vidiſſe ingenue fateor) hoc modo conficiūt: caules ordine ab vna parte diſponūt, plumæ ab altera eminēt, atq; in orbem circumflectuntur, in modū conopei vel roſæ. Itaq; fit pennarū faſciculus, quem ſua lingua *Araroye* appellant. Hunc tergo imponunt, filoq; xylino alligant, caulibus cutem eorum contingētibus. Quo cùm ſunt ornati, caueam pullis includendis tergo impoſitā geſtare videntur. Fuſius alibi à nobis dicetur, eos qui bellicoſiſſimi volunt haberi, quo fortitudinem ſuā palam faciant, multoſq; à ſe interfectos hoſtes eſſe demonſtrēt, captiuos deniq; vorandos multos mactaſſe iactēt, pectus, lacertos & femora incidere, inciſuras vero illas atro quodā puluere inficere, quoad mortem vſq; earum veſtigia conſeruantur: itaq; aſpicientibus thoraces & femoralia Heluetico more inciſa repræſentant. *Pennarum faſciculus.* *Barbarorum inciſuræ.*

Compotationibus autem ſeu *Caouinationibus* & ſaltationibus illis ſi ſit indulgendum, in quibus certe vt plurimum occupantur, quo magis animum excitent, præter horrēdos clamores & eiulatus, quos emittere conſueuere, fructus colligunt, corticis duri ſatis, echinum forma & magnitudine referentes, cuius exſiccati nucleum auellunt, atque in eius locum lapillos immittunt: huius generis multos filo attexunt, tibiiſq; apponunt: non minorem concitati ſtrepitum edunt, ac teſtæ limacum, ſi eo aptarentur modo, quin à ſaltatoriis crepitaculis non longe abſunt. Quæ quidem cupidiſſime exoptant Barbari, cum ad eos comportantur. *Crepitacula è fructibus.*

Fert inſuper ea regio arborem, cuius fructus Struthiocameli ouum craſſitie adæquat, formaque refert. Hunc perforatum (eo quo à puerulis nuces apud nos perforantur modo) lapilliſque aut milii craſſioris (de quo

ſuo loco) granis immiſſis, baculoq; ſeſquipedali traiecto, inſtrumentum *Maraca* nomine fabricant. Strepitum edit ingentem, adeo vt ſuillas veſicas piſis plenas ſuperet: quo fit vt à Barbaris nuſquam non manu geſtetur. Quæ ſit Barbarorum de iſto *Maraca* atque eius ſtrepitu opinio, præſertim cum plumis egregie ornatur, certoque deſtinatum vſui fuerit, tum à nobis dicetur, cum de eorum religione agemus. Hactenus de natura, veſtitu, & ornatu quo *Toüoupinambaülſii* noſtri vti conſueuêre, paucis dictum eſto. Veruntamen appendicis vice addam, criſpatum pannum, rubri, viridis, flauique coloris à nobis magna copia aduectum fuiſſe, ex eo veſtes omnis generis conficiebamus: quas deinde permutatione facta cum cibariis, cercopithecis, pſittacis, braſilio, goſſypio, pipere Indico, aliiſque id genus, quæ à mercatoribus aſportari ſolent, Barbaris dabamus. At plerique nuda corporis parte reliqua, laxa & vndantia femoralia ſolum induebant: alii contra, femoralibus contemptis, tunicam nates pertingētem induebant. mox autem emenſis aliquot paſſibus, & in ſeipſos oculis identidem conuerſis, non ſine noſtrorum riſu & cachinnis, exutas illas veſtes domi reponebant, quoad rurſus eas induere in animum inducerent. De induſiis quoque & pileis idem iudicium.

Maraca inſtrumentum.

Barbari ex parte nudi, ex parte vero induti.

Epilog. 1.

Quæ externo corporis habitu cum virorum tum puerorum dicenda fuerunt, ſatis fuſe perſecuti nobis videmur. Itaque ſi ex hac noſtra deſcriptione Barbarum animo ſibi repræſentare quis cupiat: in primis nudum virum imaginetur, cuius membra apte & concinne fuerint compoſita, pili euulſi, capilli ad ſinciput abraſi, labia, genæque perforatæ, quibus oſſa præacuta aut virides lapilli fuerint inſerti, auriculæ in auribus traiectæ, corpus variis fucatum coloribus, femora & tibiæ atro illo fuco è *Genipat* infectæ, collum torque ex minutis cochleæ *vignol* fruſtulis ornatum: talem certe habebis, qualem in ea regione conſpeximus.

Epilog. 2.

Iam vero ſi alia forma Barbarum animo informare placet, ridiculo illo amictu detracto, gummi viſcoſo vniuerſum corpus erit perlinendum, deinde plumæ minutim conciſæ ſuperiniiciendæ. Hac vero artificiali lanugine indutus vbi fuerit, quam lepidus ſit futurus, non neceſſe eſt dicere.

Deſcriptio 3.

Deinde ſiue naturalem retineat colorem, ſeu variis coloribus aut plumis fucatus fuerit, veſtes illas, pileos, armillas plumaceas quas deſcripſimus adhibeto. Tum maxime ornatum eſſe conſtabit.

Deſcriptio 4.

At ſi veſtes illas criſpati panni admouere viſum fuerit eiſque (quemadmodum facere eos demonſtrauimus) alia ex parte nudis tunicam impoſueris, cuius altera manica ſit luteo, altera viridi colore, ad certiſſimas morionis notas perparum deerit. Denique inſtrumentum *Maraca* his adiungere ſi lubet, pennarumque faſciculum *Araroye* tergo aptatum, crepitacula quoque ex fructibus tibiis alligata, eam referet formam quam ſalutaturus aut compotaturus obtinet.

Barbarorum inter ſaltandum & potandum ornatus.

Reliquam Barbarorum in ornandis corporibus induſtriam, iuxta integram quam ante edidimus deſcriptionem, vix multi exprimerent typi, qui etiam niſi adhibitis coloribus rem totam commode haud repræſentarent:

tarent: veruntamen præter ea quæ iam ante commemorauimus, cum ad arma & prœlia eorum ventum fuerit, toto corpore inciſos, clauis ligneis inſtructos truculento aſpectu homines dabo. Attamen hos in præſentia omittamus, ornatuque ſuo & voluptatibus (quibus non imperite indulgent) frui ſinamus. Cultus vero fœminarum, quas illi *Quoniam*, & quibuſdam in locis, ex quo commercium cum Luſitanis habent, *Maria* nominant, quanto ſit præſtantior diſpiciamus.

Nuditas inprimis, ſicut initio huius capitis monuimus, cum viris illis eſt communis, pilos quoque conſimiliter omnes euellunt, ne palpebris quidem & ſuperciliis exceptis. Ad comam quod attinet, ab illis differunt: viri enim, vti dictum eſt, ad ſinciput abradunt, ad occiput vero demittunt: fœminæ contra non modo alunt, ſed etiam more noſtratium frequenter pectere & abluere ſolent. Quinetiam xylina vitta rubro colore infecta conſtringere & complicare illis eſt familiare. Paſſis tamen & oberrantibus capillis vt plurimum incedunt, quippe iis circa humeros circumfluentibus & volitantibus delectantur. *Americanæ fœminæ nudæ incedunt.*

Alterum quoque diſcrimen in eo poſitum eſt, quod perinde vt viri, labia non perforant, ac proinde gemmis ſiue lapillis faciem non exornant. Auriculas tamen adeo traiiciunt, vt detractis inauribus digitum capiant: inaures iſtæ ex prægrandi illa cochlea *vignol*, candore & longitudine candelam mediocrem adæquant: quo fit, vt humeros, atque adeo pectus ipſum pertingentes, ſi eminus conſpiciantur, veſtigatoris canis pendulas aures referant. *Inaures monſtroſæ.*

Faciei vero hunc adhibent cultum. Accerſita ad hoc miniſterium ſocia vel vicina, circulum penicillo in media gena delineat, in cochleæ vero formam fucum cærulæum, flauum, rubrum tantiſper circumducit, dum vniuerſam faciem coloribus illis diſtinxerit ac variarit: quinetiam palpebrarum ac ſuperciliorum locum (quod fœminas parum pudicas in Gallia factitare audio) penicillo oblinit. *Mira Americ. fœminar. fucandarum ratio.*

Armillas etiam ex compluribus candidiſſimis oſſium fruſtulis in ſquamæ modum inciſis contexunt: ea tamē adeo apte & concinne cera gummi permixta iungunt, vt nihil ſupra. Hæ longitudinem palmi obtinent: ac non male brachiale illud referūt, quo folliculo pellendo vtuntur apud nos. Torques quoque candidiſſimos, quos *Bou-re* nuncupant, geſtare illis eſt familiare: collo tamen non appendunt, qui mos eſt virorum, ſed iis in armillarum modum brachia inuoluunt. Hunc in vſum vitreos globulos flaui, cærulei, viridiſque coloris, quos filo traiectos habebamus, ſumme exoptabant, *Mauroubi* appellant. Hos, ſiue ad earum pagos accederemus, ſiue ipſæ caſtellum noſtrum adirent, vt à nobis extorquerent, oblatis fructibus aut aliis quibuſdam, crebro blandiſſimis his verbis vrgebant, *Mair, deagatorem, amabé Mauroubi*, hoc eſt, Galle, bonus es, da mihi armillas ex vitreis globulis. Eadem prorſus ratione pectines, quos *Guap* aut *Kuap* vocant, ſpecula quoque *Aroua*, reliquaſque merces quibus delectantur, flagitabant. *Armillæ prægrandes ex compluribus oſſium fruſtulis compoſitæ.*

Certum fœminarum Amer. de veſtib. reiicien. du conſilium.

Mirum vero mihi præ cæteris hoc videbatur, quod licet corpus, brachia, femora, tibiaſque variis coloribus nō ita frequenter diſtinguant, nec plumarum ornamentis vtantur, veſtes tamen ex criſpato panno, à nobis ſæpius vna cum indufiis oblatas, vt induerent nunquam impetrauimus. Etenim in ea pertinacia permanebant, à qua nondum demotas eſſe exiſtimo. Excuſationē ex recepta ab omnibus accolis conſuetudine captabant. Solere omnes ad obuia quæuis flumina & fontes ſubſidere, vt hauſta manibus aqua, caput aſpergant: contingere nonnunquam, vt (anatum more) vno die decies immergantur: veſtes ſi toties ſint exuendæ, moleſtiſſimum fore. Præclaram certe & ſpecioſam cauſam: Atqui quam neceſſe erat admittere, quippe cum illis diſceptando nihil promouebamus. Adeo autem nuditas eſt illis cordi, vt non modo *Tououpinambaultiorum* fœminę liberæ, quæ in continente verſabātur, veſtes omnes pertinaciter reiicerent, ſed etiam captiuæ pretio à nobis emptæ, quibus pro mancipiis ad caſtellum noſtrum muniendum vtebamur, cohiberi non poterant, quin animi gratia noctu, induſiis, reliquiſque panniculamentis depoſitis ante ſomnum per inſulam nudæ oberrarent. Denique ſi penes eas accipiendarum aut reiiciēdarum veſtium fuiſſet poteſtas, à nobis vero ad eas induēdas flagris adactę non fuiſſent, æſtum Solis perferre, lacertoſque & humeros, lapidibus & humo comportandis lædere maluiſſent.

Barbararum fœminar. de crebra ablutione conſuetudo.

Captiua fœmina mirum in modum nuditate delectatur.

Hæc de ornamentis, armillis, reliquoque Americanarum fœminarum mundo paucis fuere dicenda. Itaque nullo addito epilogo, prout cuique viſum fuerit, animo concipiendas relinquo.

Quis ſit infantium ab vtero matris ornatus, tum à me dicetur, cum de Barbarorum coniugiis agemus. Hic locus poſtulat, vt aliquid de maiuſculis, hoc eſt, tertium aut quartum annum excedentibus, quos vulgo *Canomi-miri* nuncupant, dicamus. His certe non parum delectabamur: ſiquidem, prę noſtratibus puerulis, corpore prępingui, oſſe candido labio inſerto, circumtonſis capillis, corpore nunquam depicto, nobis ad pagum accedentibus, gregatim choreas agitātes obuiam veniebant. Vt autē aliquid præmii à nobis referrēt, ſæpius blanda iſta verba repetebāt, *Coutouaſſat, amabé pinda,* hoc eſt, Socie da mihi hamos. hos ſi quando à nobis impetrabant (quod nō raro contingebat) hamoſq; decem vel duodecim minores arenæ aut pulueri imponebamus, tum illi cōfeſtim exultare, & humi fuſi terram inſtar cuniculorum radebant. Quæ res non minimæ erat voluptatis.

Canomimiri pueruli.

Deniq; quamuis Barbaros cuiuſuis ætatis per annum integrum, quo apud eos vixi, ſolicite admodum ſim contemplatus, adeo vt idea quędam etiamnum animo meo inhæreat: fateor tamen ob varios geſtus à noſtris prorſus alienos, literis eos pictura ve exacte referre difficilimū eſſe. Si quis igitur plenam voluptatem ex illis capere cupit, vt ipſam Americam adeat auctor fuerim. At vero, dices, non vnius eſt iter diei. Id quidem ego confirmo: ac proinde non niſi caute ſuſcipiēdum eſſe ſuadeo. De illorum caſis, ſupellectile, cubandi ratione, aliiſque non paucis, prout res tulerit, poſthac dicturi ſumus. Priuſquam autem huic capiti finis imponatur, in eos ali-

Barbari cur exacte exprimi non poſſint.

aliquid dicendum videtur, qui aut opinātur tacite, aut etiam ſcriptis mandarunt commercium illud adeo frequens cum Barbaris nudis, ac præſertim cum fœminis, ad laſciuiam & libidinē prouocare: dico igitur, quamuis in ſpeciem nuditas illa concupiſcentiæ eſca non immerito cenſeatur, tamen, vt res ipſa comprobauit, inculta illa nuditate certum eſt, multo minus opinione viros ad libidinem pellici. Itaque auſim aſſeuerare ſplendidum illum cultum, fucos, ſuppoſititias comas, capillos calamiſtratos, ampla illa & tanto artificio complicata, amictoria pretioſa, mammillaria, laciniatas & vndantes veſtes, ceteraque eiuſmodi, quibus fœminæ noſtrates tam ſedulo formam mentiuntur, plura incommoda & mala parere, quam faciat Barbararum nuditas, tametſi forma ab illis non vincātur. Ita vt ſi pluribus ſeruato decoro hæc perſequi liceret, efficaciſſimas huic ſententiæ meæ ſubiicerem rationes, refutatis omnibus argumentis, quæ in contrariam partem afferri poſſint. Ac ne diutius immorer, eorum teſtimonium hic appello, qui mecum in Braſiliam nauigarunt, quiq; vtraſq; conſpexerunt. Hęc tamē ita accipi nolim, ac ſi nuditas illa mihi vllo modo contra Scripturæ auctoritatem probaretur. Teſtatur enim, Adam & Euam, poſt peccatum, agnita nuditate, pudore ſuffuſos fuiſſe. Eorum etiam deteſtor hæreſim qui violata naturę lege, nō ſatis hac in parte à miſeris noſtris Americanis ſeruata, morem illum turpiſſimum inuehere moliti ſunt.

Americanarū nuditas cultu noſtrarum fœminarum minus noxia.

De Barbarorum nuditate quid ſentiat auctor.

Sed quæ de Babaris iſtis à me dicta ſunt, eo certe tendūt, vt conſtet, nos nihilo minus culpandos eſſe, qui iſtis damnatis quod abiecto pudore nudi incedant, in aliud extremum peccamus, cultu nimirum noſtro nimio. Atque vtinam noſtrûm quiſque modeſto cultu, habita neceſſitatis & honeſti ratione potius, quam faſtus & vanitatis, vtatur.

CAP. VIII.

De craſſis radicibus, & craſſo milio, ex quibus Barbari farinam conficiunt, qua in panis vtuntur locum: deque eorum potione quam Caou-in *appellant.*

QVANDOQVIDEM externum ornatum habitumque Barbarorum ſuperiori capite accepimus, à recto ordine alienum nō videtur, ſi de eorum cibariis hoc loco diſſeramus. Hoc autem in primis eſt notandum, licet frumentum nec habeant, nec ſerant, viteſque minime colant, nihilominus tamen (quod experientia non ſemel ſum edoctus) laute admodum eos viuere quantumuis pane & vino carentes.

Sine pane & vino laute viuunt Barbari.

Duorum generum radices habent, quibus *Aypi* & *Maniot* nomina indidere: hæc inter tres quatuorve menſes adeo creſcunt, vt ſint longitudine ſeſquipedali, femoris craſſitudine. Erutas feminæ (neq; enim circa iſthæc occupantur viri) igne exſiccatas, *Boucano* nimirum impoſitas, nonnunquā etiam recentes, acutis ſilicibus poſti infixis atterunt, prout caſeum & odoratas nuces corradere ſolemus, farinamque candidiſſimam ex iis conficiunt. Tum vero cruda illa farina, atque adeo ſuccus albus, de quo mox,

Aypi & Maniot radices.

qui ab ea exprimitur, recentis & liquidi amyli triticei, aqua diu madefacti, ſaporem prorſus refert. Adeo vt cum poſt meum in Galliam reditum alicubi me præſente fieret, odor ille memoriam refricarit eius quo Barbarorum caſæ, tantiſper dum ex radicibus farina conficitur, perfundi ſolent.

Ad farinæ iſtius apparatum fœminæ Braſilienſes, vaſa fictilia prægrandia, vtpote quæ ſingula capiant modia, ſatis commode effingunt. Quibus ad ignem poſitis farinam immittunt, continuoque dum coquitur, diſſectæ cucurbitæ altera parte, qua pultarii loco vtuntur, permouent. Cocta tragematis minoris formam habet.

Ouy-entan durior farina. Ouy-pou mollior farina.

Duplex iſtius farinæ genus ab illis conficitur: alia enim percocta eſt & dura, *Ouy-entan* appellant, quam in militiam profecturi ſecum ferunt, quod diutius cōſeruetur: alia vero minus eſt cocta & mollior, *Ouy-pou* nominant: hęc priore eſt eo præſtantior, quod dum recens ori admouetur ac manditur, panis candidi medullæ ſaporem refert. Prior vero ille ſapor, de quo egi, inter coquendum, in gratiorem & ſuauiorem mutatur.

Farina ex radicibus ad panem conficiendum minus apta.

Quamuis autem hæ farinæ, præſertim recentes ſaporis ſint optimi, ſumma alendi habeant facultatē, ac facilis earum ſit concoctio, nihilominus tamen pani conficiendo (vt ipſe ſum expertus) nullo modo ſunt aptæ. Maſſa quidem conficitur, quæ non diſſimili à triticea modo intumeſcit, ſpecieq; eſt optima, ac inſtar ſimilaceæ candida: inter coquendū tamen adeo exſiccatur & aduritur cruſta vt pane ſciſſo fractove interior pars ſicca, & ad priſtinam farinę formam redacta reperiatur. Quibus adducor vt credam eum qui primus retulit (cum non ſatis diligenter quod à me dictum eſt perpendiſſet) eos qui viginti duobus aut tribus gradibus vltra Æquatorem porrecti ſunt (quos *Tououpinambaultios* eſſe plane conſtat) pane ex lignis attritis confecto veſci ſolitos, quod de radicibus iſtis, de quibus agimus, eſt intelligendum, hallucinatum fuiſſe.

Hiſt. gent. Ind. lib. 2. c. 92.

Mingant pulmentum & radicum farina.

Vtraque vero farina pulmento conficiendo, quod à Barbaris *Mingant* nuncupatur, eſt accommodata, præſertim ſi pingui quodam iure diluatur: tunc enim orizam refert, atque eo condita modo optimi eſt ſaporis.

Barbari peritiſsime farinam in os coniiciunt. Galli ad farinam in os iniiciendā inepti.

Ceterum *Tououpinambaultii* noſtri cum viri tum mulieres, nec non ipſi pueruli ab ineunte ętate huiuſmodi farinam ſiccam panis vice edere conſueuerunt. Cui rei adeo apti frequenti vſu ſunt facti, vt ſummis digitis è figulinis vaſis deſumptam certa manu, ne minima quidem excepta mica, eminus in os coniiciant. Hunc morem imitari aliquoties tentauimus, ac farina illa vultum inſpergebamus, in hoc nimirum negotio minus exercitati, ac proinde, niſi mimicos moriones referre volebamus, cochlearibus vti neceſſe erat.

Succus ex humida radice expreſſus eſculentus.

Porro radices illæ *Aypi* & *Maniot* interdum recentes fruſtatim conciduntur, ex quarum farina, humida quidem illa, pilæ amplæ à mulieribus compinguntur, è quibus intra manus compreſſis ſuccū, lactis inſtar, candidum ac liquidum exprimunt. Eum vaſis figulinis exceptum ſoli exponunt,

nunt, cuius calore ad modum lactis coagulatur. Edendus vero in patellis teſtaceis infunditur, ac deinde, prout ſolemus oua frigere, excoquitur.

Præterea radix *Aypi* nō modo ex farinæ vſu probatur, ſed etiam ſub cinere cocta vtiliter comeditur: quippe & tenerascit, & diffunditur, caſtaneæq; in prunis coctæ, cuius ſaporem refert, eſt perſimilis: ac proinde ita parata edulis eſt maxime. At radicis, quæ *Maniot* dicitur, longe alia eſt ratio: niſi enim in farinam redacta erit atque percocta, periculoſiſſime editur. *Radix ſub cinere cocta.*

Vtriuſque caulis, qui forma inter ſe ſunt perſimiles, Iuniperi humilis magnitudinē æquat: foliiſq; Pęoniæ ſimilitudine. Quod vero in hiſce Braſilicis radicibus, *Aypi* & *Maniot* maxime eſt admirandum, totū in copia poſitum eſt, earum rami qui calamos cannabinos fragilitate adæquant, quāta copia perfringi, ac in terram qua altiſſime defigi poſſunt, nulla adhibita alia cultura, bimeſtri aut trimeſtri ſpatio radicum copiam gignunt. *Quæ ſit radicum iſtarum caulis & foliorum forma.* *Mira ratio radices illas propagandi.*

Mulieres quoque amplum illud milium, de quo dictum eſt, quodq; vulgo à nobis triticum Sarracenum, à Barbaris *Auati* dicitur, præacuto baculo in terram defixo ſerunt: ex eo item farina ab illis conficitur, quam eodem prorſus modo coquunt, & comedunt, quo ſuperiorem diximus. At vero crediderim (contra quam à me dictum fuerat prima huiuſce hiſtorię editione. duo enim diſtinguebam, quę vbi penitius perſpexi, vnum idemque eſſe iam comperio) hoc *Auati* noſtrorum Braſiliēſium idem eſſe cum eo quod Indorum Hiſtoriographus *Mais* nominat, quod, vti ipſe teſtatur, Indis frumenti vſum præbet. Illud his verbis deſcribit: *Auati milium amplum.*

Harundo *Mais*, inquit, in hominis altitudinem, ac nonnunquam amplius adoleſcit, ſatis craſſa eſt, foliis paluſtrium arundinum perſimilis, ſpica nuci pinaſtri ſimili, grano amplo, nec rotundo, nec quadrato, nec longitudine cum noſtro tritico comparanda, à ſemente menſibus tribus metitur: imo irriguis locis XLV. diebus. Ex vno grano 100. 200. 300. 400. 500. nonnunquam etiam 600. gignuntur His abunde docetur, quæ ſit illius regionis fertilitas, quam nunc Hiſpani occupant. Quidam ſcriptis mandauit adeo fertile eſſe in Orientali India ſolum, vt frumentum, hordeum, milium denique ad cubitos quindecim adoleſcat. Hæc ſunt, quæ panis vicem apud Americos ſupplere animaduerti. *Mais, Peruanum triticum. Hiſt. gen. Ind. lib. 5. c. 215.* *Calcondilas de bello Turc. lib. 3. c. 24.*

Hiſpani ac Luſitani, qui ſedes in illis terris fixerunt, magna frumēti ac vini copia abundant, ex quo apparet Braſilienſium oram horum eſſe maxime feracem. Quod autem iis rebus Barbari carent, ipſorum inſcitiæ tribuendum eſſe. Nos vero frumentum & vinearum palmites eo comportauimus, expertiq; ſumus vtrumq; illic optime prouenire poſſe, ſi modo agri eo labore quo apud nos colerentur. Vitis enim à nobis plantatæ rami fluxerunt, maximo feraciſſimi ſoli argumento. Quod ad fructus attinet, primo anno racemi nati ſunt acidi, qui non modo non matureſcerēt, ſed etiam in dies indureſcerent. At vero quantum à peritis vinitoribus non ita pridem edoctus ſum, conſtat nouelleta primo & ſecundo anno labruſcas nullius pretii plerunq; producere. At veriſimile eſt Gallos, ſi vitem illam colere perrexerunt, optimas ex ea vuas collegiſſe. *Americanum ſolum tritico & vino accommodatum.*

Frumentum vero ſecale à nobis ſata folia quidem emiſerunt, inque ſtipulam ſunt faſtigiata, ac ſpem fecerunt, in ſpicis nulla grana extiterunt. Hordeum grana permulta produxit, & ad iuſtam maturitatem peruenit: vnde credibile eſt illud ſolum nimium celeriter extruſiſſe frumentum, & ſecalem, quæ diutius in terra foueri expetunt, quam hordeum, ita vt nec florere, nec grana proferre potuerint. Eam ob cauſam, quemadmodum in Gallia agros, vt ſint fertiliores, ſtercoramus, contra illam terram aſſiduo cultu, ac verſatione defatigandam eſſe arbitror, vt eo modo ferendis frugibus ſit aptior.

Americanum ſolum ob pinguedinem frumento noſtro ferendo ineptum.

Atq; hoc obiter dictũ ſit, vt iis ſatisfiat, qui curioſius inquirunt, an apud Braſilienſes frumẽtum ac vinum prouenire poſſint, ſi modo excolantur.



Vt autem eo redeam vnde digreſſus ſum, priuſquam de carnibus, fructibus, piſcibus, & aliis Barbarorum cibis, noſtris prorſus abſimilibus, loquar, vt melius quæ dicenda propoſui diſtinguam, quæ ſit ipſorum potio, quaque conficiatur ratione, ediſſeram.

Hîc

Hic primo notādum eſt, viros, vt in paranda farina operā nōn ponunt, ſed curam illam mulieribus relinquunt, illud idem hoc in negotio illis vſu venire. Quin à conficienda potione multo religioſius cauent, præterquam quod radices *Aypi* & *Maniot*, eo modo, quo diximus, paratæ, præcipuum ipſis cibum ſubminiſtrent, potionem quoque ex illis hac ratione conficiunt. Eas in primis poſtquam minutatim conciderunt, quomodo hic rapas ollæ iniiciendas, ſolent, inque vaſis luteis ſufferuefaciunt, quoad molleſcant, emollitas ab igne remouēt, ac deferueſcere ſinunt. His ita expeditis, earum pleræque circa ingentia illa vaſa ſedentes, fruſta illa mollita mandendo comminuunt, deinde ſingula manu ab ore excipientes in aliud vas igni impoſitum deiiciunt, vt ibi rurſus ferueat: baculo autē continuo agitant, donec ſatis ferbuiſſe iudicent: tum ſecundo à flammis ablatum in alia vaſa figulina, quorum ſingula cadum minorem Burgundiū æquant, minime colatum reponunt: vbi vero rurſus ferbuerit, deſpumatumque fuerit, vaſa illa operiunt, quoad, eo quo dicemus modo, ebibant. Vaſa porro illa, de quibus vltimo loco dixi, figuram earum cuparum imitantur, quibus ad lixiuium paſſim vtuntur Borbonii, & Auerni, ore tamen aliquanto anguſtiore. *Braſil. fœminæ potum conficiunt.*

Eædem quoque Braſilienſes fœminæ feruefacientes, ac ore ſimul mandentes milium illud, quod *Auati* nominant, potum eadem prorſus ratione conficiunt cum ſuperiori. Nominatim vero fœminas eam artem exercere repeto. Nam quamuis diſtinctionem inter virgines & mulieres, quæ propterea nō abſtinent à virorum conſortio (vt male Theuetus ſcripſit) in ea re non viderim: nihilominus hoc ſibi firmiter perſuadent Barbari, potionem nullius ſaporis futuram, ſi radices aut milium ipſi mandant. Deinde tam hoc indignum arbitrantur, quam ineptum eſt quod à ruſticis Seguſianis factitatur, qui & nent, & colum geſtant. Hanc potionem Barbari vocant *Caou-in*, quæ ſubturbida & ſpiſſa eſt, ac fere lactis ſaporem imitatur: rubeam etiam habent, & albam, vt & nos vinum. *Potus ex milio.* *Sing. Amer. cap. 24.*

Quoniam autem radices iſtæ, ac milium quolibet tempore in eorum regione proueniunt, ideo quotieſcunq; viſum eſt, potum eiuſmodi conficiunt tanta copia, vt ſemel pluſquam triginta cados ſexagenum ſextariorū Pariſienſium in ipſorum ædibus diſpoſitos viderim: vbi pleni opertiq; remanent, donec illi ad compotādum conueniant. Priuſquam vero quæ ſit compotādi ratio referam, exclamādo præfari liceat: Procul eſtote Germani, Flandri, Heluetii, omneſq; adeo qui ſtrenue potando palmam petitis. Vos enim audito Barbarorū potandi modo ſpōte illis ceſſuros eſſe video. *Americani potatores eximii.*

Ergo cum potationem aggrediuntur, præſertim cum captiuum mactāt, adhibitis ſolennibus ceremoniis (de quibus poſtea) fœminæ lentum ignem circa vaſa accendunt, vt potus ille tepeſcat. tepido enim delectantur, cōtrario prorſus à noſtro more, qui vinum frigidiſſimum expetimus. Id vbi factum eſt, primum aperiunt cadum, & poculorum loco cucurbitæ amplæ altera parte, quæ tres Pariſienſes ſextarios capiat, hauriunt. Tum viri ſaltando ad illas accedunt, plenoſque cyathos ab ipſarum manibus *Caou-in antequam bibant calefaciunt.*

accipiunt, illæque identidem bibunt, & vno hauſtu plena pocula abſorbent. Hauſtus vero tantiſper repetũt, dum in cadis omnibus vel vna *Caouin* gutta reſtat. Ego quidẽ ipſos tres dies & noctes continue bibentes conſpexi: quin etiam cum vſque adeo eſſent expleti, potuque oppreſſi, vt oneri ferendo impares eſſent, operi ſeſe denuo applicabant, quia incœpti certaminis defectio ignauiam argueret.

Tououpinambaultii inter edendum non bibunt. Illud quoq; eſt obſeruandum, Tououpinambaultios inter bibendũ nihil edere, atq; inter comedendum omnino nõ bibere: quo fiebat, vt noſtrum viuendi morem valde mirarentur, cum nos alternatim bibere ac edere conſpicerẽt. Ac ſi quis eos hac in re cum equis comparet, faceti cuiuſdam reſponſum afferam, qui dicere ſolebat diſcrimen in eo eſſe, quod Barbari aquatum minime eſſent deducendi, quodq; periculum non eſſet, ne poſtilenas abrumpere cogerentur. Et quamuis ad cibum ſumendum horam ſtatutam non habeant, ſed ad libitum vrgente fame, vel de media nocte comedant, neq; vllum in bibendo modũ ſeruent, in cibo tamen maxime ſunt ſobrii, nonnulli os manuſq; ante, ac poſt paſtum abluũt. *Barbari quotieſ ſuriunt edunt.* quod ad os ſpectat, id fieri puto, quod alioqui viſcoſo humore impeditum illis eſſet futurum, propter eas farinas, quibus panis loco, vti diximus, vtuntur. Mirum illi ſilentium tempore cibi obſeruant, ita vt in aliud tempus referant ea, de quibus colloquuturi ſunt. Nos autẽ cum violato ipſorum inſtituto, vt in Gallia vſu venit, inter prandendum ſermones miſceremus, ab illis irridebamur.

Itaque tantiſper dum hæc celebratur compotatio, Americani hilares canunt, ſaltant, choreas agitant: quin etiam ſe mutuo hortantur, vt in bello ſint ſtrenui, & quamplurimos hoſtes capiant: deinde inſtar gruum ordine diſpoſiti ſaltant per domum, in quam conuenerant, curſitant, donec cados penitus exhauſerint.

Ebrietatis Barbarorum argumentum. At certe quod ebrietatis palmam referãt, nõ infirmum hoc eſt argumentum, quod nonnulli in iſtis ſympoſiis 4. Caouini ſextarios exhauriãt: ſed tum maxime, quum plumis inſtructi (vt antea diximus) captiuum aliquem mactant, & deuorant: tunc enim Ethnicorum more Bacchanalia ſua celebrant. Parcius quidem vicini inter ſe in pendulis illis lectis è goſſypio contextis ſedentes compotant: ſed cum ſinguli alicuius pagi incolæ conueniant ſæpius ad compotationes immodicas, nunquam ad cibos, hoc fit vt raro mediocres illæ & modeſtæ compotationes locum habeãt.

Nuſquam vero ad compotationes ſeu mediocres, ſeu immenſas accedunt, quin (vt antea diximus) ad expellendas ſolicitudines ad choreas conueniant. Sed præterea peculiare hoc eſt iunioribus nondum coniugatis, vt pennarum faſciculis tergo annexis, & *Maraca* manibus admoto, nec non aridis illis fructibus traiectis filo, tibiiſq; aptatis ſtrepitum edentibus (vt antea dictum eſt) totam noctem huc & illud circumcurſent oſtiatim ſaltantes: ita vt iis viſis & auditis ſæpius in mentem veniret eorum inſania, qui in quibuſdam Galliæ locis vernacule Famuli dicuntur. Solent iſti tempore conſtituto ſanctis & patronis vniuſcuiuſque parœciæ ſumma

cum

cum pompa ſtultorum amictu incedere, tibiis multis tintinnabulis reſonantibus, atq; adeo per ædes & plateas choreas agitantes, ac maxime Pyrrhicham illam ſaltationem, huc & illuc diuagari.

Hîc vero quiddam notatu dignum ſuccurrit, in omnibus Barbarorum choreis, ſiue alii alios conſectentur, ſiue in circulum diſponantur, vt pluribus alibi dicturi ſumus, nuſquam tamen mulieres aut puellas viris interſeri: quin potius ſeorſim ſaltare ſolitas.

Mulieres filiæque à Barbarorum choreis ſeiunctæ.

Priuſquam vero narrationem inſtitutam de compotationibus noſtrorum Americ. concludamus, facetam admodum hiſtoriam, tragicam tamen recitare placet, vt à nemine ignoretur, quam large eſſent vinum hauſturi, ſi copia illis ſuppeteret. Quidam *Mouſſacat*, id eſt, paterfamilias mihi narrauit.

Contigit nobis non ita pridem (inquit vernacula lingua) vt dromadem *Peros* (ſic illi Luſitanos, cum quibus inimicitias gerunt, nuncupant) opprimeremus, mactatis & deuoratis, quos in ea nacti ſumus hominibus, cum merces eorum à nobis expilarentur, prægrandes offendimus *Caramemos* ligneos (quo nomine dolia, & reliqua vaſa ſignificant) potione quadam oppletos: quibus ab altera parte apertis ecquid rei ineſſet periculum facere placuit. Ego vero (inquiebat vetulus ille) quodnam eſſet genus illud ignoro, nec ſatis ſcio, an etiam apud vos tale exſtet. Hoc tamen ſcio, nos vbi ad ſatietatem potauimus, totos tres dies adeo ſopitos fuiſſe, vt ęgre excitati tertio die fuerimus. Plena nimirũ fuiſſe vaſa illa conicio generoſo Hiſpanico vino, quo imprudentes Barbari Bacchi feſtum celebrarint. Mirum proinde non eſt vini illius vaporibus correptos, confeſtim ſopitos fuiſſe, prout ab illo vetulo referebatur.

Faceta Braſilienſis Mouſſacat de vino narratio.

Nos vero commanducatum illum fœminarum in ſuo *Caou-in* conficiendo, initio abhorrebamus. quem vt vitaremus, radices aliquot *Aypi* & *Maniot* cum quadam milii copia contuſas ferueſecimus, gratiorem potum confecturos nos eſſe opinantes: ſed experientia edocti ſumus rationem hanc non ſuccedere. Quo factum eſt, vt paulatim Barbarico *Caou-in* aſſueuerimus: attamen illius vſus nobis non fuit perpetuus. Nam ſacchari cannis, quarum copia nobis ſuppetebat, in aqua refrigerata, ob perpetuum regionum illarum ęſtum, per aliquot dies madefactis, potum parabamus gratiſſimi ſaporis. Frigidam quoq; nonnunquam bibebamus. Illic enim fontes ſunt limpidiſſimi, flumina quoq; aquæ dulcis, ob aeris temperiem ita probatæ & ſalubris, vt nemini quantumuis large pota periculum crearet. Hîc mihi ſuccurrit, aquam dulcem à Barbaris *vhete*, ſalſam vero *vheen* appellari. In qua dictione efferenda præ cæteris laborabamus: ab illis enim imo gutture pronuntiatur, quomodo ſuas gutturales Hebræi ſolent efferre. Denique quia non dubito, quin ea quæ de radicibus & milio fœminarum dentibus attritis ad *Caou-in* parandum diximus, ſtomachũ multis ad nauſeam vſq; mouerint, quo faſtidium illud abſtergant, peto ab illis, vt rationem qua muſtum apud nos exprimitur animo repetat. Enimuero ſi vinitores, vindemiarũ tempore, in iis præſertim locis quæ vina ge-

Aqua Braſilienſiũ optima.

Caou-in cum vino collatio.

neroſiſſima gignunt, nudis pedibus, nõnunquam calceis indutis labra vinaria ingredi vuaſq; calcare, inq; ipſis torcularibus immundiſſime tractare meminerint, multa comperient nõ mundiora illo radicum commanducatu. Si vero quis inſtet, feruendo ac deſpumando vinum purgari, reſpondeo *Caou-in* quoque eadem penitus ratione ſordes omnes abiicere, ac proinde parem vtriuſque eſſe hac in parte rationem.

Cap. IX.

De feris, prægrandibus lacertis, ſerpentibus, aliiſque Americæ monſtroſis animantibus.

Animalia in America naſcũtur à noſtris prorſus diſsimilia.

PRIVS QVAM vlterius progrediar, ſtatim ab initio huiuſce capitis lectorem breuiter admonere viſum eſt, nullas è quadrúpedum genere animantes, figura noſtratibus omnino ſimiles in toto Braſilienſi orbe reperiri, neque ſolere *Toüoupinambaultios* ex iſtis aliquas niſi perquam raro cicuratas domi educare. Vt autem generatim deſcribam animantes feras, quæ à Barbaris *Soo* appellantur, ab iis quæ vſui humano accommodatæ ſunt facere initium decreui. Primo illa videtur loco eſſe ponenda, quæ & vulgaris eſt maxime: hanc *Tapiroüſſou* appellant, pilo ſubrubeſcenti atque promiſſo, vaccam magnitudine ac forma valde referẽtem. Attamen quum cornibus careat, ſitque contractiore collo, auriculis longioribus & pendulis, ſiccioribuſque tibiis atq; gracilioribus, vngula continua & aſini vngulæ perſimili, merito quis eam vaccæ aſinique naturæ participem eſſe diceret. differt nihilominus ab vtroque plurimum, quod & breuiſſimam gerat caudam (obiterque hic monendus eſt Lector, permulta in America gigni animantia, quæ omnino ſine cauda ſint) & dentes habeat multo acutiores, nec hominibus propterea quidquam periculi ab ea poteſt creari, quum in fuga potius, quam in viribus ſalutem ponere conſueuerit. Eam Barbari ſagittis confixam, vt & alias pleraſque interficiunt, aut foſſa excauata, decipuliſve aliuſmodi ingenioſe fabrefactis venari ſolent.

Tapiroußou fera quæ aſinum & vaccam refert.

Parmæ ex corio Tapirouſſou.

Ceterum fera illa magno eſt in pretio apud Barbaros, pellis gratia quã ſimulatq; illi detraxerint, dorſi corium in orbem circumcidẽtes, ad ſolem exſiccant, in parmaſque fundi mediocris cadi magnitudine conformant, quibus in bello hoſtium excepta repellũt. Tantam vero duritiem pellis ad ſolem ſiccata contrahit, vt nullius ictu teli quãtumuis magno impetu vibrati tranſigi poſſe, facile credam. In Galliã duas eiuſmodi parmas ſtudioſe afferebam: redeuntibus vero fames ita moleſta fuit, vt omni commeatu abſumpto, ne Cercopithecis quidem & Pſittacis, eiuſdemque generis animantibus exceptis, quæ ex regione illa nobiſcũ aduehebamus, parmæ illæ duæ, carbonibus impoſitæ, fuerint etiã ad depellẽdam famem comedendæ: quibus reliquæ pelles, quæ, vt ſuo dicã loco, in naui erant, additæ ſunt.

Tapiroüſſou carniũ ſapor.

Porro *Tapiroüſſou* caro ad bubulæ guſtum fere accedit. Hanc ſuo Barbari more coquunt, *Boucanare* patria lingua appellant. At quoniam vocabulum

bulum illud iam vſurpaui,& poſtea ſæpius repetendum erit,ne diutius lector hæreat,oblata occaſione, quid hoc rei ſit exponam.

Americani defixis in terra ligneis quatuor furcis craſſitudine brachii, trium pedum interuallo, quadrata figura, æquali vero trium fere pedum



altitudine, baculos in tranſuerſum duobus à ſe inuicem diſtantes digitis ſuperimponunt,itaq; ligneam cratem comparant:hanc ſua lingua *Boucan* nominant. In ędibus permultas huiuſcemodi crates habēt,quibus carnes in fruſta cōciſas imponūt,& lento igne ſiccis è lignis excitato, vt fere nullus exiſtat fumus, quādiu fert voluntas coqui hunc in modum patiuntur ſingulis dimidiæ horæ quadrātibus inuerſas.Et quoniam ſale cibos minime condiunt, quemadmodū hîc mos eſt, vno tantum coquēdi remedio vtuntur ad eorum conſeruationem: itaq; etiamſi 30. vno die feras quales hoc capite deſcribemus, eſſent venati, omnes fruſtatim conciſas illis cratibus ingererent, quam citiſſime fieri poſſet, ne corrumperentur: ibi ſæpius circumactæ aliquando plus quatuor & viginti horis torrētur,donec

Boucan & Barbarorum culina.

Conſeruandorum ciborum apud Americ. ratio.

Farina è piſcibus. pars interior carnium æque cocta ſit atq; exterior, eaq; ratione omnes ſint à corruptione tutæ. Nec in piſcibus apparandis & conſeruandis alia eſt ratio quos quum nacti ſunt, magna copia ad farinā conficiendam exſiccāt, eos præſertim quos patria ipſi lingua *Piraparati* vocant, qui germaniſſimi ſunt muli, de quibus dabitur alias dicendi locus. Iſtæ autē crates apud Barbaros carnaria & promptuaria merito habenda ſunt: ideoq; vix eorū pagos adire licet, quin ferarum piſciumq; carnibus onuſta conſpiciantur: ſæpius etiā vſu venire ſolet, vt poſtea dicemus, ſi adeas Barbaros, vt iſtiuſmodi crates humana carne refertas, quā ſcilicet de victis hoſtibus interficiendis & comedendis, vt opima ſpolia reportant, intueare. Hactenus de Americana *Boucanatione* dictum ſit, cui cum Barbaris placet elixæ carnes ſuccedunt, quod cum bona Theueti venia ſcribam, qui hoc negare auſus eſt.

Humanæ carnes Boucan impoſitæ.

V t autem inceptam ferarum deſcriptionem perſequar, ſecundæ magnitudinis partes deferendæ videntur cuidam ceruorum generi, quod illi *Seouaſſous* nominant, ſed cum hoc differunt à noſtris, quod multo ſint humiliores quodque minora geſtent cornua, tum etiam illo, quod æque pilos demittant, atque noſtrates capræ. Aper autem Americanus, quem illi *Taiaſſou* vocāt, corporis mole, auriculis, capite, pedibus, atque iis quæ apud nos gignuntur, forma valde ſimilis eſt, dentibus etiam & prolixis & acutis, vehementer damnoſus: tamen cum macilentior exiſtat & gracilior, frendeatque terribiliter, illa quoque deformitate inſignis eſt. Habet à natura foramen in dorſo, quemadmodum in capite ſuem marinum habere dixi, quo ſpiritum emittit admittitque. Ne quis vero iſtud prodigioſum exiſtimet, Autor Gener. Indic. Hiſt. memoriæ prodidit apud Nicaraguenſes, qui non multum à noua Hiſpania diſtant, ſues naſci quibus vmbilicus in dorſo eſt: qui procul dubio, ad idē genus cum iis de quibus hic trado, reuocandi ſunt. Cæterum *Tapirouſſou* & *Seouaſſou* & *Taiaſſou* reliquas Braſilienſis oræ feras magnitudine ſuperant.

Seouaſſou genus ceruorum. Taiaſſou *aper.* *Sues quibus foramen eſt in dorſo.* *Lib.5.c.204.* *Maxima Americæ animalia.*

Eſt quoque apud Americanos fera quædam rufa quam *Agouti* nominant, nefrendis triginta dierum nati altitudine, pede bifido, breuiſſima cauda, roſtro & auriculis fere leporinis, palato gratiſſima. Sunt & aliæ duorum aut trium generum quas *Tapitis* appellant, noſtratibus non abſimiles leporibus, ſubrubeſcenti autem pilo.

Agouti *nefrendis ceruus.* Tapitis *leporis genus.*

Mures ſubrufi. In ſyluis quoque magnas venantur ſorices, ſciurorum pilo & magnitudine, quæ ad cuniculorum delicias accedunt.

Pag animal maculis diſtinctum. *Pag* aut *pague* (quonam enim modo id pronuntient, vix ac ne vix quidem intelligas) fera eſt altitudine mediocri venatici canis, capite deformi, carne ad vitulinæ guſtum accedente, pelle pulcherrima, & maculis albis, leucopæis, nigriſq; diſtincta, vt maximi apud nos pretii futura eſſet, ſi modo nanciſcerentur.

Sarigoy *fœtidum animal.* Alia etiam inuenitur, quam *Sarigoy* appellant, quæ ob fœtorem à Barbaris non comeditur. Nos autem quibuſdam excoriatis, & detracta renum pinguedine, vnde fœtor ille manabat, ſine faſtidio edimus: cane enim cum tenera, tum optima eſt.

Eſt

Eſt etiam illa quam *Tatou* vocant. Hæc non adeo curſu valet, verun- *Tatou armata ſquamis.* tamen (vt apud nos erinacei) per dumeta reptans, duriſſimis eſt armata ſquamis ita vt gladio tranſuerberari nequeat, pellem etiam illi detractam, ex qua Barbari permultas compingūt ciſtas, Caramenos ipſis nominatas, ſi complicaueris, digitalia eſſe militaria diceres. Carne candida eſt, optimique ſaporis. Quod autē ad figuram attinet, tantæ proceritatis nullam videre licuit, quantam expreſſit Belouius ſuarum obſeruationum extremo lib. 3. vbi tamen Braſilienſem *Tatou* nominatum deſignat.

His etiam animalibus, quæ apud Americanos frequentiſſima ſunt, *Iacare Crocodili.* adduntur Crocodili *Iacare* dicti, inſtar humanę coxæ, longitudine iuſta. At tātum abeſt vt noceāt, vt plenæ iſtis Iacaris Barbarorum ſint domus, puerique ſine vllo periculo cum iis luſitent. Nihilominus audiebam ſenes commemorantes, dum peregrinarentur, ſe à neſcio quo Iacarum genere peti, à quo ſe magna difficultate ſagittis tuerentur. Illud cum appropinquare homines perſentiſceret, ex arundinibus erumpere dicebant, & impetum in obuium quemque facere.

Cæterum vt illa omittam quæ Plinius & alii de Crocodilis, qui in Ni- *Lib. 5. c. 196.* lo degunt, memoriæ prodidere, vniuerſalis Ind. Hiſt. ſcriptor illis in regio- *Crocodili portentoſæ magnitudinis.* nibus infeſtos fuiſſe Crocodilos, ad vrbem Panama refert, qui plus centum pedes in longitudinem patebant: quod mihi quidem mirabile & portentoſum videtur, tantum abeſt vt affirmem. Eis autem Crocodilis, quos mihi videre contigit, os erat valde patulum, alta crura, cauda vero non rotunda, nec acuta, ſed ad extremum tenuiſſima. Vtrum autem, vt quidam ſcripſere, ſuperiorem mandibulam moueant, ingenue fateor me non obſeruaſſe. Venantur inſuper Americani lacertas, *Touous* illi appellant, *Toûo lacertæ.* non virides, verum leucopæas & pelle variegata, vt noſtrates paruæ lacertæ. Et quamuis longæ ſint quatuor aut quinque pedes, iuſta craſſitudine, ideoque forma terribili, nihilominus in ranarum morem flumina paludeſque incolunt, nemini noxiæ. Addam, pelle illis detracta exenteratæ ſi coquantur ſumme delicatas eſſe, nihil vt in America guſtauerim ſuauius. Carne enim ſunt, vt apud nos capones alba, delicata, tenera, ſuaui, vt nihil *Maximè in America edules lacertæ.* ſupra. Initio tamen ab iſtarum guſtu abhorrebam, poſtea vero quam primum attigi, quod ad cibos attinet, ferebant apud me primas lacertæ.

Bufones quoq; permagnos habent Tououpinambaultii, quibus mi- *Edules in America bufones.* nime exenteratis, toſtis veſcuntur. Quum vero & medici doceant & vulgo etiam notum ſit & perſpectum, carnem, atq; ſaniem, & quicquid adeo bufonis eſt, lethale eſſe, facile quilibet me tacente propter illius regionis temperiem, aliave de cauſa, quæ me lateat, vſu venire vt illic bufones, vt ſunt apud nos, minime ſint venenati atque periculoſi.

Comedunt etiam ſerpentes craſſitudine brachii, quinque fere pedum *Americani permagnos ſerpentes comedere ſolent.* longitudine, quin etiam animaduerti Barbaros, vt de Crocodilis commemoraui, genus quoddam ex nigro & rubeo diſcolor, domū afferre, interq; vxores & liberos proiicere ita ſecuros, vt manibus contrectarent. Has immanes anguillas terreſtres, fruſtatim conſcindunt apparantque. Inſipidæ tamen ſunt & perquam exigui ſaporis.

Diuerſi etiam generis ſerpentes apud eos gignuntur,& in fluuiis præſertim,vbi olerum inſtar virides apparent: longi atq; graciles,quorũ ictus maxime noxius eſt.nec non in ſiluis exiſtunt lacertæ,prȩter eas,de quibus ſupra mentionem fecimus valde periculoſæ, vt ex narratione quam ſubiiciam patebit. Itaq; quum aliquando duobus Gallis comitantibus iter facerem viſendæ regionis gratia, neq; vt mos erat, viæ duces Barbaros haberemus, ideoq; oberraremus in ſyluis, vallemq; profundam pedibus metiremur,audito ſtrepitu venientis animalis ad nos cuiuſdam,imbellem eſſe feram opinati, non ſecus iter incœptum perſequentes ſecuro eramus animo. Statim vero ad dextram triginta fere paſſuum interuallo, in colle lacertum conſpicimus: corpore humano craſſiorem quinum aut ſenum pedum.Ille in modum Oſtrei ſquamis albicantibus & aſperis totus,altero pede anteriori erecto,capite ſublimi,collucentibus oculis nos intueri cœpit. Quare attoniti (nemo enim forte noſtrum ſclopetum tum ferebat, gladiis tantum eramus accincti,arcuſq; nobis ſuppetebant & ſagittæ,quæ tela illi monſtro tam duris armato ſquamis nocere non admodum poterant,nihilominus veriti,ne ſi fuga nobis conſulere vellemus,celeritate ſuperius nos vna conficeret) alter alterum trepide quum intueretur, eodem in loco ſtetimus. At poſtquam ille prodigioſus & formidabilis lacertus, ore aperto,& ꝗ ȩſtus magnus eſſet(ſudũ enim erat meridiano fere tẽpore) alte anhelans,vt facile exaudiremus, per quadrãtem horæ nos eſſet intuitus,de repente montis verticem petiuit,tanto fragore virgultorum, atque ramorum,quantum ceruus ſyluam curſu pererrans vix ederet. Itaq; nos, qui tum valde timueramus de illo inſequendo non admodum ſolliciti, Deo liberatori gratias egimus, & inſtitutum iter denuo ſumus aggreſſi. Mihi autem eorum opinionem recolenti, qui affirmant lacertum aſpectu hominis delectari, viſum eſt illi monſtro tantum placuiſſe intuitum noſtrum,quam eius angebamur præſentia. Nec nõ apud eos fera gignitur è præda victum quærens,quam appellant *Ian-ouare*.Ea fere tibiarum altitudine & velocitate canem æquat venaticum, circa mentum vero pilo eſt promiſſo, pelle variegata, pulcraq; inſtar lyncis, ac in reliquis vehementer illi ſimilis. Barbari non immerito feram illam valde reformidant. Nam cum prædæ ſit aſſueta, quemadmodum & leo, ſi quem eorum aſſequitur,in fruſta conciſum deuorat. Illi vero vt ſunt vindictæ appetentes, nec quid eorum,quæ moleſta ſunt,inultum eſſe patiuntur,ſi quam excauatis ea de cauſa foueis alioue decipulorum genere intercipiant, ſagittis confixam pluribus, quo diutius langueat, lente interficiunt: vtque facilius pateat,quam male fera illa cum Barbaris agat, cum aliquando in quinq; aut ſex Gallorum decomitatu, hac tranſirent, monebant Americani, vt nobis à *Ian-ouare* caueremus,quod illa ipſa hebdomade tres crudeliter mortales in quodam eorum pago abſumpſiſſet.

Auctoris de prodigioſa lacerta commemoratio.

Ian-ouare fera hominibus infeſta.

Addendum vero huic additioni Latinæ exiſtimaui, Americanos ante Villagagnonis expeditionem canes nunquam vidiſſe:ideoq; cum permagnum ex venaticorum genere canem intuerẽtur, quem cum aliquot par-

Canes primũ ab Americanis conſpecti.

uis eo aduexeramus; nobiſq; ille applauderet, propterea quod vt antea cōmemoraui, ad *Ian-ouare* formam accedit, obſtupeſcebant, ab illoq; refugiebant. Ea de cauſa etiam Gomara in generali ſua Indiarum hiſtoria teſtatur, *Cap.44.* anno 1509. cum Chriſtophorus Columbus primū ad inſulam *Boriquen* appulit, quæ & S. Ioannis nomine inſignitur, huiuſce regionis Indos, qui cū Hiſpanis bellum gerebant, vehemēter canem ſubrubidum timuiſſe, qui etiam duorum fere baliſtariorum ſtipēdium merebat: propterea quod nō modo in Barbaros ferociter impetum faciebat, verùm etiam ſocios ab hoſtibus diſcernēs, quātumuis prouocatus minimè illis erat moleſtus, quin etiam Caribas recognoſcens (peſſima & maximè deteſtanda illarū omniū regionum natio) fugientes perſequebatur in mediā vſq; hoſtiū aciem, qui etiam tātum excitatus, nulla quiete fruebatur, quouſq; arreptum hoſtem dilaniaſſet: pro Hiſpanis tam dextre prœliabatur, vt illo comitati tā alacriter aduerſus Indos pugnarēt, quam ſi tres in ſuo numero habuiſſent equites. hic tamē canis dum neſcio quē Caribam nando perſequitur, venenata ſagitta ictus oppetiit, dominumq; triſtē admodū reddidit, lætanteſque Indos. Sic & Valboa Hiſpanorū centurio fortiſſimus, cum primū Auſtralē *Cap.62.* patefecit Oceanum, emiſſis quos habebat canibus in Indos, qui aditu illū arcebant, Barbari tanto timore ſunt perculſi, vt fuga ſibi conſulere cogerētur, Valboæque canes tam profuerint, quā milites omniū præſtantiſſimi. Inſuper multi reperiuntur in Braſilienſium ora Cercopitheci, paruuli atq; nigri, quos illi *Cay* vocāt, quibus deſcribēdis ſuperſedebo, propterea quod *Cay Cercopitheci.* nobis ſunt notiſſimi. Vnum hoc tantum dicam, quū aſſidue verſentur in *Cercopithecorum in paruulis è periculo eripiendis induſtria.* cacuminibus arborum fructum in ſiliquis noſtratium fabarum inſtar geſtantiū, quo aluntur, atq; turmatim iſthic conueniāt, imbribus præſertim cadentibus, iucundum eſt illos audire clamitantes, & ſtrepitum facientes. Ceterum cum vno tantum partu, vnicum edat fœtum, Cercopithecus ſimul atque editus eſt in lucē, ea naturali præditus eſt induſtria, vt à collo patris matriſve firmiſſime pendeat: itaq; ſi venatores ingruāt, parentibus pēr ramos deſiliētibus vna etiam fuga abripitur: ꝙ certe incredibile videri nō debet, cum Matthiolus Commentariis in Dioſcoridem editis, Plinio atq; Ariſtotele auctoribus affirmet, tam amantes prolis eſſe muſtelas, vt tenerā adhuc ore comprehēſam, huc & illuc circūgeſtent. Quin etiam animantibus eſt omnibus illud à natura tributum, vt non modo conſeruādę prolis ſtudio teneantur, ſed etiam ad id efficiendum ſagacitate mira ſint præditę. Qua de cauſa non facile Barbari Cercopithecos quacunque ſunt ętate, ve- *Modus capiendorum Cercopithecorum.* nari poſſunt: ſagittis tamen vulneratos deiiciunt de arboribus, ac deinde ſanatos, & aliquantiſper domi cicuratos cum mercibus commutant. Verum initio adeo ſunt feri, vt attrectantium digitos dentibus conuulnerent, adeo vt morſi dolore cogantur illos ſæpiſſime ictibus conficere.

Eſt quoq; apud Americanos alterius generis Cercopithecus, quē ipſi *Sagouin* nominant, craſſitudine Sciuri, eodemque pilo rufo: quod vero ad *Sagouin pulchrum animalculum.* formam attinet, roſtro, pectore, collo, reliquiſque fere partibus leōni perſimilis, audax etiam, nulli paruulorū animalium pulchritudine cedit, quæ

quidem illic viderim. Et ſi tam facile mare trāſmitteretur quā cetera, multo maioris eſſet pretii. Sed cum tam infirmo ſit corpuſculo, vt vacillātem nauem ferre nō poſſit, ea etiam eſt ſuperbia, vt vel minimum offenſus, tædio vitam cum morte commutet. Hic tamē quidam reperiuntur, mihiq; ſit veriſimile eam eſſe beſtiolam, de qua Marotus ſuum induxit loquentē ſeruulum, cuidam Zoilo, cum nomen erat Sago: alludens enim Cercopitheci nomen eſſe, dicit Sagonem. Vt autē fatear ingenue quod res eſt, quāuis fuerim curioſus, me omnibus animantibus Americanis obſeruandis non ita fuiſſe diligētem, quā optarem, nihilominus, vt ſemel finem faciā, duo adhuc deſcribam genera, quę figura ſunt prodigioſa vt quæ maxime.

Hay deforme animal.

Vnum quod Barbari *Hay* vocant, magnitudine canis eſt, facie Cercopitheci, ventre pendulo, quemadmodum Scrofæ parturientis, pilo leucopeato valde diluto, breuiſſima cauda, pedibus in morem Vrſi villoſis, prolixis vnguibus: vt autem dum in ſiluis agit valde ſit ferum; captum nihilominus cicuratur facillime. Nudi autem Tououpinambaultii non libenter cum illo colludunt, propterea quod tum longos habeat vngues, tum acutos. Ceterum (quæ res fortaſſe videbitur incredibilis) audiui & à Barbaris, & à quibuſdam interpretibus, qui diu in America ſunt commorati, neminem vnquam vidiſſe tum in ſiluis tum domi animal illud cibo frui, vt quidam aura illud viuere opinentur.

Coaty roſtro prodigioſe largo.

Alterum, de quo etiam mihi dicendum eſt, à Barbaris *Coaty* appellatū altitudine leporis eſt, breui pilo & maculoſo, auriculis paruulis erectis & acutis, capite cum paruo, tū ab oculis eminente roſtro, plus pede vno longo, ſcipionis inſtar tereti, ſubito ad extremū decreſcēte, ita vt æqualis vbiq; ſit craſſitudinis, ore ita anguſto, vt vix auricularem digitum recipiat. nullū prodigioſius inueniri poteſt: deinde cum hæc eſt capta fera, collectis quatuor pedibus, aut in alterutrū vergit latus, aut concidit, neq; vnquā erigi, neq; cogi poteſt vt veſcatur, niſi præbeantur formicæ, vnde etiam in ſiluis ſibi victum parat. Octauo fere die, quo ad Villagagnonem venimus, Barbari eius generis feram ad nos attulerunt, quæ ob nouitatem omnes magna impleuit admiratione. Nam, vt commemoraui, cum, ſi cum noſtratibus conferatur ſit valde prodigioſa, ſępe à quodam ex noſtris familiaribus excellenti pictore ſummopere contēdi, vt tum illam, tum pleraſq; ceteras, non tantum admirabiles, verumetiam nobis incognitas, penicillo repræſentare vellet, quod maximo dolore meo nunquam ab illo impetraui.

Cap. X.

De varietate Americanarum auium. De veſpertilionibus, apibus, muſcis, aliiſque regionis illius inſectis.

Oura aues.

Arignau-ouſou ſeu gallinæ Indicæ.

Hoc etiam caput, quo de auibus agam, ab iis ordiri placuit, quæ victui humano ſunt accommodatę, generaliq; vocabulo à Tououpinambaultiis *Oura* nominantur: maximam illi habent earum copiam gallinarum, quibus ab India cognomen addimus, eaſq; *Arignau-ouſou* appellant: nec non ab eo tempore, quo Luſitani apud Barbaros agunt,

agunt, gallinas etiam noſtrates alere ſolent, ipſis *Arignau-miri* dictas. Quamuis autem, vt alias commemoraui, candidas plurimi faciant, vt plumis auulſis, rubroque infectis exornent ſe atque veſtiant, ab vtroque tamen genere plerumque abſtinent, quod ad veſcendum attinet. Adhæc quum ſibi perſuadeant oua, quæ *Arignan-ropia* nominant, eſſe inſtar veneni, non modo ſtupeſcebāt, ſi oua coram illis ſorberemus, verum etiam nos increpantes addebant, non ferendum eſſe, dum pullationem anteuerteremus, nos gallinam in ouo comedere. Itaque de ſuis gallinis æque fere ſunt ſolliciti, atque de auibus, quæ vitam in ſiluis agunt. Illas vbicunque fert impetus ponere patiuntur. At gallinæ viciſſim, pullos è dumis & vepribus domum deducunt, ita vt ea moleſtia careant Americanæ mulieres, qua noſtrates, in pullis Indicis educandis, quibus etiam ouorum præbent vitellos, fatigantur. Ac tanta fit apud eos pullatio, vt iis in pagis, qui minus ſæpe ab extraneis inuiſuntur, gallina Indica cultello veneat, qui quidem apud nos vix ſeſtertio nummo æſtimaretur: altero autem duorum obulûm quinque aut ſex gallinæ noſtrates conſtent.

Arignau-miri gallinæ noſtrates.

Arignan-ropia ouum.

Gallinarum magna copia in America.

Vna cum gallinis Barbari alunt etiam domi anates Indicas, *Vpec* ipſi nominant. Quoniam vero ea imbuti ſunt ſuperſtitione Tououpinambaultii, fore vt ſi animali tam tardo veſcerentur, eandem tarditatem contraherent, ita vt ſi hoſtes imminerent, fuga ſibi ſalutem quærere non poſſent, vt vel tantillum de iis deguſtent, non facile quiſquam perſuaſerit, eaque de cauſa ſibi temperant ab omnibus eis animantibus, quæ tarde incedunt, piſcibus etiam, vt raiis aliiſque, qui non celeriter nare poſſunt. Quod ad illas aues attinet, quæ degunt in ſiluis, magnæ caponum inſtar, capiuntur illæq; trium generum, quas Barbari *Iacoutin, Iacoupen* & *Iacou-uaſſou* appellant. Pluma eſt omnibus nigra & leucopeata, guſtu ad phaſianos accedunt, vereque poſſum affirmare, nihil *Iacous* illis edi vnquam ſuauius.

Vpec Anates Indicæ.

Iacou, phaſianorum genus.

Præterea duo ſunt genera exquiſitiſſimarum auium, quibus nomen eſt *Mouton*, Pauonum magnitudine, iiſdem plumis quibus ſuperiores, raroque admodum inueniuntur.

Mouton auis rara.

Macacoua & *Ynambou-ouaſſou*, duo ſunt genera perdicum, anſerum noſtratium magnitudine nō abſimili, quo *Mouton* guſtu. Idem eſt, fere trium ſequētium ſapor *Inambour-miri*, perdicum altitudine: *Pegaſſou*, palumbi, *Paicacu*, turturis.

Magnarum perdicum genus.


Vt autem breuiter de auibus, quæ magna copia reperiuntur, tum in ſiluis, fluminibus, tum etiam in littoribus, finiam, ad eas veniam quę non ita ſunt ad victum accommodatæ. Inter cæteras duo ſunt genera eadem magnitudine, ad corui craſſitudinē accedentia: quæ vt reliquæ aues Americanæ roſtro ſunt atque vnguibus incuruis, quemadmodum & pſittaci, quorum in numero cenſeri poſſent. Quod vero ad plumam attinet, vt facile eſt iudicatu, vix crediderim in toto terrarum orbe aues inueniri tam excellenti pulchritudine, in quibus contemplandis abunde non naturam vt profani, ſed creatorem laudandi ſuppetit materia: vtque res pateat, prima, cui nomen apud Barbaros eſt *Arat*, plumis caudæ, atq; alarum ſeſqui-

Arat, auis excellenti pluma.

pede porrectis,partim purpuræ inſtar rubeis,partim cęruleo colore,vehementer ſplendēti,cui & reliquę partes corporis reſpondēt.cum in ſole agit hæc auis,vbi plurimum verſatur,nemo vnquã illius aſpectu ſatiari poteſt.

Canide,pluma cærulea.

Altera *Canide* dicta plumis inferioribus, quæq; collum circumagunt auri colore micantibus, quæ vero dorſum, alas, caudamq; veſtiunt excellenti cærulæo cum textili aureo inferne induta eſſe videntur,ſuperne autē holoſerico pallio eos qui intuētur ſumma perfundit admiratione. In ſuis verſibus Barbari huius perſæpe meminerunt ad numerum cantillantes;



hoc eſt,auis flaua,auis flaua,&c.nam *Iouue*,aut *Ioup* apud eos flauum ſonat.

Plumæ, è quib. pilei,veſtes, &c.componuntur.

Quamuis autem domeſticæ non ſint hæ aues, frequentius tamen in arborum, quæ in mediis vicis ſunt, cacuminibus nidificant, quam in ſiluis, quo fit vt ter quaterve in anno à Barbaris deplumentur, è quibus plumis pileos,veſtes,armillas compingunt, clauarum ſuarum capulos exornant, corpuſque ſuum cohoneſtant.Huiuſmodi ego pennas non paucas mecū in Galliam afferebam, earum præſertim quas flauo & cæruleo colore eſſe dixi, ſed vbi Lutetiam veni, aulicus quidam cui videndas exhibui,importunus mihi eſſe non deſtitit,donec eas à me extorqueret.

Aiourous,pſittaci maximi & pulcherrimi.

Pſittacorum tria aut quatuor genera illic capiuntur, maximos & pulcherrimos,*Aiourous* Barbari nominant. His rubeo,luteo,ac violaceo colore caput eſt diſtinctu m,extremis alis eſt coccineus,cauda, quæ eſt prælonga,lutea:reliquo corpore viridis. Huiuſmodi perpauci ad nos adferuntur. Præter plumarum elegantiam eo commendantur nomine,quod edocti, optime imitantur humanum ſermonem. Vnum ab interprete quodam accepi, ab ipſo iam per tres annos educatum, qui Gallicas & Americanas voces tam genuine pronuntiabat,vt ſi non eſſet in conſpectu,eius vocem ab humana diſcernere vix quiſquam potuiſſet.

Pſittaci mira hiſtoria.

Longe admirabilius erat,mulierem in vico quodam,qui ab Inſula noſtra IV. paſſuum millia diſtabat, huius generis vnum educaſſe, qui non ſecus ac ſi ratione præditus eſſet,ea quæ iubebatur,caperet. Illac quoties nobis iter erat, ſtatim ab auis illius hera audiebamus, vultiſne mihi dare pectinē aut ſpeculum, ego iamiam coram vobis pſittacum meū iubebo canere & ſaltare? Si forte poſtulatis illius annuebamus,pſittacus confeſtim, auditis quibuſdam heræ verbis,nō modo ſaltabat in pertica cui inſidebat, ſed & garriebat, & ſibilabat.Barbaros denique in bellum euntes mirabiliter referebat. In ſumma,ſi hæræ viſum erat imperare vt caneret, canebat, ſaltaret, ſaltabat: contra, ſi indonata paulo acerbiori ſermone illi ſuum *Auge*,hoc eſt,conſiſte,imperaſſet,tū ille obmuteſcebat, nec vllis verbis efficere poteramus,vt vel linguã vel pedem motitaret.Quare reputandum lectoribus relinquo, annō Romani qui,Plinio auctore, coruo à quo omnibus matutinis nominatim ad Roſtra ſalutabantur, funus innumeris exe-

Lib.10. c.43.

quiis

quiis olim celebrarunt,eumque à quo eſſet interfectus morte multarunt, ſi huiuſmodi pſittacum habuiſſent, perquã maximi feciſſent. Illum Barbara mulier *Cherimbaué*,hoc eſt,dilectiſſimum appellabat. Ei ſane adeo charus erat,vt quærentibus nobis, quo pretio mercari poſſemus,illa *Mocaouaſſou*,hoc eſt,tormentum æneum maius,per irriſionem reſpondebat,itaque nullo pretio ab ea extorqueri à nobis potuit.

Pſittacorum alterum genus eſt eorum,qui in Galliam aduehi ſolent, quos *Marganas* Barbari appellant,& minimi faciunt. At vero tam ſunt illic frequentes quam apud nos columbi, quo fiebat, vt licet carnibus eſſent paulo durioribus, quod ad perdicis ſaporem accederent, illis non raro veſceremur. *Marganas pſittaci apud nos frequentes.*

Tertium genus pſittacorum *Touis* Barbari,nautæ vero Neuſtrii *Moiſſons* vocant:ſturnorum magnitudine,caudam prælongam croceis pennis diſtinguentibus,cetera viridis eſt. Priuſquã autem ſermoni de pſittacis inſtituto finem imponã,ſuccurrit nonnihil à Coſmographo quodam relatum,pſittacos nimirum in arborum ramis pendulos nidos conſtruere,ne à ſerpentibus oua abſorbeatur,quod quidem meras eſſe fabulas exiſtimo, ſiquidem in arborum cauatarum antris nidos conſtruere eos deprehẽdi. *Touis pſittacorum genus minimum.*

Inter reliquas aues Americanorum, primus locus cuidam *Toucan* nomine dabitur, cuius ante meminimus. Is colũbi eſt magnitudine, colore atro ceu coruus,excepto pectore, quod crocei eſt coloris, torque miniato ab inferiori parte circumducto, detracto Barbari ad genarum aliarumq; corporis partium ornatum vtuntur. Tum vero maxime apud illos eſt in pretio quod ſaltaturi eo vtuntur. Nomen inde eſt ſortitum *Toucan-tabouracé*,hoc eſt,pluma ad ſaltandum. Nihilominus tamen, tanta illis earũ ſuppetit copia, vt cum mercibus noſtratibus permutare eas non grauentur. Auis iſtius roſtrum reliquum corpus longitudine ſuperat, cum quo gruis roſtrum minime eſt comparandum; itaq; pro monſtroſiſſimo totius orbis roſtro eſt habendum: ergo non immerito Bellonius,vnum cum nactus eſſet, ſub finem tertii libri deſcriptionis auium depingendum curauit: nomen quidem non edit, at ea omnia, quæ ab illo narrantur,de iſto roſtro neceſſario ſunt intelligenda. *Toucan auis columbi magnitudine.* *Roſtrum auis monſtroſum.*

Alia eſt merulæ magnitudine,& colore,excepto pectore quod bubuli ſanguinis ruborem adæquat, à Barbaris eodem quo ſuperius detrahitur modo. Auem vero *Panou* nominant. *Panou,cui pectus rubrum.*

Eſt & alia turdi magnitudine, plumis omnibus coccineis, hanc illi *Quampian* vocant. *Quampian,auis coccinea.*

Minime vero eſt prætermittenda auicula non minoris admirationis quam ſubtilitatis,quam Barbari *Gonambuch* appellant, plumis albicãtibus, & fulgentibus, fucum, aut ſcarabeum magnitudine nõ ſuperat,miros tamen cantãdo edit concentus. Milio illi craſſo, quem Americani *Auati* nominant,aut aliis altioribus herbis inſidens,tam altum edit cantum,vt,niſi conſpiciatur, vix credas ab illo corpuſculo tantum tamque ſuauem edi poſſe. Luſciniæ noſtræ minime cedit. *Gonambuch, auis minima.*

Americ. auium varietas. Ceterũ, quia ſigillatim Americanas aues omnes, quę à noſtris non modo genere, ſed & coloris varietate, puta, rubei, roſei, violacei, albi, leucopæi, purpurei, &c. à noſtris nõ parum differunt, deſcribere non poſſum, vnam tamen deſcripturus ſum quam adeo obſeruant Barbari, vt eam non modo afficere damno nolint, ſed afficientes inultos abire non patiantur. Columbi eſt magnitudine, colore cinerico, lugubri voce, eam *Tououpinambaultii* noctũ frequentius quàm interdiu exaudiũt; atq; ab amicis & cognatis mortuis ad ſe mitti credunt, tum vt bonum omen renuntiet, tum præcipue vt animos addat, moneatque vt ſe aduerſus hoſtes fortiter in bello gerant. Exiſtimant prætetea ſi recte iſthæc auguria obſeruent, futurum vt hoſtes hac quidem in vita ſuperent, ſed & poſt mortem ad maiores ſuos animas poſt montes conuolaturas, vt illic perpetuas agitent choreas.

Barbarorum deliratio, qui auis cantum obſeruant. Contigit mihi ſemel, vt in pago à Gallis *Vpec* denominato diuerterẽ, vbi de nocte aues illas non quidem canentes, ſed gemẽtes audio. Barbaros attentiſſimos video. Rei totius gnarus, ſtultitiam illam increpo. Sed vbi Gallo mihi adſtãti arriſi paululum, vetulus quidã ſeuere ſatis me compeſcuit his verbis: Tace, ne nos audiendis fauſtis nuntiis auorũ noſtrorum intentos auertas. Quoties n. haſce aues audimus, toties & exhilaramur, & vires noſtrę augmentũ capiunt. Cui nihil reſpõdi, fruſtra enim cum illo contẽdiſſem. In mentẽ tamen mihi tum veniebat eorũ opinio, qui aſſerunt animas ad ſuos officii monẽdos deuolare, Barbarorumq; noſtrorum figmẽtum eà tolerabilius eſſe iudicabã. Etenim, vt ſuo dicetur loco, quãuis animas credant immortales, eo tamẽ dementię non veniunt, vt è corporibus ſemel egreſſas ad patrios lares redire dicant, aues iſtas earũ eſſe nuntias tantũmodo fingunt. Hæc ſunt quæ de auibus Americanis dicẽda mihi fuere.

Habent tamẽ præterea terræ illæ veſpertiliones cornicularũ noſtrarum magnitudine: hi noctu nõ raro in caſas veniũt, ſi vero quẽ detectis pedib. dormientẽ offendãt, ſummũ eius articulũ adoriuntur, ſanguinemq; exugũt tãta copia, vt duos ſextarios noſtrates plerũmq; antequã perſpiciãtur ebibãt. Experrecti, mane cubile xylinũ cruẽtatum admirãtur. Barbari, ſiue ſuis, ſiue noſtris id contingebat, in ludibria vertebant. Mihi ſemel iſtud accidit, præterquam vero quod ſannis ſum exceptus, acceſſit & illud quod extremo illo (licet nõ infeſtiſſimus erat dolor) ſummi articuli læſo, triduũ in tibialibus induẽdis nõ parũ laboraui. Cumanẽſes quoq; qui cis Æquatorẽ decẽ gradibus iacẽt, grandib. iſtis & infeſtis veſpertilionib. infeſtãtur.

Lib. 2. c. 80. Gener. Ind. hiſt. Scriptor de his rem & facetam & notatu dignã memoriæ pdidit. Monachi cuiuſdã puer pleuritide laborabat, in Chiribichi mona- *De veſpertilione faceta hiſtoria.* ſterio Sancta fides nũcupato, cuius cũ vena aperiẽda reperiri nõ potuiſſet, mortuus vero ipſe haberetur, accedit ad eũ noctu veſpertilio, talũq; momordit, tantamq; copiã ſanguinis hauſit, apertaq; vena ſpõte emiſit æger, quãta ad valetudinẽ ſufficiebat. Ego vero cum hiſtoriæ illius Scriptore dico, opportuniſſimum & fauſtiſſimum ægro illi fuiſſe iſtum Chirurgum. Itaq; pręter eã quã veſpertiliones iſtos afferre dixi moleſtiã, ſatis docet exẽplum illud poſtremum, nõ adeo noxios eſſe, ac fuerunt olim Græcorum ſtriges. quæ vt inquit Ouid. Faſt. 6.

Nocte volant puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris,
Et plenum poto ſanguine guttur habent.

quam ob cauſam nomen illud veneficis eſt attributum.

Apes Americanæ à noſtris ſunt abſimiles, ad minores muſcas atras, quibus æſtatis tempore infeſtamur, accedũt, fauoſq; ſuos in excelſæ arboris cauo condunt. Barbari mel ceramq; colligere norunt. Mixtim collecta, *Tra-yetic* vocant, *yra* enim mel ſonat, *yetic* vero ceram. Seorſim poſitum mel noſtro more comedunt, ceram vero picis nigredinem imitantem, aſſeruant, maſſis brachi imagnitudine compoſitis. Non tamen quod faces vel candelas ea conficiant: lucernæ enim alius apud eos vſus non eſt præterquam ligni cuiuſdam flammam lucidiſſimam emittentis. Præcipue vero ea cera vtuntur ad obturandas ingentes illas cannas, quibus plumas ſuas imponunt, nec à papilionibus exedantur, quos etiam hoc loco deſcribemus. *Americanæ apes. Tramel, yetic cera nigra.*

A Barbaris *Arauers* appellãtur gryllorum magnitudine, gregatim quoque ad focum vt & grylli accedunt, ſi quid autem offendãt, exedũt, præſertim vero thoraces coriaceos & calceos ita corrodunt, vt ſuperficiẽ penitus abſumant. Si vero gallinas aut alia id genus cibaria, negligentius recondebamus, mane à nobis oſſa carnibus nudata reperiebantur. *Arauers, papiliones.*

Barbaros prȩterea infeſtat exiguum inſecti genus, quod *Ton* nuncupãt. In puluere naſcitur, pulicis magnitudine. At vbi ſub pedum & manuum vngulis ſeſe inſinuauit, prurigo ſtatim oritur, acyri modo, niſi vero confeſtim euellatur, breui ſpatio ad piſi magnitudinem accreſcit, extrahiq; niſi magno cruciatu nõ poteſt. Nõ ſolum autẽ Barbari, qui nudi toto corpore incedunt, ſed & nos quoq; quantumuis bene induti, hoc inſecto infeſtabamur. Ego pro mea parte, licet diligẽtiſſime mihi ab illis cauebam, ita fui infeſtatus, vt vno die vltra viginti è variis mei corporis partibus ſint euulſi. *Ton, inſecti genus infeſtiſſimum*

Nõnullos etiã vidi minus ſibi proſpicientes, quibus nõ modo manus & pedes ab illis infeſtabantur, ſed & axillæ reliquæque molliores corporis partes puſtulis iſtorum inſectorum erant refertæ. Hoc illud eſſe animalculum credo quod Ind. Occid. hiſt. Scriptor *Nigua* appellat, quod etiam apud Inſulam Hiſpaniolam extat. ab eo his deſcribitur verbis: *Nigua* pulicis ſaliẽtis ſpeciem refert, puluere delectatur, non niſi pedes infeſtat, quorum cuti ſeſe inſinuat, moxq; lendes maiori copia gignit, quam ſit credibile, habita ſubtilitatis ratione, hæ alias quoq; generant, ac niſi mature obuiam eatur, non niſi igne & ferro eiiciuntur: ſi vero tempeſtiue extrahas, minimo dolore curantur. Quin & addit, Hiſpanos quoſdam adeo illis fuiſſe infeſtatos vt multi articulorum, nonnulli vero pedum miniſterio caruerint. *Lib.2.c.3.*

Aduerſus ea incommoda hoc remedio Barbari vtuntur: Eas partes, quæ huic lui ſunt obnoxiæ, oleo quodam inungunt, ſpiſſo, rubri coloris, ex fructibus quos illi *Couroq* nominant expreſſo. hoc etiam remedio nos Galli vtebamur. Addo oleum illud curandis vulneribus aliiſque corporis

humani incommodis, adeo eſſe accommodatum, vt apud Barbaros non minoris ſit pretii, atq; eſt apud nos confectio illa quam Sanctum oleum nuncupant. Chirurgus noſter in Galliam remigraturus, 12. ingentia vaſa iſtius olei aſportauit, totidemque ſeui humani, quod dum ſuos captiuos torrebant Americani collegerat.

Tetin culices. Gignit pr̨eterea Americanus aer ſubtiliſſimum culicum genus, quod Barbari *Tetin* nominant, adeo lancinat etiam leuius indutos, vt mucrones acuum referant. Ex quo facile eſt colligere quā ridicule Barbari noſtri conſpiciantur, vbi his culicibus infeſtātur, manibus enim ſua crura, nates, humeros, brachia ita plaudunt, vt aurigam flagellum quatientem referant.

Americani Scorpiones. In puluere quoque & ſub lapidibus latent in America Scorpiones, iis qui in Prouincia conſpiciuntur longe minores, non tamen, vt experientia edoctus ſum, ictu minus venenato & mortifero. Hoc inſectum munditie delectatur. Cubile meum mundari curabam, mundatum denuo appenderam, more ſolito. Scorpio in ruga quadam delituerat, qui mihi quidem incauto dum cubile ingredior, ſiniſtræ manus pollicem perculit: manus mirum in modum è veſtigio intumuit, ita vt venenum fuerit corpus totum inuaſurum, niſi mihi præſto fuiſſet pharmacopola, ad quem con-*Remedium aduerſus Scorpionum ictus.* feſtim me recepi: Is mortuos Scorpiones cum oleo in phiala aſſeruabat, quorum vnum vulneri applicuit. Illud remedium etſi præſentiſſimum ab omnibus habetur, tanta fuit tamē vis veneni, vt per 24. horarum ſpatium ſummo dolore laborauerim. Barbari quoque eodem vtuntur remedio, ſcorpiones nimirum, ſi eos aſſequi poſſint, vulneri attritos applicant. Præ-*Barbari vindictæ cupidiſſimi.* terea, prout alicubi à nobis dictum eſt, eos eſſe vindict̨e cupidiſſimos, imo pene dixerim in noxia quæque furentes, ita vt ſi imprudentes in lapide impingunt, rabidorum canum more eos mordeant, in animantia quæuis ſibi noxia ſedulo inquirant, eaque quantum poſſunt penitus extirpent.

Terreſtres cancri. Habet quoque Americana regio Cancros terreſtres, eos *Ouſſa* nominant *Tououpinambaultii*, turmatim locuſtarum more ad maris littus, & paluſtria loca conueniunt, ſi quis ad ea loca accedat, hac illac fugientes videat: In truncos arborum radiceſque ſeſe recipiunt, è quibus extrahi tuto non poſſunt, digitos quippe & manus capientium forcipibus comprimunt: marinis longe ſunt macriores, quoniam autem iuniperinas redolent radices, palato minime ſunt grati.

Cap. XI.

De nonnullis piſcibus apud Americanos maxime vulgaribus, deque eorum piſcatu.

Ne idem ſæpius repetere cogar, à quo abſtinere quoad eius fieri poteſt cupio: lectorem tum ad capita 3. 4. 5. & 6. hiſtoriæ huius, tum ad loca alia in quibus de Balænis, marinis monſtris, piſcibus volantibus, aliaque complurium generum egimus, remitto. Eos vero hoc capite deſcribam, qui maxime apud Braſilienſes noſtros ſunt vulgares, de quibus nulla eſt hactenus facta mentio.

Ac primum quidem piſces in genere Barbari *Pira* vocant. Mullorum genera duo habent, *Kurema*, & *Parati* appellant: optimi ſaporis tum elixa, tum toſta. Quoniam vero mulli gregatim oberrant (quod non ita pridem in Ligeri aliiſque fluminibus eſt obſeruatum) Barbari eos vbi vident telis petunt, ac nonnunquam tam certa manu, vt duos treſve vno iactu figant, transfixos natantes quæſitum eunt Barbari, vt qui mergi nequeāt. Horum piſcium caro eſt admodum friabilis, quo fit, vt ſi magno capiantur numero, *Boucan* impoſiti exſiccentur, deinde friati in optimam farinam redigantur.

Pira piſces. Kurema & Parati mulli. Sagittis mullos petunt Americ.

Camouroupouy-ouaſſou piſcis eſt prægrandis (*Ouaſſou* enim Americana lingua grandem ſonat, prout accentu diſcriminatur) Huius *Tououpinambaultii* in ſuis choreis & cantibus frequentem faciunt mentionem: hæc enim verb͏a hoc modulantur modo:



edulíſque eſt maxime.

Comourou-pouy-ouaſſou, piſcis prægrandis.

Duo inſuper ſunt illis piſcium genera, quæ *Ouara* & *Acara-ouaſſou* nominant, à ſuperiore non abſimiles, bonitate tamen vincunt: Imo affirmare auſim *Ouara* ſalari noſtro nullo cedere modo.

Ouara & Acara-ouaſſu, piſces optimi.

Acarapep piſcis eſt planus, inter coquendum pinguedinem ſubflauam emittit, quæ eſt eis pro condimento, eſtque carne optima.

Acarapep, planus piſcis.

Acarabouten viſcoſus eſt, colore ceruino aut ſubrubro, ſuperioribus bonitate cedit, minuſque palato ſapit.

Acarabouten, piſcis ſubruber.

Pira-ypochi longus eſt inſtar anguillæ, eſtque minime edulis, quod etiam Americana lingua *ypochi* ſonat.

Pira-ypochi, piſcis oblongus.

Raiæ, quæ in Ganabaræ ſinu marique vicino capiuntur, non modo à Neuſtriis & Britannicis, aliiſque noſtratibus magnitudine differunt, ſed etiam eo quod cornua duo oblonga gerant, præterea quinque aut ſex fiſſuras in ventre habeant, quas minime natura, ſed arte factas credas, cauda oblonga eſt & tenui, atque adeo venenata, cuius rei experimento ſum certior factus: vnam enim cepimus, inque ſcapham eduximus, quę mox cuiuſdam è noſtris tibiam punxit, quæ ſtatim intumuit & inflammata eſt. Hæc ſunt quę paucis de piſcibus marinis Americanis, quorum tamen numerus eſt infinitus, habui dicenda.

Raiæ à noſtratibus diſsimiles. Paſtinaca forte. Raiarum cauda venenata.

Ad hæc flumina aquæ dulcis, piſcibus mediocribus & minimis abundant, quos ſua lingua Barbari, *Para-miri* & *Acaramiri* nuncupant. *Miri* enim eorum lingua, paruulum ſonat. Huius generis duos monſtroſiſſimos paucis perſtringam.

Para-miri & Acaramiri, piſces minores.

Vnum barbari *Tamouata* appellant, palmi longitudine, capite ampliſſimo atque monſtroſo, habita reliqui corporis ratione, pinnulas ſub branchis habet duas, dentibus lucio noſtrate eſt acutioribus, ariſtis quoque acutiſſimis, ſquamis quoque duriſſimis, adeo vt (quod de *Tatou* iam ante

Tamouata, piſcis monſtroſus.

dixi) gladio tranſuerberari nequeat. carne eſt probatiſſima, & ſaporis gratiſſimi.

Pana-pana piſcis capite deformi.

Alterum *Pana-pana* vocant mediocris longitudinis, cuius hæc eſt forma: pelle eſt inſtar Requienis aſpera, corpore & cauda illius non abſimili, capite plano, atque admodum deformi, quod ab aqua elatum, in duas diuidit partes, ita vt caput piſcis deformius & monſtroſius conſpici minime poſſit.

Viri, mulieres, puerique periti ſsime natant.

De Barbarorum piſcatu quod attinet, in primis ad ea quę dixi de mullis quod ſagittis transfigunt (quod etiam de reliquis quoq; piſcibus eſt intelligendum, quos petere in aquis poſſunt) notandum eſt, non modo viros & mulieres, ſed etiam puerulos natandi peritiſſimos eſſe. illi prædam natando more barbatulorum canum in mediis petunt aquis, hi ſimulac ambulare didicerunt, in flumina mariſque littus ſe coniiciunt, atque anatum more huc illuc oberrant. Cuius rei ad fidem faciendam exemplum paucis commemorabo. Die quadam dominica, mane, in quodam caſtelli noſtri propugnaculo expatiabamur, lintremque corticeam (quæ etiam ſuo loco à nobis deſcribetur) qua, vltra triginta tum virorum & mulierũ cum puerorum capita ad nos inuiſendos vehebãtur, in medio mari euerſum. Confeſtim nauigium conſcẽdentes opem laturi ad eos properamus, omnes ad vnum natantes & ridentes comperimus. Quidam vero eorum his nos compellauit verbis: quo nam ita feſtinãtes tenditis vos *Mair?* (quo nomine Gallos appellant.) Ad vos (dicebamus) opem laturi. Magnam, inquit, habemus gratiam: Atqui exiſtimatiſne nos quamuis in mare delapſos, in diſcrimen vitæ adductos fuiſſe? Octo dies potius hoc modo in aquis verſaremur, quam vt mergeremur. magis vero metuimus, ne magni quidam piſces in fundum nos pertrahant. Ceteri vero qui inſtar piſcium placidiſſime natabant, audita ob quam ad eos acceſſiſſemus cauſa, ſannis nos exceperunt, præq; riſu nimio eos ſuum marinorum more flantes videbamus. Ac ſane, licet 500. paſſibus à caſtello noſtro aberamus, perpauci eorum (idq; potius garriendi cauſa, quam vllius periculi metu) nauigium conſcenderunt. Ego obſeruabam eos nonnunquam nobis præire, ad libitum modo tarde, modo celerius natantes, quotieſque viſum eſſet ad aquę ſummum quieſcere. Lintrem vero cum quibuſdam xylinis lectis, cibariis, nonnulliſque aliis, quæ ad nos aduehebant, ſubmerſum tantundem curabant, quantum ſolicitudinis afferret nobis pomi vnius iactura. Dicebant enim, An non ſunt alia in terra?

Barbari narratio de piſce manibus & vultu humanam formam referentibus.

Priuſquam vero ab hoc de piſcatu ſermone digrediar, hiſtoriam à Barbaro acceptam prætermittere nolo. Cum, inquit, die quadam vna cum nõnullis aliis in ſumma maris malicia lintre quadam veherer, ingẽs quidã piſcis manu nauigii oram apprehendit, meoque iudicio aut euertere aut conſcendere volebat: Id ego conſpicatus, falce quam præ manibus habebam, manum illam abſcidi, quæ in lintrem decidit, digitos vero noſtris perſimiles quinque habebat, præterea præ dolore, quo piſcis ille fuit affecus, exerto ſupra aquam capite, ad humanum accedente, aliquantulum

concre-

concrepuit. Ego lectori deſpiciendum relinquo, vtrum (iuxta vulgi opinionem, qua fertur mare in ſe ſingula animalium genera habere, quæ in terra conſpiciuntur, præſertim vero habita eorum ratione, quæ de Tritonibus & Sirenibus à nonnullis ſunt ſcripta) Sireni an vero potius ſimiæ marinæ manus illa fuerit amputata: tamen (non quod præiudicium iis quæ in hanc rem afferri poſſunt allatum velim) ingenue fateor me, qui menſes nouem in alto mari verſatus ſum, quiq; non raro circa littora nauigans oberraui, piſcem vllum, in tanta tot generum copia, quæ à nobis ſunt capta, non conſpexiſſe, qui adeo ad humanam accederet formam.

Spinæ quibus pro hamis vtuntur Barbari. *Toucon herba.* *Piperis rates earumq; vſus.*

Atque vt tandem ſermoni de Americanorum piſcatu finem imponam, præter eum, de quo diximus, modum quo piſces ſagittis träsfigunt, priſco etiam ſuo more, ſpinas in hamorum modũ componunt, lineamq; herba quadam, quam illi *Toucon* vocant, conficiunt, quibus non modo in littore piſcantur: ſed etiam in medium mare, fluminaque progrediuntur, ratibus vecti, quas illi *Piperis* vocant, quaſq; hoc modo componunt: longurios quinq; aut ſex rotũdos brächii craſſitudine, vinculis lineis colligãt, quibus exporrectis cruribus, ac tibiis inſidentes, fuſte plano pro remo vtentes, quocunque fert animus errant: attamen rates iſtæ vlnæ longitudinem non ſuperant, latitudine pedes duos, quo fit, vt neque procellarum fluctus ferant, neque plures vno homine capiant. Noſtri itaque Barbari tranquillo mari ſingulis illis inſidentes, ac ſolis radiis oppoſiti, ſimias optime referunt, ſeu potius ranas, eminus conſpecti. Attamen, quia hæ rates celeriter admodum componuntur, & mergi nunquam poſſunt, ſi apud nos in vſu eſſent, commodiſſimas fore autumo tranandis tum fluminibus leniter fluentibus, tum ſtagnis & paludibus, quibus tranandis cum vrget neceſſitas, frequenter non parum laboratur.

Puiſſa ouaſſu, retia. *Hamos maxime probant Barbari.*

Ad hæc, Barbari noſtri non modo mire delectabantur retium noſtrorum, quibus piſcabamur, conſpectu, ſed & ipſi nos adiuuabant, atque adeo ſi per nos licebat, perite ipſi piſcabätur. Hæc illi ſua lingua *Puiſſa-ouaſſou* nuncupant. Præterea Gallos eo præcipue laudant nomine, præter alia non pauca commoda, quę ex mercibus eorum percipiunt, quod cum antea ſpinas ad piſcandum lineis aptare neceſſe eſſet, eorum beneficio iam copia illis ſit vinculorum illorum ferreorum, quos adeo ad piſcandum accommodatos eſſe prædicant. Ac ſane pueruli, (vt ante dictum eſt) ab aduenis hamos flagitare probe ſunt edocti his verbis: *De agatorem, amabé pinda*, hoc eſt, tu bonus es, da mihi hamos. *Agatorem* enim eorum lingua bonum ſonat, *amabé*, da mihi, *pinda* vero hamum. Si vero repulſam patiantur, capite conuerſo in hæc ſtatim erumpunt, *De engaipaaiouca*, hoc eſt, tu es nequam, es occidendus.

Barbari liberalibus hominibus delectantur, moroſos vero deteſtantur.

Itaq; ſi quis gratiam inire à parentibus & à liberis cupit, nihil illis denegandum. Grati quidem ſunt, præcipue vero ſenes, tum cum minus de eo cogitaueris, muneris accepti memores, aliquid dare ſolent. Hoc ergo obſeruatum eſt à me, homines hilares, alacres, & liberales, ſummo apud illos eſſe loco: contra vero triſtes, moroſos, taciturnos, auaros, eoſq; qui ſi-

bi ſolis viuunt, vſq; adeo deteſtantur, vt auctor ſim iſtius farinæ hominibus, ne Barbaros noſtros adeant.

Cap. XII.

De Arboribus, herbis, radicibus, exquiſitiſſimiſque fructibus, qui in Americano proueniunt ſolo.

QVANDOQVIDEM in ſuperioribus de quadrupedibus, de auibus, piſcibus, reptilibus, denique de omnibus Americanis animantibus, à nobis actum eſt, conſentaneum videtur, vt priuſquam ad religionem, bellum, politeian, alioſq; Barbarorum mores accedamus, nonnihil de ſoli illius arboribus, herbis, plantis, fructibus, radicibus, omnibus denique iis quæ vegetante anima ſunt prædita, agamus.

Araboutan, Braſilia arbor eiuſq; forma. Cap. 61. 85. & 204.

Arbores miræ craſſitudinis.

Primo autem, quia Braſilia arbor eſt totius ſoli illius celebratiſſima (à qua etiam nomen eſt ſortita regio illa) præcipue ob fucum quē ex ea conficiunt infectores noſtri, eam hoc loco deſcribam. Hæc itaque arbor Barbaris *Araboutan* nuncupatur, quercum noſtrã proceritate & ramorum copiam adæquat. Quædam reperiuntur, quarum craſſitudo trium hominũ vlnas complectentium implet. Scriptor Hiſt. Occid. Ind. prodidit duas in illis regionibus viſas eſſe arbores, quarum priorem vix octo hominum vlnæ, alteram vix ſedecim amplecterentur: atque in priore quæ tanta erat altitudine, vt lapidis iactum ſuperaret, *Cacicus* quidam caſulam cum cõſtruxiſſet, Ciconiæ modo Hiſpanis riſum commouebat. Alteram admiratione digniſſimam aſſerit. Idem quoque narrat in *Nicaragua* Prouincia arborem prouenire, nomine *Ceyba*, cuius craſſitudo quindecim hominum complectentium vlnas impleat. Sed vt ad Braſiliam noſtram reuertamur, foliis eſt buxeis perſimilibus. Fructum vero non fert.

Iumentis caret americana regio.

Barbari materiam ſecant, & in naues important.

Priſcus arbores excidendi modus apud Barbaros.

Qua vero ratione materia illa in naues importari ſoleat, hoc loco deſcribere viſum eſt. In primis vero ſciendum eſt, niſi ab incolis iuuarentur mercatores, intra annum vix nauem ea materie onerare poſſe, tum ob duritiem, ac proinde in ſecando difficultatem, tum vero præcipue, quod iumentis omnibus careat illa regio, ac proinde humeris humanis ſit comportanda. Barbari igitur, veſtibus, induſijs, pileis, cultellis, alijſque mercibus conducti, nõ modo materiam illam ſecuribus & cuneis ſecant & findunt, & rotũdant, ſed etiam humeris nudis impoſitam in naues comportant, nõnunquam vero locis impeditiſſimis, tribus aut quatuor paſſuum millibus à ſilua ad littus intercedentibus. Nominatim vero dico Barbaros, ex quo Galli & Luſitani ad eos acceſſere, ſuas Braſilias arbores ſecare: earum enim exſcindendarum (quãtum à ſenioribus accepi) ante illud tempus, ratio alia non erat, niſi quod igne admoto eas deturbabant. Præterea quoniam nonnullos ſcio exiſtimare, materiam illam quæ ad nos aduehitur arborum craſſitudinem obtinere, de induſtria addidi Barbaros eam rotundare, quo facilius comportari ab ipſis poſſit.

Adhæc obſeruatum eſt à me, tantiſper dum in America vixi, camino-

que

Braſilicum lignum fere ἄκαπνον.

Braſili, i ligni cineres induſia rubro colore inficiunt.

que luculento ligni iſtius beneficio vſus ſum, minime humidum hoc ligni genus eſſe, quod pleriſq; aliis lignorum generibus vſu venit: imo quaſi natura ſiccum eſſe, accenſum vero perparum fumi parere. Sycomorus vero contra (vt ait Matthiolus) præ cæteris lignorum generibus hoc habet peculiare vt etiamſi exciſa ſit humiditatem retineat, ac niſi in aquam demerſa, nõ exſiccetur. Aliud inſuper commemorabo, quidam è noſtris induſia noſtra mundare cupiebat, cineres Braſilii ligni imprudens in lixiuiũ impoſuerat, adeo tenaciter rubeo infecta ſunt colore, vt quantũuis abluta illum nunquam mutarint, atque eo colore infecta fuerunt nobis induenda. Si vero delicati illi, qui ſuas rugas dealbandas in Belgium mittunt, minus fidem his adhibeant, per me licet illis non modo periculum facere, ſed etiam ſi volent, ingentes illas ſuas rugas viridi inficere colore.

Barbari cuiuſdam cum auctore colloquium.

Ceterum quia nõ mediocriter mirantur *Toüoupinambaultii* noſtri quum vident Gallos, alioſq; aduenas è procul remotis terris veniẽtes, tantum laboris ſumere vt Arabo-vtano ſuo (id eſt, Braſilio ſeu coccineo ligno) naues onuſtas reuehãt. Itaq; maior natu quidã ex Barbaris hunc in modum me ſuper ea re aliquando interrogauit: quid ſibi vult, inquit, quod vos *Mair* & *Peros* (id eſt, Galli & Luſitani) tam procul petitum ligna veniatis? Nullane vobis ligna ad focum tellus veſtra ſuppeditat? Tum ego, Suppeditat vero, inquam, & quidem magna copia: ſed nõ ex eo genere arborum quales veſtræ ſunt: Braſilium in primis, ꝙ hinc noſtri non ad vrendum, vt tu exiſtimas, ſed ad tingendum exportant: ſicuti & vos funiculos veſtros bombycinos, pennas, aliaq; rerum inficitis. Hic ille protinus excipiens: Verum tantáne eius lingni copia vobis opus eſt? Enimuero inquam: quum enim (vt hominis animũ admiratione ſuſpenderẽ) apud nos vel vnus mercator plures coccineos pannos, plures cultellos, & forfices (nota ipſi & familiaria exempla ſubiiciens) plura ſpecula poſſidet, q̃ quãta huc ad vos vnquã allata ſunt: ſolus ille omne Braſiliũ coëmet, quo plures hinc naues onuſtæ redeunt. Ah (inquit Barbarus) mira mihi narras! Mox eorum quæ audiuerat memor, percõtari vltra perrexit: At, inquit, vir ille adeo locuples, quẽ tu refers, nõ moritur? Moritur (inquã) vt & alii homines. Ibi tum ille (vt iſti Barbari commẽtari amant, & cœptum ſermonem nullis interruptum diuerticulis ad finem vſq; haud abſurde pertexunt) quærere ex me: Ergo, inquit, eorum quę iſte moriens bona reliquit, quis hęres eſt? Liberi eius, inquam, ſi habet: ſi non habet, fratres, ſorores, aut proximi eius agnati.

Sententia eximia à Barbaro prolata.

Quum hęc dixiſſem, Equidem (inquit meus ille haud ſane ineptus ſenex) facile hinc animaduerto vos *Mair* (id eſt, Gallos) eſſe inſigniter fatuos. Nam quid traiiciendo mari tantopere vos fatigari neceſſe eſt, in quo ſuperando (ſicuti nobis quidem huc appulſi dicitis) tantum malorum exhauritis? Nempe vt liberis veſtris aut ſuperſtitibus cognatis opes quęratis? Tellus quæ vos aluit, non illis quoque alendis ſufficiet? Nos quidem, & liberos, & propinquos habemus, eoſque, vt tu vides, ſumma charitate amplectimur: ſed quum confidamus fore, vt poſt mortem noſtram terra quæ vos aluit, eadem & illos quoque enutriat, in eo acquieſcimus.

Et certe in hanc ſententiam, præclare Socrates olim cuidam vehementi ſtudio ſuadenti, vt ſe liberis etiamnum paruulis ſeruaret incolumem, Liberi, inquit, Deo, qui mihi eos dedit, curæ erunt. Ageſilaus vero Lacedæmoniorum Rex, amicos admonebat, ne tam pecunijs quam fortitudine, ac virtute ſtuderent diteſcere: quod fruſtra paret opes, qui veris animi bonis vacat. Quæ ſententiæ ab Ethnicis profectæ admirationem nõ paruam merentur. Prior enim conuenit cum eo, quod ſcriptum eſt: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Altera vero reſpondet dicto illi Chriſti, *Ioan.6.27.* Operemini non cibo qui perit, ſed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quam Filius hominis dabit vobis.

Hactenus paucis, ſed fideliter narrationem ab Americani Barbari ore acceptã recitaui. Quamobrẽ, gens illa quæ adeo Barbara à nobis habetur, non modo lepide eos irridet, qui magno ſuo periculo Braſilio ligno quærendo, ex quo quæſtum faciãt, mare traiiciunt: ſed etiã quantumuis obcæcata (quandoquidẽ naturæ & ſoli fertilitati plus q̃ nos Dei potẽtiæ & prouidentiæ tribuit) aliquãdo cum raptoribus in iudicio ſurget, qui Chriſtianum nomen præ ſe ferunt, quorum tam eſt Europa ferax, quã Braſilia immunis, quod ad incolas attinet. Quare, prout à me dictũ eſt, immortale odium aduerſus auaros à *Tououpinambaultiis* geri, vtinã auari omnes, qui cum ſatiari nuſquam poſſint, continuo pauperum medullam & ſanguinẽ exugunt, in illa terra eſſent relegati, vt ab iis iam furiis aut Dæmonibus exagitarẽtur. Neceſſe mihi fuit magno noſtro pudore in Barbarorum gratiam, qui adeo res mundanas contemnunt, digredi. Addere autem non incom- *Cap.108.* mode, meo quidem iudicio poſſum, rem ab Ind. Occid. hiſt. ſcriptore memoriæ proditam, de quadam Barbara gente Peruana, quæ cum primum Hiſpanos verſantes in ſuis locis ſunt conſpicati, tum quod Barbari eſſent, *In errones Barbarorum accuſatio.* tum vero præcipue quod luxui indulgerent, verebantur ne ab illis ipſi corrumperentur, aut auiti mores immutarentur, eos abeuntes increpabant, his nominibus, Spuma maris, ſine patribus homines, inquieti, quiq; nullibi conſiſtere poſſunt ad laborandum, quo victum ſibi parent.

Palmarum in America 4. aut 5. genera. Sed vt arborum Americanarum deſcriptionem perſequar, Palmarum quatuor aut quinque genera illic reperiuntur: inter quæ frequentiſſima numerantur ea, quam illi *Gerau*, alia quoq; quam *Tri* nominant: attamen quemadmodum fructus nulli à me conſpecti, credo etiam nullos edi. *Tri* quidem fructum rotundum producit, inſtar ſpineorum prunorum ad effigiem racemi amplioris, tanti ponderis, vt ægre vna manu ſubleuetur, ſed *Turio in capite palmarum edulis.* nucleus tãtum ceraſei craſſitudine, eſt edulis. Præterea in culmine harum palmarum eſt turio quidam albus, qui à nobis veſcendi gratia abſcindebatur: Philippus vero, qui hæmorrhoidibus laborabat, aſſeuerabat illi morbo remedium eſſe, cuius rei fides penes medicos eſto.

Ayri, hebeni ſpecies ſpinoſa. Alia quoque eſt arbor, à Barbaris *Ayri* appellata, quæ licet foliis palmę ſit perſimilis, caudice ſpinis circumquaque armata, acuum mucronum ſpecie & aculeo. Fructus mediocri craſſitudine, cuius in medio nucleus eſt niuali albedine, qui tamen edulis non eſt, quam hebeni genus eſſe credo:

do: præterquam enim quod colore eſt nigro tantaque duritie, vt Barbaris clauis ſuis & ſagittis partim conficiendis (quas fuſius cum de bellis eorum agetur deſcribam) ſit in vſu, læuigatum eſt quoque ac lucidiſſimum, adeo denique graue, vt in aquam deiectum ad imum ſtatim feratur.

Ligna varii coloris.

Complura quoq; lignorum multiplicis coloris in America reperiūtur genera, quorum nomina ſigillatim edere non poſſum. Nōnulla vidi, buxi colorem imitantia, alia violacea, è quibus fruſtula quędam in Galliam aduexeram, alba vt charta, rubra, diuerſi à Braſilio generis, è quibus etiā clauas ſuas Barbari conficiunt: vnum quoque quod illi *Copau* nominant, cuius arbor nuci Iuglandi eſt perſimilis, nucibus tamen caret, materia quoq; affabre facta eaſdem cum nuce maculas habet. Deniq; nōnulla reperiuntur, quorum folia ſunt capitati numi craſſitudine: alia, quorum etiam folia ſunt latitudine ſeſquipedali, atque adeo complurium generum, quæ omnia ſigillatim recenſere longum eſſet.

Copau, arbor nuci perſimilis.
Arborum folia craſſiſſima, alia quoq; ampliſſima.

Lignum roſei odoris.

Adhæc arbor in illis naſcitur terris pulchritudinis eximiæ, atq; etiam (quod eſt maximū) adeo ſuauis eſt odoris, vt dum à fabris vel ſcinderetur, vel expoliretur, fruſtula à nobis collecta vel fragrantiſſimam roſam referrent. Contra alia illic adoleſcit quam Barbari *Aou-ai* nominant, allij teterrimo odore, quem dum ſecatur, aut vritur, nemo eſt qui ferat: folijs eſt à pomis noſtris non abſimilibus: fructus vero eius (qui proxime ad echinum forma accedit) præſertim vero nucleus adeo eſt venenatus, vt comedenti veneni præſentiſſimi effectum referat. Nihilominus tamē Barbari noſtri, quod ex eo crepitacula ſua componunt, fructum illum plurimi faciunt.

Aou-ai, lignū teterrimi odoris.

Complures Americanæ arbores fructus ferunt venenatos.

Hîc quoque animaduertendum eſt, Braſiliam (vt mox dicemus) poma complurium generum optima ferentem, abundare etiam arboribus, quæ pulcherrimos quidem fructus edunt, ad veſcendum tamen inutiles. In littoræ præſertim multæ ſunt arbuſculæ, quarum poma meſpilis noſtratibus valde ſimilia, periculoſe comeduntur. Idcirco Barbari cum Gallos, ceteroſque aduenas ad poma illa colligenda accedentes conſpicantur, ſuo idiomate *Ypochi* crebro vſurpantes, vt ab eis abſtineant, admonent.

Hiuouraiė guaiaci ſpecies.

Hiuouraé, cui cortex eſt ſemidigitali craſſitudine, ſapore gratus, præſertim recens ab arbore extractus, genus eſt Guaiaci, quantum accepi à duobus Pharmacopolis, qui mare nobiſcum tranſmiſerant: eaque Barbari vtuntur ad morbum, quem *Pians* appellāt, qui, vt poſtea dicam, æque apud eos pernicioſus eſt, atque apud nos lues Venerea.

Coyne arbor, ex cuius fructu Barbari ſuum Maraca conficiunt.

Arbor *Choyne* Barbaris appellata, mediocri altitudine, folijs, forma & viriditate lauri, pomis, magnitudine capitis infantis, ad figuram ouorum Struthiocameli accedentibus, quæ quidem non ſunt edulia. Ex his *Tououpinambaultii* ob duritiem corticis integra quædam in longitudinem, latitudinemque perforantes, quibus *Maraca* conficiunt (de quo iam ante mentio facta eſt, fietque in ſequentibus:) illa etiam ad calices, aliaque vaſcula excauant, dimidiantque.

Inter arbores quoque Braſilienſes numeratur *Sabaucaie*, pugnis ambobus pomo ampliore, formamq; calicis imitante: in cuius imo exigui qui-

Sabaucaie arbor, cuius fructus vaſis conficiendis eſt accommodatus.

dam nuclei amygdalinis ſimiles comperiuntur, eundem quoq; fere cum amygdalis ſaporem referunt. Cæterum cum pomi iſtius putamen vaſis conficiendis ſit aptiſſimum, arbitror illud eſſe, quod vulgo nucum Indicarum nomine appellamus, aut certe ex illarum genere. Matthiolus enim ſuis in Dioſcoridem commentariis aliarum nucum Indicarum meminit, quæ forma ſunt rotundæ, ac magnorum melonū inſtar ab arbore dependent (quarum ego in illis regionibus, prout ſunt ab illo depictæ, ac deſcriptæ, putamina vidi) quę torno expolitæ hîc ſolent à noſtris hominibus argento includi. Præterea cum in illis terris verſaremur, quidam Petrus Bordonius nomine artis tornandi peritiſſimus, varia eaq; pulcherrima vaſcula fabricauit, cùm ex iſtis *Sabaucaie* fructibus, tum ex aliis verſicoloribus lignis, quorum partem Villagagnoni dedit, à quo plurimi fiebant. Veruntamen aliquanto poſt indigniſſimam reportauit mercedem.

Petrus Bordonius tornator peritus, quam mercedem à Villagagnone retulerit.

Aca-iou fructus edulis.

Eſt præterea in illis terris arbor proceritate ſorbi noſtræ, cuius pomum Barbari *Aca-iou* nominant, amplitudine, & figura oui gallinacei, quod vbi maturuit, colore ad aurum inclinato inſtar cotonei mali, non modo vtiliter comeditur, ſed etiam ſubacidum, nec minus palato gratum ſuccum emittit, qui calore æſtuantes iucundiſſime refrigerat. Attamen cum difficulter è proceris illis arboribus decutiatur pomum illud, non niſi à Cercopithecis, quibus illis veſcuntur, excuſſa habebamus.

Paco-aire, frutex tenera.

Paco, poma oblonga.

Paco-aire frutex eſt decem aut duodecim pedum altitudine, caudice femorali nōnunquam craſſitudine, qui tamen adeo eſt tener, vt gladii vno ictu ſecetur: pomum *Paco* vocant Barbari palmi longitudine, forma cucumeri non abſimili, eiuſdem etiam coloris cum ad maturitatem peruenit. Hæc autem poma naſcuntur vt plurimū viginti aut vigintiquinq; ſimul & confertim in ſingulis ramis, quæ Americani legentes in caſas ſuas important tanto pondere, quantum altera manu ferre poſſint. Ad pomi vero iſtius bonitatem quod attinet, vbi maturuit, calyce ad modum recētis ficus auulſo, grummoſum apparet: quo fit vt mandentibus ficū referat, vnde à nobis ficus nominabatur: ſapore vero vel delicatiſſimas Maſſilienſes ficus ſuperat: itaq; non immerito inter optimos totius oræ illius fructus recenſeatur. Memoriæ quidem eſt proditum, Catonem cum Carthagine Romam rediiſſet, miræ magnitudinis ficus attuliſſe: verum quoniam antiqui de his noſtris nullam mentionem fecerunt, credibile eſt, alius fuiſſe generis, ab iſtis de quibus fit ſermo. Foliorum vero *Paco-aire* forma foliis lapathi aquatici non eſt abſimilis: tanta tamē ſunt magnitudine, vt vulgo longitudo ad ſex pedes, latitudo vltra duos protendatur: quo fit, vt nulla ratione adduci poſſim vt credam in Europa, Aſia, & Africa tantæ longitudinis & latitudinis folia extare. Nam etſi Pharmacopolam quendam audiui aſſeuerātem ſe vidiſſe folium Petaſitis latitudine vlnæ cum quadrante, hoc eſt, (ſiquidem rotunda eſt hæc planta) cuius circumferentia tres vlnas cum quadrantibus tribus ſuo ambitu caperet: nuſquam tamen accedebat hæc amplitudo ad noſtri *Paco-aire* magnitudinem. Verum quidem eſt foliorum illorum craſſitudinem longitudini non reſpondere, imo exilia

Paco ficus ſapore.

Paco-aire, folia immenſæ magnitudinis.

lia maxime eſſe, aſſidue tamen erecta; adeo vt venti paulo vehementioris (quo regio illa frequentiſſime vexatur) mediana tantum coſta impetum ferat: reliquum vero ita diſſecatur, vt eminus conſpicienti, hi frutices plumis ſtruthiocamelinis ornati eſſe credantur.

Matthiolus cōmentarijs in Dioſcoridem de palma & dactylis agens, ſcribit quandam eſſe plantam in Ægypto, Cyproq; naſcētem, quā Veneti inde redeuntes Muſam appellāt, & Muſas ſimiliter fructus: quamq; optime eo loco depinxit: cuius deſcriptionem, quia nō parum ad noſtrum *Paco-aire* accedit, hoc loco adſcribere placet. *Muſa, arbor: eiuſq; deſcriptio.* Muſa igitur, inquit ille, adoleſcit ab quinûm, ſenûmve cubitorum proceritatem, è ſtolonibus alterius ſata: folio eſt arundineo, ꝙ tamen perquā longo, latoq; ambitu ſe diffundit, adeo vt in longum trium cubitorū menſurā quandoq; excedat, in latum vero ſeſquicubitū ſpatietur, lata, craſſaq; per medium excurrēte coſta. Torreſcunt folia æſtate ſui natura, vel etiā fortaſſis ſolis ardore, adeo vt menſe Septembri eorum coſtæ prorſus nudæ cernātur, decidēte foliorum materia, ꝙ admodum ſit tenuis. Caulis ſquaroſo foliorum cortice veſtitur, palmæ, vel arundinis modo. Ramos habet nullos, ſed caudice tantum conſiſtit. E vertice germē emergit materie molli, longitudine fere cubitali, à quo alia ab origine ad ſummū prodeunt germina, ternûm quaternûmve digitorū inuicem diſtantia: è quibus circumueniunt fructus, parui cucumeris magnitudine, qui per maturitatē quadantenus flaueſcunt, cortice fici, q eodē modo digitis detrahitur. Subſtātia pulpæ conſiſtit melopeponum modo, nullo intus oſſe, neq; ſemine. Primū guſtantibus fructus inſipiditatē quādam præ ſe ferre videntur, adeo vt primo ſtatim guſtu non placeat, verum qui eſui aſſueſcunt, iis indies magis delectantur: quippe qui quadam occulta ſaporis ſuauitate allecti, quæ nō niſi tractu temporis cum palato init gratiam, nunquam ſaturi videantur. Ita Muſam (inquit Matthiolus) mihi deſcripſere qui ex Ægypto, & Cypro ad nos reuertuntur. Sed quænam antiquis Muſa fuerit planta, quid referam nō habeo. Fuſius hoc ille perſequitur, allato Theophraſti, & Serapionis teſtimonio, vt videre cuiuis licet. Alibi quidem de ficu Indica (puta Occidentali) agit, cuius pictura quam eo loco exhibet, indicat arborē eſſe monſtroſiſſimæ formæ: ac veritus ne Lectori tædium afferam (præſertim cum minus ad *Paco-aire* noſtri formam accedat) intermiſſam repetam hiſtoriæ meæ ſeriem: ſi qui vero plura noſſe cupiant, eos ad 145. Commentariorum illorum libri 1. caput remitto. *Tuna Americanorum.*

Quod igitur attinet ad xyliferos frutices, quæ in mediocrem proceritatem aſſurgunt, in Braſilia magno reperiūtur numero: flores inſtar campanularum lutearum citrullinorum fere ſimiles emittunt: vbi vero efformatum eſt pomum, non modo ad fageam glandem proxime accedit, ſed etiam maturum in quatuor diuiditur partes, quæ per floccos pilæ magnitudine xylum emittunt, quod Barbari *Ameni-iou* nuncupant. In floccorum illorū medio reperiuntur grana quędam nigra compacta, atq; admodum compreſſa ad renis humani formā, cuius compacturæ magnitudo fabam nō ſuperat. Porro Barbaræ fœminæ xyli illius colligēdi, & nendi ignaræ nō ſunt, eo ſiquidē cubilia ſua conficiunt ad eum, qui à nobis dicetur, modū, *Xyliferæ arbores.* *Ameni-iou, xylon.*

Aurea & citrea mala magna in America copia creſcunt.

Præterea quamuis olim (quatum accepi) in America nullæ creſceret aurei ac citrei mali arbores, hodie tamen cum Luſitani multas maritimis oris quas accolunt conſeuerint, non modo indies propagantur, ſed etiam poma ferũt aurea (quæ à Barbaris *Margou-ia* appellantur) prædulcia, & amborũ pugnorũ craſſitudine, citrea quoq; & ampliora, & maiora numero.

Saccari canna in America naſcuntur.

Saccari quoq; cannæ optime in illis terris creſcunt, & maxima copia: attamen cum nos Galli, & hominibus, & machinis ad eliciẽdum ſaccarũ idoneis nondũ eſſemus inſtructi (vt ſunt Luſitani in iis quę occupãt apud Barbaros locis) in aqua cannas illas, vt ſaccari ſaporẽ induerẽt, madefaciebamus: prout ante eſt à nobis dictũ cap. 8. vbi de Barbarorũ potu egimus: alii ſuccũ & medullam earũ exſugebãt. Hoc porro loco rẽ multis fortaſſe admirandã narrabo, cannas huiuſmodi nõnunquam muceſcere ſinebamus, & in aqua madefaciebamus, quæ contra ſaccari qualitatem, quam dulciſſimã eſſe nemo ignorat, adeo acida fiebat, vt aceti nobis eſſet loco.

Acetum è cannis ſaccari.

Arundines, quibus Barbari ſagittas ſuas armant.

Similiter in ſiluis nõ raro arundines naſcuntur craſſitudine cruris humani: ſed quemadmodũ ſupra dixi de *Paco-aire*, adeo ſunt teneræ, vt ſingulæ earũ vno ictu gladii ſecentur adhuc ſtantes, aridæ vero tanta duritie, vt fiſſis illis, & in modum chirurgicorũ ſcalprorũ efformatis ſagittas ſuas ita arment Barbari, vt vno iactu feras humi fundant. Sed quãdo de cannis & arundinibus incidit ſermo, Calcõdilus hiſt. de bello Turc. ſcribit in India Orientali arũdines reperiri tantæ magnitudinis ac craſſitudinis, vt nauigii vicẽ præſtent, nõ modo tranandis fluminibus, ſed etiã ſingulę quadraginta tritici medimnos capiant, medimno ſex modios Græcos continente.

Lib 3. c. 14.

Adhæc Matthiolus ſuis in Dioſcoridem commentariis ait, arundinem, quę magna copia in Italia naſcitur, palis vitium apta, ad decem cubitorum altitudinem exſurgere, lanceæ craſſitudine, & pari firmitudine.

Maſtiche.

Maſtiche etiam in hac noſtra America in dumetis naſcitur, quæ vna cum aliis prope infinitis herbis & floribus odoratis, terram ſuauiſſimo odore perfundit.

Americana regio à niue, gelu & grandine immunis.

Quamuis autẽ ea quã incolebamus regio, quæ nimirum Capricorni tropico ſubeſt, à tonitruis horridis (quæ Barbari *Toupan* vocant) imbribus vehemẽtioribus, ventiſq; rapidiſſimis nõ ſit immunis, tamẽ quia nuſquã in ea gelu, nix, nec grando conſpicitur, ac proinde ſuis nunquam ſpoliatur arbores frondibus, vtpote quę frigore non infeſtentur, per totum annũ eo vigent modo, quo menſe Maio ſolẽt apud nos ſiluæ. Præterea quãdo hucuſq; ſum progreſſus, iuuat commemorare, cum mẽſe Decembri non modo breuiſſimi ſint dies apud nos, ſed etiã frigore rigẽtes, manus perflemus, glacieſq; naſo dependeat, tum tẽporis Americanos diebus longiſſimis vti, tãtoq; æſtu torreri, vt ego ſociiq; ad 25. Decemb. fluuiis illum ardorem ſolari cogeremur. Veruntamen, quod ſphęræ nõ ignaris facile eſt intelligere, cum dies ſub tropicis nuſquam tam longi, neq; rurſum tam breues atq; in noſtro climate exoriantur, multo ſunt æquabiliores, multoq; clemẽtiore cœlo vtuntur incolæ. Hæc mihi dicenda fuere de arboribus Americanis.

Arbores aſſidue virentes in America.

Cœlũ ſub tropicis clementiſſimum.

Plantarum, herbarumq; facturus mentionem, ab iis exordiar, quas

cum

tum fructibus,tum effectis alijs antecellere exiſtimo: ac primum quidem planta,quæ fructum *Ananas* edit,forma iri ſimilis, folijs incuruatis, in ambitu diuiſis,ad aloem accedentibus,eiuſdem cum carduo maiore formæ; pomum vero melonis mediocri eſt craſſitudine, nuciſque pineæ forma; in nullam reclinatam partem ad cinaræ noſtræ modum creſcit.

Planta foliúq; Ananas.

Ceterum *Ananas* illa,cum ad iuſtam peruenerunt maturitatem,colore ſunt aureo cæruleũ imitante; odorẽ Idei rubi fructus edit, adeo vt à nobis in ſiluis alijſq; locis,vbi naſcuntur, errãtibus, ex odore facile deprehẽderẽtur: ſapore adeo dulci,vt à nullis ſalgamis noſtris ſuperentur. Itaq; optimũ eſſe totius Americæ fructũ exiſtimo. Ipſe vnũ aliquãdo compreſſi,ex quo cyathum ſucci elicui,qui maluatico vino nihil cedere mihi videbatur: fœminæ vero Americanæ caniſtros iis plenos,quos *Panacons* nuncupant,vna cum *Pacos* illis,de quibus paulo ante mentionẽ feci,alijſq; fructibus ad nos afferebant,quos ſingulos ſingulis pectinibus,aut ſpeculis mercabamur.

Ananas optimus totius Americæ fructus.

Inter ea quæ in America naſcuntur ſimplicia, vnum eſt ꝙ *Tououpinambaultii* noſtri *Petum* nominant: eodẽ cum lapatho maiori noſtro modo creſcit, altitudine nonnihil ſuperat,folijs ab eo non abſimilibus, quæ tamen propius ad Conſolidã maiorem accedunt. Hæc herba ob inſignẽ, quæ eſt prædita,vim, magno apud Barbaros eſt in pretio. Hoc autẽ modo ea vtuntur: Collectã manipulatim in caſis appendunt,& exſiccant,dein quatuor aut quinq; folia alio ampliori folio inuoluta accendũt,oriq; accẽſa admouent,fumumq; attrahũt,quo,licet naribus, labijſq; perforatis exeat, adeo ſuſtentãtur,vt ſi ad bellum proficiſcantur, aut alia vrgeat neceſſitas, eo per triduum,aut quadriduum alantur. Benzo quoq; Noui Orb. hiſt. ait Indos Peruanos peregre profecturos,herbam (quã Coca ipſi appellant) ore clauſam,veluti panchreſtũ quoddã pharmacum,circumferre: quippe eius præſidio freti integrum diem nullius nec cibi, nec potus egentes iter faciunt. Matthiolus quoq; poſt Theophraſtũ ſcribit; Scythas glycyrhiza contentos,abſq; alio alimentorũ præſidio decem,duodecimque dies degere: quę *Petum* Barbarorum noſtrorum nõ male reſpondent. Ea quoq; in alium vtuntur vſum: nã quod è cerebro humores ſuperfluos eliciat, vix vllum ex Barbaris offendas,è cuius collo faſciculus iſtius herbæ non pendeat,cuius fumum continuo abſorbent,etiã cum familiaribus colloquentes: fumus vero (vt ante dictum eſt) per nares,labiaq; pertuſa exhalat, veluti è turibulo: odor vero ille minime eſt grauis. Benzonis itaq; interpres magno errore credidit,hanc eam eſſe herbam,quam Mexicani *Tabacco*, Hiſpaniolæ vero inſulæ incolę *Cozobba* nominant,cuius odorem acutum,& tetrum,atq; adeo Diabolicum eſſe Benzo affirmat. Mulieres hac herba vtentes nunquam animaduerti: cuius quidem rei cauſam ignoro: aſſero autem fumum illum (quem expertus ſum) famem non mediocriter depellere.

Petum admirandæ vires.

Fumus Petum quomodo à Barbaris abſorbeatur.

Lib.3.c.20.

Fumus Petum cerebrum purgat.

Lib.1.c.26.

Ceterum Nicotiana,ſeu Reginæ herba, licet apud nos *Petum* nominetur,tamen ea nõ eſt de qua iã ago: quin imo duæ iſtę plantę,neq; in forma, neq; in viribus vllo conuenire modo, Villę Ruſticæ ſcriptor Gallicus lib.2. c.79. aſſerit,Nicotianã,quę à Nicoto,qui primus eam è Luſitania in Galliã

Nicotiana verum non eſt Petum.

tranſtulit, è Florida allatam eſſe, quæ 200000. paſſuum millibus ab America diſtat tota enim torrida Zona inter vtramque eſt interiecta. Præterea diligenter in pleriſq; hortis, quorum domini verâ *Petum* gloriabantur, perquiſiui, nec tamen hactenus in Gallia noſtra reperi. Ne autem Theuetus (qui non ita pridem Angoliſmenſem ſuam herbam adeo celebrauit, vt veram eſſe Petum affirmet) credat, à me quod ſcripſit ignorari, de ea idem quod de Nicotiana iudico: ſiquidem effigies quam in ſua Coſmographia depingẽdam curauit, plantam referat. Itaq; à me illi non conceditur, quod ſibi aſſumit, ſe primum omnium veræ *Petum* ſemen in Galliam attuliſſe. Quin credo ob cœli inclementiam ægre apud nos adoleſcere poſſe.

Caiou a braſ-ſica. Braſſicarum quoque illic vidi genus, à Barbaris *Caiou-a* nominatum, quibus nonnunquam ius condiunt, folijs eſt latitudine & forma ad Nenufar accedentibus.

Quantum vero ad radices attinet, præter *Maniot* & *Aypi*, ex quibus, vt dixi cap. 8. Barbaræ mulieres farinam ſuam conficiunt, alias etiam habent, quas *Hetich* appellant: quarum non modo ęque ferax eſt Braſilienſe ſolum, atq; Lemouicenſe, & Sabaudicum eſt raparum, ſed etiam radices ipſę ſunt craſſitudine amborum pugnorũ, longitudine ſeſquipedales plus minus. Licet autem primo aſpectu à terra auulſæ vnius generis eſſe videatur, quia tamen inter coquendum aliæ violaceum ceu paſtinacæ, aliæ aureum ceu cotonea mala, aliæ deniq; album colorẽ induunt, trium eſſe generum autumo. Vtut ſit, vere poſſum affirmare has radices præſertim, quæ aureo ſunt colore, in cineribus coctas piris noſtris, vel optimis bonitate non cedere. Earum folia, quæ hederæ terreſtris more humi ſerpunt, folijs cucumerum, aut latiſſimorum ſpinaciorum ſimilima, colore tamẽ differunt, propius ad vitem albam accedente. Ceterum quia ſemine carent, Barbaræ mulieres, quibus eſt curæ radicum iſtarum propagatio, minimo negotio (rem in agricultura inauditam) eas ſerunt minutatim: ſiquidem conciſas inſtar paſtinacarum, quibus in acetarijs vtimur, ſerunt: quæ fruſtula non multo poſt totidem gignũt craſſas radices *Hetich*, quod in terram fuerunt iniecta. Tametſi quia cibarium eſt terræ illius præcipuum, paſſimq; peregrinantibus occurrunt, eas etiam ſponte naſci exiſtimo.

Hetich, radices optima & magna copia.

Mira multiplicandarum Hetich radicum ratio.

Manobi auellanarum nucum genus ſub terra naſcentium. Barbaris quoque fructuum genus eſt, quod illi *Manobi* vocant, qui ſub terra naſcuntur more tuberum, tenuibuſq; filamẽtis inter ſe deuinciuntur, nucleum auellanæ amplitudine & ſapore habent: colore tamen leucopæo, putamine piſi ſiliqua non firmiore. An vero folia, ſemenque proferat hic fructus, quamuis ſæpius eo veſci mihi contigerit, non tamen adeo à me eſt obſeruatum, vt memoria repetere poſſim.

Matthiolus quarundam auellanarum Indicarum meminit, quę à Serapione, inquit, Fauſel nominantur, nuci myriſticæ perſimilium, in quodam inuolucro creſcunt Bombycis non abſimili, quæ frequenter inter alia aromata ex India aduehuntur.

Piper Indicum cornutum. Præterea illic quoq; magna eſt cõpia Indici piperis, non oblongi (ſicut magno errore meo à Neuſtrijs nautis accepto, ſuperioribus editionibus

ſcripſe-

ſcripſeram) ſed cornuti, à quibuſdam (inquit Matthiolus, à quo etiam eſt optime depictum) Siliquaſtrum appellati, quod ſit guſtui acerrimum: folijs, vt idem ait, hortenſi Solano ſimilibus, paulo tamen amplioribus, caule cubiti magnitudine, viridi colore, albicante & geniculato: floribus albicantibus, fructu longo corniculorum inſtar, qui primo exortu vireſcat, maturus vero adeo ruffeſcat, ac læuore quodam ita pelluceat, vt corallum referat, & in quo concludatur pumilum ſemen lentium modo compreſſum, vſque adeo acre, præſertim antequam ſit exſiccatum, vt ſi quis manu attrectet, eamque poſtea ori, alijve corporis parti admoueat, puſtulæ ſtatim exſurgant, quod & ipſe experimento didici. Quo fit, vt mercatores noſtrates ad tincturam tantum eo vtantur. Barbari vero noſtri cum ſale, quem conficere optime norunt, à qua in foſſis ad id reſeruata, piper illud conterunt: compoſitionem illam *Ionquet* appellant, qua eodem modo, quo nos ſale in cibis vtuntur, non tamen quod *Ionquet* buccellæ, antequam in os ingerant, applicent: buccellam enim ante, poſt vero *Ionquet* ſummis digitis apprehenſum, vt cibo ſaporem addat, ori imponunt. *Piper Indicum cornutum.* *Ionquet ſal Barbarorum.*

Denique creſcit quoque in illis terris fabæ genus, pollicis craſſitudine, à Barbaris *Commenda-ouaſſou* appellata piſa quoque alba, & leucopæa, quæ *Commanda-Miri* nuncupant, citrullæ quoque rotundæ, nomine *Maurongaus*, ſuauiſſimi cibi. *Commenda-ouaſſou, faba ampla.* *Commanda-miri, piſa minora.* *Maurongaus, citrulli.*

Hæc ſunt non quidem, quæ in vniuerſum de arboribus, herbis, & fructibus Americanis dici poſſunt, ſed quæ à me ſunt obſeruata per annum, quo illic vixi.

Deniq; ſicut eſt à nobis dictum, apud Americanos, quadrupedes, nullas aues, piſces, nulla denique animantia per omnia Europæis noſtris reſpondere: ita nunc aſſero, quantum per ſiluas & agros errando experiri mihi datum eſt, nullas eſſe arbores, aut herbas, nullos denique fructus, qui à noſtris non ſint diſſimiles, his tribus exceptis plantis, portulaca, ocymo, & filice, quæ in quibuſdam locis naſcuntur. Quapropter quotieſcunque noui illius Orbis imago ob oculos obuerſatur, aëriſque temperiem, animantium multitudinem, auium varietatem, arborum & plantarum elegantiam, fructuum denique bonitatem animo recolo, toties Prophetæ iſta Pſal. 104. exclamatio mihi in mentem venit: *Arbores, herbæ fructuſque omnes Americani à noſtris, exceptis tribus, differunt.*

O quæ vis fuit illa, quæ poteſtas
Quæ prudentia multiplex, creandis
Tot rebus, ſimul, & ſimul regendis!
Nam quacunque patet globoſa tellus,
Vis quoque imperii tui pateſcit.

Ergo Beatos terræ illius incolas prædico, ſi verum iſtorum omnium Conditorem agnoſcerent. Atqui ad res deſcribendas me accingo, quæ plus æquo, quam ſint ab eo alieni demonſtrant.

Cap. XIII.

De bello, prœliis, & fortitudine, & armis Barbarorum

Qvanqvam *Tououpinambaultii Toupinenquin* noſtri bellum immortale gerunt aduerſus varias finitimas gentes, pro more reliquorum omnium Barbarorum, quartam illam
Americæ amplitudo. Orbis partem incolẽtium, quæ à Magellanico freto (quod ad 50.grad. vltra Antarcticum Polum iacet, vſque ad terras Nouas, quarum ſitus eſt ad 60.grad. citra eundem Polum) latitudine citra quadragies centena paſſuum millia occupat: proximi tamen & infenſiſſimi eorum hoſtes ij ſunt, qui *Margaiates* appellantur, quiq; eorum ſunt ſocij Luſitani, quos *Peros* appellant. Sicut etiam *Margaiates*, non modo *Tououpinambaultiis*, ſed etiam Gallis eorum ſocijs ſunt capitales hoſtes. Non tamen quod Barbari iſti de finibus propagandis bello certent
Americanis quæ cauſa belli. (plures enim agros quam opus ſit occupant) aut de diuitijs ex ſpolijs, redemptionibus, armiſq; deuictorum parandis, cogitent. Hæc, inquam, eos minime mouent. Prout enim fatentur omnes, non alio permouentur affectu, quam vt parentum, amicorumque iam olim captorum, & ab hoſtibus eo qui à nobis dicetur modo, deuoratorum, mortem quam ſeueriſſime vlciſcantur. Cui ſtudio tam pertinaciter adhærent, vt quiſquis eorum in hoſtium manus inciderit, eandem pœnam neceſſario expectet, nimirum fore vt mactetur, deinde deuoretur. Præterea vbi primum inter quoſdam ex iſtis populis bellum eſt indictum, in eo conſentiẽtibus omnibus, hoſtem, cui illata ſit iniuria in perpetuum de ea vlciſcenda cogitaturum, ac proinde ignauiæ tribuendum eſſe, ſi in ſuam redactum poteſtatem impune dimittant: eorum inimicitiæ adeo ſunt inueteratæ, vt in gratiam in-
Barbari in gratiam cum inimicis reduci non poſſunt. ter ſe reduci nunquã poſſint. Merito itaq; dicemus Machiauellum, eiuſq; diſcipulos (quibus hodie magno ſuo malo ſcatet Gallia) Barbaras iſtorum actiones imitari. Cũ enim ἄθεοι iſtic contra doctrinã Chriſtianam & docẽt, & ad praxim reuocant, recenti gratia veteres iniurias non eſſe abolendas, hoc eſt, homines Dæmonum ſimiles alios alijs parcere nunquam debere, annon ſatis declarant animos ſuos tygribus eſſe ferociores?

Ratio autem, qua *Tououpinambaultii* noſtri ad bellum profecturi conueniunt, hæc eſt quantum obſeruare mihi licuit. Etſi Reges aut Principes inter ſe nullos habent, ſed pares ſunt ferme dignitate, tamen hoc illis à natura inditũ eſt (quod etiã à Lacedæmonijs exactiſſime olim eſt obſeruatũ) vt ſeniores, quos *Peorerupicheh* nominant, propter rerum experientiam ſuſſpiciant & obſeruent: in ſingulis itaq; pagis non aſpernandum illis præſta-
Braſilienſes ſenioribus obſequiũ præſtant. tur obſequium. Oblata hi occaſione, vel inambulantes, aut lectis ſuis penſilibus xylinis inſidentes, ceteros his aut ſimilibus hortantur verbis:
Seniorum Americ. oratio. Ergóne (inquiunt alternatim loquentes, ſermone minime interrupto) maiores noſtri, qui tot hoſtes non modo debellarunt, ſed etiã deuicerunt, & mactarunt, & deuorarunt, exemplo nobis fuere, vt perpetuo domi deliteſcamus? Gentémne noſtram, quæ tanto olim ceteris omnibus fuit terrori,

rori, vt eius conſpectum ferre minime potuerint, magno noſtro cum dedecore, tanto affici probro patiemur, vt in laribus ipſis noſtris ab hoſtibus bello petamur? Noſtráne ignauia committemus, vt *Margáiates* & *Peros-engaipa* (hoc eſt, illæ gentes nequam) primi in nos impetum faciant? Tum orator ille, manibus humeros, & nates plaudens, cum exclamatione hæc addit verba: *Erima, Erima, Tououpinambaults, Conomiouaſſou Tan, Tan*, &c. hoc eſt, nequaquam populares mei, adoleſcentes fortiſſimi, ita nobis eſt agẽdum: quin potius ad certamen nos inſtruamus, mortiq; & mactationi nos deuoueamus, aut noſtros vlciſcamur.

His ergo ſeniorum orationibus, quæ aliquando in ſex horas producuntur, auditores, qui attentiſſime audiunt, adeo vt ne ſyllaba quidem illis excidat, & animo & viribus aucti, in ſingulis pagis ſe inuicem compellantes, ad præfixum locum quam celerrime poſſunt magno numero conueniant. Verum antequam *Tououpinambaultios* noſtros ad prœlium deducamus, quibus ſint armis inſtructi dicendum eſt.

Tacape, genus clauæ ligneæ.

Ac primum quidem *Tacapes*, hoc eſt clauas, aut enſes rubro, alias nigro ligno fabricatos habent: longitudine vulgo ſunt quinque aut ſex pedum, extrema parte orbiculatæ, aut ouali figura, latitudine pedali, craſſitudine digiti pollicis in media ſui parte, oræ vero commodiſſime exacuatæ, ſiquidem ex grauiſſimo ligno, quale eſt buxum, ſunt confectæ, ſecuris acutiſſimæ aciei perparum cedunt. Adeo vt facile credam vnicum *Tououpinambaultium* iſtiuſmodi claua armatũ, ac furore percitum, multum negotij duobus gladiatoribus noſtratibus exhibere poſſe.

Orapat, arcus.

Arcus inſuper habent, quos *Orapats* nominant, ex eodem ligni genere, rubro nimirum & atro fabricatos: ij longitudine & craſſitudine noſtros adeo ſuperant, vt eos nec tentare, nec adducere vllus noſtrûm poſſit: quin potius imo totis viribus puerorum decem annorum arcubus curuandis opus eſſe. Pro neruis ea eſt illis herba, quam *Tocon* vocant, quæ licet admodum ſit exilis, tanta tamen eſt firmitudine, vt equi vires ferat. Sagittæ ſunt vlnali longitudine: tribus iuncturis perficiuntur: media pars ex arundine, reliquæ vero duæ è ligno ſunt nigro: ſegmina porro illa adeo concinne quibuſdam arborum corticibus colligantur, vt firmius agglutinari nequeant. Plumulas duas illis applicant pedali longitudine, quas filo xylino, quod gluten apud eos non ſit in vſu, conſtringunt: oſſa præacuta mucronibus aptant: aliquando arundinis ſiccæ fruſtulum palmi longitudine in modum ſcalpri dolatum: nonnunquam raiæ piſcis caudæ extremum, quæ, vt alibi dixi, maxime eſt venenata. Ex quo vero Galli & Luſitani in eas regiones commeant, recepto eorum more Barbari ſagittas ferreis ſpiculis, aut ſaltem clauis acutioribus firmare aſſueuerunt.

Tocon, herba arcubus neruorum loco.

Sagittarum longitudo.

Americani ſagittarii periti ſsimi.

Iam dictum eſt quæ ſit illorũ in verſandis clauis illis ſuis dexteritas: ad arcus vero quod attinet, confido fore vt ij omnes, à quibus ſunt conſpecti Barbari, confirmẽt eos nudis brachijs tanta celeritate, tamq; certo ictu iaculari, vt (ꝙ bona Anglorũ pace, qui tamẽ peritiſſimi ſagittarij habentur, dictum ſit) ſagittis ſuis manui qua arcũ tenẽt impoſitis, duodecim ab illis citius quam ab Anglis ſex fuerint emiſſæ.

Parma coriacea. Poſtremo parmas habent ex tergo *Tapi-rouſſou*, cuius iam ante memini, latas, planas, & rotundas ad modum fundi tympani Germanici. His inter prœliandum non obteguntur ad eum, qui ſolent milites noſtri, modum, ſed ijs dimicādo ſagittas hoſtium excipiunt. Hæc vero ſunt vniuerſa Americanorum arma: neq; enim alijs armaturis corpus ſuum obtegunt: quin contra (exceptis plumaceis pileis, armillis, breuibuſq; aliis indumētis quibus corpus ſuum, vt ante dictū eſt, exornāt) ſi vel induſio eſſent induti ad prœlium profecturi, confeſtim illud exuerent, veriti ne illo intricarentur.

Ferreos enſes Barbari parui faciunt. Vt autem ſermoni de armis Barbarorum finem imponam, illi ſiquando à nobis enſes ferreos accipiebant, ſicut *Mouſſacat* cuidam ex meis vnum dono dedi, ſtatim vaginas procul abijciebant: idem quoq; acceptis cultris factitabant, eorum fulgore delectabantur, aut ad abſcindendos arborum ramos vtiliores, quam ad pugnam cenſebant: ac ſane, vt à me dictum eſt, optime ſuis verſandis eos eſſe exercitatos, commodius illis vtuntur.

Ceterum tormēta aliquot minimi pretij eò deuexeramus: Hæc Barbari terni ſingula diſplodebāt, vnus manibus impoſitum ad deſtinatum intentabat, alter collimabat, tertius ignem admouebat. Tamen quia cannā ad os vſq; complebant, niſi carbo contuſus pulueri tormentario à nobis fuiſſet admixtus, magno eorum periculo tormētum fuiſſet diſruptum. Ad hæc nolo prætermittere, Barbaros, cum primum tormētorum maiorum, & minorum ſtrepitum audirent, quodammodo territos fuiſſe, præſertim cum nonnullos ex noſtris auem ex arbore deijcientes videbant, feramve humi ſternentes plumbea glande, quam ipſi nō cernebant, tamen arte cognita, hæc reformidare deſierunt: dicebant enim ſe celerius ſagittas ſex iaculari poſſe, quam quis tormentum ſemel aptaret. Si quis autem obijciat tormentum longe altius penetrare: Reſpondeo, nec thoraces bubalinos, nec hamis conſertos ſagittæ à Barbaris emiſſæ impetū ferre, quin ea æque ac glande tormentularia traijciantur. Veruntamē quia commodiori loco hæc à nobis dici poterunt, cum ad Barbarorum prœlia ventum erit, ne confuſe agam, iam Barbarorum copias ad prœliandum educo.

Seniores Barbari agminis duces. Ea qua dictum eſt ratione coactis, ad octo aut decem capitum millia, mulieribus non paucis, non ad prœliandum quidem, ſed ad impedimenta, & commeatus comportandos, in caſtra conuenientibus, ex ſenioribus ij, qui hoſtes maximo numero interfecerunt, & deuorarunt, copijs præficiuntur: quibus ducibus itineri ſe accingunt. *Barbari ſine ordine, inconfuſe tamen incedunt.* Quamuis autem incedant nullo ordine, tamen cum iter faciunt conglobati, fortiſſimis primā aciem occupantibus, mirum eſt quā cōmode vniuerſa illa multitudo, ſine tribuno & menſore ſe recipiat, ita vt ſigno dato celerrime in aciem conueniat.

Inubia, cornua ingentia. Ceterum nonnulli ſunt, qui cornibus, quæ ipſi *Inubia* vocant, ſeſquiulnæ longitudine, & craſſitudine haſtæ noſtratis ab inferiore parte palmi latitudine, inſtar buccinæ milites cient, tum patria excedentes, tum etiā caſtra mouentes. *Fiſtulæ ex oſſibus humanis.* Nonnulli etiam fiſtulas ex oſſibus hoſtium, olim mactatorum & deuoratorum gerunt, quibus aſſidue in itinere canunt, vt ſociorum animos excitent, ſtudiumq; hoſtes conſimiliter mactandi, augeant.

Si


Si vero, quod frequēter contingit, nauigio expeditionem in hoſtes facere placeat, littora legūt, nec alto mari ſe committūt. In ſuis vero ſe lintribus diſponunt, eos *Ygat* nominant, ſinguli conſtant ex ſingularum arborum cortice detracto in hunc vſum deſtinato, tantæ tamē amplitudinis, vt ſinguli quinquagena capiāt hominum capita. Itaq; ſtantes pro more ſuo nauigium agunt remo vtrinq; plano, quem medium comprehendunt. Hi porro lintres cum plani ſint, minimo negotio aguntur. Eorum tamen in alto mari, vel oborta tempeſtate vſus eſt nullus. Sed in ſumma malitia Barbaris noſtris ad militiam proficiſcentibus, claſſem ſexaginta huiuſmodi lintribus conſtantem conſpicias. Hi tamen celeri æquor percurrunt motu, vt mox oculos fugiāt. Atq; hi ſunt exercitus *Toupinenquin* terra marique. *Ygat, linter corticeus.*

Hoc inſtructi modo quinquaginta nonnunquam paſſuum millia in hoſtiū fines progrediuntur. Primoq; hoc vtuntur ſtratagemate fortiſſimi quique, ceteros cum mulieribus, & impedimētis poſt ſe relinquunt itinere vnius, aut duorum dierum: ſummo cum ſilentio accedunt, ſiluaſq; occupant inſidias hoſtibus ſtruētes, quibus adeo ſunt intenti, vt nō raro per 24. horas illic deliteſcāt. Hoſtes vero, ſi ex improuiſo fuerint adorti, quotquot viri, fœminæ, ac pueri occurrunt, non modo deducuntur, ſed etiam mactantur ab hoſtibus in patriā reducibus, fruſtatimq; *Boucan* imponuntur, ac tandem deuorātur. Atq; eo facilius incautos opprimunt, quod pagi (nam vrbes nullæ ſunt illis) mœnibus non cinguntur, caſarumq; (quæ tamen 80. aut 100. paſſus in longitudinem protēduntur) fores nullæ ſunt, earum vero loco palmarum ramos, aut herbæ *Pindo* caulem ad ianuas ſuas apponunt. Quoſdam tamē pagos, qui hoſtibus ſunt contermini, iam palis ex palmis longitudine 6. pedum munire & circumuallere didicerunt, præterea ſtipitibus lingneis præacutis muricum loco aditus muniunt: itaque ſi hoſtes noctu aggredi pagos illos voluerint, quod illis eſt familiare, pagani tum in eos tuta via irrumpunt, quo fit vt ſiue pugnam, ſiue fugam capeſſant, nuſquam euadant, quin aliqui pedum vulneratorum dolore proſternantur, qui confeſtim ab paganis torrentur, & eduntur. *Primum Barbarorum ſtratagema.*

Si vero aperto Marte pugnare contendunt, copijs vtrinq; eductis, vix credibile eſt quam atrox, quamq; horrendum ſit prœlium: cuius ipſe ſpectator fui, ac proinde merito de eo referre poſſum. Ego cum Gallo altero, paulo curioſius, magno noſtro periculo (ſi enim à *Margaiatibus* capti aut læſi fuiſſemus, deuorationi fuiſſemus deuoti) Barbaros noſtros in militiā euntes comitari volui. Hi numero 4000. capita cum hoſtibus ad littus decertarunt, tanta ferocitate, vt vel rabidos & furioſos quoſque ſuperarent.

Tououpinambaultii, cum primum hoſtes conſpexēre, in tantos tamque editos vlulatus perruperūt, vt qui lupos hic venantur, cum illis vlulatibus comparandos minime edant: clamor vero aërem adeo feriebat, vt tonitru vix exaudiri tum potuiſſet. Accedentes vero propius clamores ingeminabant, cornibuſq; concrepabāt, fiſtulis deniq; canebant, minas alij in alios intentabant, oſſaque mortuorum hoſtium oſtentabāt: dentes item quorum nonnulli filo traiectos vltra vlnas duas collo appēſos gerebāt: deniq; *Ad prœlium venientium Barbarorum vlulatus.* *Oſſium mactatorum oſtentatio.*

geſtibus horrorem ſpectantibus incutiebant. Ad manus autem vbi ventum eſt, longe in peius res ruere: tanta enim ſagittarum nubes eſt vtrinq;



Barbari ferociſsimi. emiſſa, vt muſcas volantes multitudine imitarentur. Saucii vero non pauci ſtrenue tela à corpore auellebant, quę rabidorum more canum mordebant, nec tamen propterea prœlio abſtinebant. Hæc enim gens adeo fera eſt, & truculenta, vt tantiſper dum virium vel tantillum reſtat, continuo dimicent, fugamque nunquam capeſſant. Quod à natura illis inditum eſſe reor. Etenim à Nobili quodam accepi viro Gallo, qui militiam colit, bellorum ciuilium noſtrorum tempore, in legionibus Gallicis Americanos milites duos fuiſſe, qui ſtrenue & fortiter ſe gerebant: quapropter à Centurionibus plurimi fiebant. Quod tamen in eam accipi partem nolim, quaſi affirmarem nullos in illis reperiri poſſe, qui ignauiam Aſianorum, mollitiem Europæorum aut Afrorum imitarentur: aſſidua enim exercitatio militem ſtrenuum facit. Vtut ſit, vbi manus cum hoſtibus *Toüoupinambaultii* conferre ceperunt, clauis illis ſuis vtrinque acerrime ferierunt,

runt, adeo vt obuium quemque non modo humi ſternerent (non ſecus ac lanij boues) ſed etiam penitus mactarent.

Vtrum generoſius inſideant equis an non, à me non quæritur: Lectorem enim memorẽ eſſe credo eorum, quæ ſuperius à me dicta ſunt, equis alijſq; iumentis Barbaros penitus carere, ac proinde pedites omnes incedere. Ego vero, qui alias ſæpe equum mihi optaram, quẽ Barbaris conſpiciendum præberem, tum ſane optimum cui inſiderem, præſentiq; me periculo liberarẽ, votis omnibus exoptabam: quippe mihi fit veriſimile, Barbaros, ſi cataphractũ militem noſtratẽ equo generoſo inſidentẽ, ignemq; hinc è tormentulo erumpentem, illinc vero equum reſilientem conſpicerent, *Aignan*, hoc eſt, cacodæmonem adeſſe credituros. Tametſi à quodam memoriæ eſt proditum, magnum illum Attabalipam Peruenſium Regẽ, quamuis equum ante conſpexiſſet nullum, tanta fuiſſe animi magnitudine, vt Piſarro (qui cum vt ſe oſtentaret, tum vt Indos Attabalipam ſtipantes perterrefaceret, continuo equum ſuum glomerato greſſu ſolo inſultãtem agitabat) propius ad Regem accedente, ſpumaque ab equi ore in Regis vultum deſiliente, minime tamen commotum fuiſſe, quin morte plecti eos imperaſſe, qui equi horrore ſtupefacti terga vertiſſent. Quæ res (inquit hiſtoriographus) Barbaris fuit terrori, noſtris vero admirationi.

Barbari equos ſi viderent quid de illis ſentirent.

Hiſt. Gent. Ind. lib. 4. c. 113.

Iam vero, vt narrationis ſeriem repetam, ſi quis quærat quid tu comeſque tuus tantiſper dum prœlium committebatur, annon vna cum Barbaris dimicabatis? Ingenue fateor nos, qui adeo imprudenter Barbaros eſſmus comitati, imprudentiam illam altera cumulare noluiſſe, ſed paullum à conflictu remotos, ſpectaculo illo contentos fuiſſe. Teſtor interea me, qui non ſemel tum equitum tum peditum copias ingentes in aciem inſtructas, hîc conſpexi, tanta nunquam voluptate videndis peditum legionibus armis fulgentibus, quanta tum pugnantibus iſtis *Tououpinalbaultis* perfuſum fuiſſe. Præterquam enim quod ſibilantes, ſaltantes, & celeriter admodum & dextre ſeſe in orbem glomerantes iucundiſſime ſpectabantur, accedebat inſuper telorum nubes denſiſſima, quorum pennæ rubræ, cæruleæ, virides, roſeæ, aliorumq; id genus colorum, ſoli obiectæ radiabant, veſtes item, pilei, armillæ, ceteraque ex plumis compacta ornamenta, quæ mirum in modum ſpectantium oculos fulgore feriebant.

Corpore tela ʒ Barbarorum ornata.

Hoc prœlio trium horarum ſpatio confecto, multis vtrinque cæſis & ſaucijs, *Tououpinambaultii* noſtri victoriam reportarũt, captiuoſque, cum viros tum fœminas plus minus triginta ad ſuos deduxerunt. Nos vero qui officium aliud præſtiteramus nullum, niſi quod ſtrictis gladijs, tormẽtuliſque, vt Barbaris animos adderemus, nonnunquam diſploſis prœliantes ſpectaueramus (quod maxime gratum ſit illis, ſi cum ipſis ad bellum proficiſcantur hoſpites) tantam de nobis concitauimus opinionem, vt ab eo tempore ſeniores peculiari nos beneuolentia & amore ſint complexi.

Captiuis itaq; in medio agmine collocatis, nonnulliſq; ex robuſtioribus funibus vinctis, ad Ganabaræ ſinum tendimus, à quo paſſus circiter xxiv. M. aberamus. Vndiq; vero ex fœderatis permulti ſaltantes, tripudiã-

Captiui vincti. Barbarorum ob victoriam reportatam plauſus.

tes,& plaudentes nobis gratulatum obuiam veniebant. Denique cum ad locum inſulæ noſtræ oppoſitum peruenimus, ego comeſque meus ſcapham conſcendimus,ad caſtellumque noſtrum reuertimur. Barbari vero in continente pagos ſuos ſinguli repetiere. Paucis poſt diebus Barbari quidam ex ijs,qui captiuos apud ſe habebant,ad caſtellum noſtrum acceſſere, quos per interpretes rogamus, vt mancipia aliquot Villagagnoni vendãt. *Captiui à Gallis erepti.* Sic captiuorum pars magna ex Barbarorum faucibus eſt erepta: ægre tamẽ,& inuitis Barbaris. Quod mihi non multo poſt eſt apertiſſime indicatum. Mulierem quandam cum puerulo ſuo vix dum bimulo emebam, pretium erãt merces quędam, quarum ęſtimatio ad tres libellas Francicas accedebat, venditor autem meus ita conquerebatur: Quid in poſterum futurus ſit neſcio, ex quo autẽ *Paycolas* (ſic Villagagnonem nominabant) huc appulit, vix dimidiam captiuorum noſtrorum partem comedimus. Puerulũ illũ mihi reſeruare vehementer cupiebã,ſed Villagagno,reſtitutis mercibus meis, & matrem & filiũ vendicauit. Matri nõnunquam dicebã fore, vt cum mare tranſmitterem, puerulum huc tranſportarem. Illa vero (adeo vindictæ repoſcendæ animis gentis illius hæret cupido) reſpõdebat malle ſe, vt à *Tououpinambaultiis* voraretur, quam vt in tam remotas terras deportaretur: ſperare ſe, vt grandior factus ad populares ſuos quoquo modo elapſus ſe reciperet, ac cognatorum ſuorum mortem vlciſceretur. Nihilominus tamen (vt antea à me eſt dictum) è quadraginta aut quinquaginta mancipijs, quibus ad caſtelli noſtri munitionem vtebamur, decem pueros ſelegimus, quos nauibus impoſitos ad Henricum ſecundum tum Galliarum regem miſimus.

CAP. XIV.

Captiuos ſuos quo tractent modo Barbari, quibuſque ceremoniis in iiſdem mactandis & edendis vtantur: quibus per occaſionem immaniſſimæ crudelitatis alia exempla adiecta ſunt.

Captiui quomodo excipiantur ab hoſtibus. NVNC ſupereſt vt dicamus, quonam modo captiui à victoribus excipiantur. Vbi primum in victorum fines ſunt deducti, nõ modo exquiſitiſſimis aluntur cibis, ſed etiam vxores viris dantur (nõ autem viri fœminis) imo non dubitabitis, qui captiuum apud ſe habet, filiam ſuam aut ſororem in vxorem illi dare, quæ viro diligentiſſime miniſtrabit. Ceterum cum mactationis tempus nõ ſit præfixum, ſed modo citius, modo tardius expediantur, prout fuerint vtiles, viri quidem aucupio, venationi, & piſcatui: fœminæ vero hortis colendis, aut oſtreis colligendis: omnes tandem ſuum more ſaginatos mactant, vorantque his ritibus.

Ad captiui mactationem conuentus. Primum finitimis omnibus res denuntiatur, tum virorum, fœminarum, puerorum fit concurſus ad locum, vbi eſt futura mactatio. Ibi matutinũ tempus potando tranſigunt. Inter quos captiuus ille, quẽ non latet eã in ſe cudi fabam, plumis ornatus, non modo mortem non horret, quinimo ſaltando, bibendo, ridendo reliquos ſuperat. At poſtquam per ſex aut ſeptem

ſeptem horas vna cum ceteris perbacchatus fuerit, duo treſve ex robuſtiſſimis eum arreptum funibus xylinis, aut ex arboris illius cortice (quam *Yuire* vocant, quæq; tiliæ eſt perſimilis) medium, minime renuẽtem, quamuis vtroque ſit brachio ſoluto, conſtringunt, perq; pagum quaſi in triumphum deducunt. At vero num putas propterea eum caput demittere, vt ſolent hîc ſontes? minime vero id quidem. Quin contra incredibili audacia res ſuas geſtas apud eos, à quibus conſtrictus detinetur enumerat his verbis: Ego, ego ipſe fortiſſimus, ſic veſtros olim cognatos vinxi, tum ſe laudibus magis ac magis euehens, modo in hanc, modo in illam conuerſus partem, alium quidem ita compellat: Heus tu, patrem tuum ego voraui, alium vero, ô bone, fratres tuos mactaui & *Boucanaui:* tot denique viros, fœminas, puerulosque, ex vobis *Tououpinambaultiis* bello à me captos deuoraui, vt numerum aſſequi non poſſim. Ceterum ne ignorate, populares meos *Margaiates* tot in poſterum mactaturos eſſe, quot è vobis intercipere poterunt: atque ita mortem vlciſcentur meam.

Captiuus vinctus per vicum circumducitur.

Tandem, poſtquam omnium oculis ſatis ſuperq; fuit expoſitus, duo illi lictores, à quibus conſtrictus tenetur, circiter tres vlnas ab eo recedunt, funem tamen pari longitudine firmiſſime vterque contrahit, adeo vt captiuus gradum præciſe ſiſtere cogatur, progredi autem aut regredi minime poſſit. Vincto lapides aut teſtæ confractæ adferuntur. Tum lictores parmis ex tergo *Tapirouſſou* (cuius ante memini) ſeſe obtegunt, captiuumq; his compellant verbis: Mortem tuam ante obitum vlciſcere: ille confeſtim lapides in eos ſummo impetu contorquet, qui ſe circumſtant, quorum numerus plerunque ad quatuor millia accedit. Ex his minime eſt quærendum quam multi vulnerentur. Equidem in vico quodam, quem *Sarigoy* appellant, vidi captiuum eiuſmodi tanto impetu lapide mulieris crus pertigiſſe, vt confractum illud eſſe crederem. Porro lapidibus, ac ceſpitibus, quos potuit colligere, abſumptis, prodit is qui mactationi ſe accingit, quique per totum diem latuerat, clauam ligneam plumis decoram in manibus gerens, pileo quoq; ac cæteris ornamentis plumeis ornatus: atque ad captiuum accedit, eumque his compellat verbis: Annon ex *Margaiatium* es gente nobis infenſiſſima? Annon tu ipſe ex noſtris amicis & cognatis cõplures mactaſti, ac deuoraſti? Cui captiuus, animo quã antea longe præſentiore, ſua ſic reſpondet lingua (*Margaiates* enim à *Tououpinambaultiis* ſermone non ſunt diſſoni) *Pa che tan tan aiouca atoupauè*, hoc eſt, vtique ſum fortiſſimus, atq; ex veſtris quam plurimos mactaui & deuoraui.


Captiuus præciſe reuinctus, mortem imminentem vlciſcitur.

Mactatoris cum captiuo colloquium.

Deinde, quo magis hoſtes ſuos vrat, vtraque manu capiti impoſita, in hæc erumpit verba: O quam ſtrenue in eo me geſſi! O quam gnauiter veſtros bello laceſſiui, cepique, quos pene innumeros voraui! aliaq; id genus multa ſubiungit. Mactator vero addit, Idcirco tu, qui in noſtra es poteſtate, mox à me mactaberis, *Boucanoque* aſſatus à nobis voraberis. Quid tum? (inquit ille, ne fractiori quidẽ animo pro ſua gente mactationẽ ſubire paratus, ac Regulus ille quondam pro Rep. Romana mortem oppetijt) mei quoque cognati mortem vlciſcentur meam. Ad hæc vt pateat iſtos mor-

Mira captiui confidentia mortem contemnentis.

tem (quam tamen mirum in modum reformidant) prorſus contemnere, quod beari ſe credant publico illo & ſolenni ſupplicio: exemplo rem confirmabo. Forte in pago quodam Inſulæ maioris, quam *Piraui-iou* nuncupant, diuerti, mulieremque offendi mox iſto ſupplicij genere interituram, ad hanc accedo propius, moneo vt ſe *Toupan* commendet (nam ad il-



lius captum ſermo erat accommodandus. *Toupan* vero non Deum, ſed tonitru ſonat) atq; ad eum, prout à me docebatur, preces conciperet. Illa vero nutante capite me deridens reſpondit: quid vero mihi es daturus, ſi id quod vis exequar? Tum ego, Miſerrima muliercula, mox rerum omnium iſtarum vſus tibi nullus erit: itaque de anima tua quam immortalem eſſe credis (quod faciunt Barbari omnes, vt mox ſequenti capite dicemus) ſerio cogitato. Illa vero rurſum me irridens, eſt mactata.

Barbara mulier mortem contemnit.

Sed vt ad rem redeam, varijs diſceptationibus vltro citroque habitis, nonnunquam inter colloquendum, mactator qui præſto adeſt, claua lignea vtraque manu in altum ſublata, orbiculo extremo, captiui caput totis

Captiuus vno ictu mactatur.

tis

tis ferit viribus, adeo vt pauciſſimo ſanguine effuſo, altero ictu non ſit opus. Hinc prouerbium illorum, quod iam apud Gallos noſtros erat in vſu, Confringam tibi caput, pro eo quod ſolent altercantes milites aduerſario minitari his verbis: Ego te confodiam.

Barbarorum prouerbium à Gallis vſurpatum.



Captiuo in hunc modum mactato, ſi coniugatus erat (vxores enim nonnunquam illis dari diximus) vxor illius cadaueri adhærens, aliquantulum luget, aliquantulum inquam: nam Crocodilum imitatur, quem ferunt antequam hominis à ſe necati cadauer deuoret, lachrymas emittere ſolitum. Non abſimili modo illa, póſtquam lachrymis extortis luctũ ſimulauit, viri ſui carnibus omnium prima niſi quis anteuertat, veſcitur. His ita geſtis reliquæ mulieres, præſertim vero anus (quæ cũ ſint humanarum carnium appetẽtiores, iuniores continuo eos, à quibus captiui detinentur, hortari ſolent, vt confeſtim morti addicant) aquam feruentem admouentes ad cadauer accedunt, quod adeo fricant, lauant, & calida perfundunt, vt cute ſublata pari ſit cum nefrendibus aſſandis candore.

Luctum ſimulat vxor captiui mactati.

Captiui cadauer non ſecus ac frens calida perſunditur.

Cadauer captiui incredibili celeritate in fruſta ſecatur.

Barbarorum pueri cur hoſtium ſanguine illinantur.

Deinde captiui dominus, aſſumptis ſecum quanto numero viſum fuerit ſocijs, cadauer diuidit; ac tãta celeritate fruſtatim diſcerpit, vt lanius apud nos vix reperiatur vllus, qui veruecem celerius in fruſta ſecare poſſit. His accedit, quod prout venatores hic cerui capti viſcera canibus venaticis porrigunt, Barbari conſimiliter hoſtium ſuorum mactatorum ſanguine liberos illinũt ſuos, vt ad ferociam crudelitatemq; animos illis addant.

Iudæorum immanis crudelitas.

Hæc porro immanis crudelitas, apud Barbaros frequentiſſima, per ſe eſt quidem abominanda. Atqui portentoſius id eſſe videtur, quod patratum à Iudæis fuiſſe legimus (quos tamen humanitate ceteras gentes antecellere par erat, prohibito à Deo ſanguinis eſu) Illi enim tumultibus concitandis, vt tradunt hiſtoriæ, deditiſſimi, Traiani tẽporibus adeo horrendas ſeditiones excitarunt, eoque crudelitatis & immanitatis proceſſerunt, vt cæſis quadraginta hominum millibus in Ægypto, Cyrene, & Cypro, eorum carnibus veſci, ſanguineque vultum oblinire ſuum ſuſtinuerint. Quin multos à vertice transfixere medios, eorumque pellibus induti immaniſſimam præ ſe ferentes rabiem, obambulauere. Quæ hiſtoria ſi non abſoluat, ſaltem extenuet Americanorum crudelitatem. Ceterum ex quo Chriſtiani ad eos acceſſere, cum mactatorum corpora, tum animantia omnia, reliquoſque cibos cultris ſecant. Antea vero, quantum à ſenioribus accepi, lapidibus præacutis ad eum vſum accommodatis vtebantur.

Lapides cultrorum vſum Americanis olim præbebãt.

Captiui carnes Boucano impoſitæ.

Singula porro cadaueris fruſta, atq; adeo ipſa viſcera abluta & expurgata, *Boucano* imponuntur. Hæc tantiſper dum coquuntur, anus continuo *Boucano* adhæret: mirum enim in modum carnes humanas appetunt, adipemq; à *Boucani* baculis diffluentem excipiunt. Adeo eorum ſapit palato, vt continuo adoleſcentes ad capiendos hoſtes hortentur, qui cibum eiuſmodi ſuppeditet. Digitos quoq; ſuos adipe illo conſperſos lingentes, conclamant ſuum *Yguatou*, quod ſonat, bonus eſt. Habes, Lector, quantum obſeruando aſſequi potui, qua ratione Barbari Americani captiuos ſuos aſſant, more nimirum penitus nobis ignoto, nimirum *Boucanando*.

Barbaræ anus adipẽ diffluentem lingunt.

At vero quoniam cap. 19. de *Tapiroúſſou* agens, *Boucani* formam fuſe deſcripſi, ne tautologia laborare videar, ad locũ illum Lectores remitto. Interea vero eorum error à me refutabitur, qui ſuis chartis Barbaros noſtros carnẽ humanã verubus proinde ac nos armos veruecinos aſſantes depinxerunt, quos etiam prægrãdibus cultris ferreis carnes diſſectas ad ſpeciem ſuſpenſas exponere ſunt commenti, prout hic bubula venalis exponitur. Sed iſta tam vera, quam ea quæ fabuloſe de Panurgo Rabeleſius refert, quod lardo transfixus & ſemiaſſatus tandem euaſerit, arguunt chartarum illarum auctores craſſiſſimæ ignorantiæ. Hæc vt confirmem, addo Braſilienſes nõ modo à nobis differre aſſandi modo, ſed etiam noſtrum morẽ illis plane fuiſſe incognitum, tum etiam cum apud illos degebamus. Etenim ego & ſodalis quidam meus in vico quodam Indicam Gallinam cum nonnullis alijs volatilibus veru ligneo impoſitis noſtro more ad ignem verſantes aſſabamus. Quod factum Barbari in ludibria vertebant, nec prius adducti ſunt vt crederent carnes, quæ continuo agitarentur, per-

Chartarum Coſmographicarum error.

Barbari noſtrũ aſſandi morem ludibrio habẽt.

coqui

coqui poſſe, quàm ipſi periculum fecere. Ergo (vt vnde digreſſus ſum, eo redeam) vnius aut plurium captiuorum carnibus (duos ſiquidem aut tres nõnunquam vno die mactant) in eum modum aſſatis, turba illa vniuerſa quæ mactationi interfuit, *Boucano* circumit exultans, membraque hoſtium torrentia toruis intuetur oculis, deinde quantumuis multi particulam ſinguli arripiunt: non tamen cibi cauſa (quod ſuſpicari nõ immerito quis poſſet) iſthæc perpetrãt: quamuis enim ſine controuerſia carnes humanas ſapore commendent, vltionis tamen potius ijs edendis, quam victus rationem habent: anus excipio, carnium illarum, vt dixi, auidiſſimas. Huc vero tendunt, vt mortuos ad oſſa vſq; corrodentes ſuperſtitibus metum incutiant. Quippe, quo animos ſuos truculentiſſimos & ſæuiſſimos expleant, nulla eſt cadauerum illorum particula, ab extremis articulis ad naſum vſque, aures & verticem, quæ (excepto cerebro) ab illis non exedadatur. Ptolemæi itaq; Lathuri Regis Ægypti barbaries eo fuit immanior, quod licet humaniore eſſet diſciplina excultus, ad tãtam ſit delapſus crudelitatem, vt cæſis xxx. Iudæorum millibus, captiuos cæſorum carnibus veſci adegerit. Ceterum *Tououpinambaultii* noſtri in ſingulis pagis aceruatim mactatorum caluarias diligenter aſſeruant (prout apud nos in cœmiterijs ſolent) Gallis vero ad eos commeantibus fuſiſſime rerum ſuarum geſtarum præconium perſequuntur, aceruoſque illos quaſi trophęa quædam, fortitudiniſque ſuæ monumenta oſtentant Præterea grandiora crurum & brachiorum oſſa non negligenter recondunt, fiſtulis (vti dictum eſt) conficiendis: dentes quoq; auulſos filo traijciunt, & circa collum obuolutos geſtant. Gen. Ind. Hiſt. ſcriptor de Inſulæ *Zamban* incolis agens, refert eos hoſtium ab ſe mactatorum capita ædium ſacrarum valuis affigere ſolitos: denteſque collo appenſos ad oſtentationem geſtare.

Barbari ſinguli captiui carnium fruſtulis arripiunt.

Caluari. aceruia Barbaris cur aſſeruentur.

Lib. 2. c. 71.

Mactatores vero iſti ſummo illud tribuunt decori: patrato enim egregio illo facinore, ſecedunt, pectuſque, brachia, crura, ſuras, & reliquas corporis partes incidunt, inciſuraſque vt perpetuo cuti inhæreant, vnguento neſcio quo illinunt, atroq; puluere inſpergunt, quem nulla temporis diuturnitas delere poteſt. Creduntur autem eo plures mactaſſe hoſtes, quò pluribus ſcatent inciſuris, ac proinde fortiſſimi cenſentur.

Deniq; vt tandem horrendæ iſti tragœdiæ finem imponamus, ſi forte contingat vt mulieres, quæ captiuis nupſerant, grauidæ ex illis ſint factæ, Barbari (dictu horrẽdum, viſu vero maxime ſtupendum) liberos nõnunquam recens natos, raro paulo adultiores vorant: hanc autem cauſantur rationem, pueros illos ex hoſtiũ ſemine progenitos eſſe. Barbari vero hoſtes ſuos quibuſcum continenter bellũ gerunt funditus aboleri nõ modo percupiunt (eandem enim crudelitatem *Margaiates* in *Toubupinambaultios* exercent) ſed etiam mira perfunduntur voluptate, ſi videant hoſpites ſuos eodem eſſe animo. Etenim carnes humanas nobis ab illis appoſitas quoties reijciebamus (quod à me & pleriſque ex noſtris ſemper eſt factum, neque enim per Dei gratiam adeo immanes vnquam fuimus, vt eas vel attingere religio nobis non eſſet) nos nõ ſatis fideles ſibi cenſebant. At meo

Horrenda crudelitas.

Neuſtrii interpretes vitam atheorum more tranſigunt.

maximo dolore referre cogor, Neuſtrios quoſdam interpretes, qui apud Barbaros nouennium exegerant, ſeſe vt ad illorum mores accommodarent, vitam atheorum more tranſigentes, non modo crebris ſcortationibus ſeſe cũ Barbaris fœminis inquinaſſe, adeo vt vnus ex illis trimulũ puerulũ ex vago illo concubitu ſuſtulerit: ſed etiam exuto omni humanitatis ſenſu, Barbaroſq; immanitate ſuperantes, à ſe permultos *Margaiates* & mactatos & deuoratos fuiſſe gloriabantur. Porro, vt quæ ſit *Tououpinambaultiorum* in hoſtes ſuos crudelitas pergam deſcribere, contigit eo tempore, quo apud illos degebamus, vt de vico quodam in maiori inſula ſito cogitarint. Pagus hic à quibuſdam *Margaiatibus* incolebatur, qui tamen *Tououpinambaultiorum* ingruẽte cum *Margaiatibus* bello, *Tououpinambaultiis* in deditionem venerant, perq; totos viginti annos pacifice apud illos egerant. At tandem inter *caouinandum* ſeſe mutuo incitantes, & animos addentes, pagi illius incolas internecioni deuouent. Decretum exequi cunctantur, noctu inopinantes intercipiunt, & ſemiſopitos opprimunt, adeo vt non ſine commiſeratione clamores & eiulatus audirentur. Galli, re audita, circa mediã noctem eo properãt armati (pagus enim à caſtello noſtro non longius X. paſſuum millibus aberat) verum antequã eo adueniſſent, Barbari rabie & præda incitati obuios quoſq; trucidarãt, caſaſq; vt latẽtes extruderent, incenderãt, adeo vt perpaucos ſuperſtites noſtri inuenerint. Quinimo ex noſtris nonnulli aſſeuerabant, ſe non modo adultos fruſtatim conciſos, ſed etiam infantulos lactentes integros *Boucano* impoſitos vidiſſe. Ex adultioribus tamen aliquot mari ſeſe commiſere, & noctis tenebris obſecundantibus natantes euaſere, inque noſtrum caſtellum ſe recipere. Quod vbi reſciuerunt Barbari, non æquo tulerunt animo, imo ſuos hoſtes à nobis detineri muſſitantes conquerebãtur. Tandem vero mercibus quibuſdam à nobis placati fuere, cliẽtes vero noſtros, Villagagnoni mancipia reliquere.

Pagus à Barbaris vaſtatus.

Barbaries horrenda.

Interiectis aliquot diebus, ego cum quibuſdam alijs Gallis in pago ab indigenis *Piraui-iou* nominato, in inſula illa maiore animi gratia exſpatiabamur, inopinantes captiuum iuuenem, forma & ſtatura non mediocri, in compedibus ferreis, quas Barbari à Chriſtianis acceperant, detẽtum offendimus. Is lingua Luſitana nos compellat (duo ex noſtris ob Hiſpanici ſermonis peritiam eius verba capiebant) ſignificat ſe in Luſitania fuiſſe, Chriſtianum eſſe, Baptiſmo initiatum, Antonio ſibi nomen. Præterea, quamuis natione *Margaias* eſſet, quod frequenti cum Luſitanis commercio ferinum ingenium ex parte exuerat, innuit ſe vehemẽter optare, ſi qua id ratione fieri poſſet, ab hoſtium manibus euadere. Tum nos, præterquã quod noſtrarum erat partium quotquot dabatur è Barbarorum faucibus eripere, auditis vocibus Chriſtiani & Antonij, longe vehementius commoti ſumus, & miſeratione ducti. Atq; ita è nobis vnus, qui linguam Hiſpanicam callebat, quiq; fabrilem exercebat artem, recepit ſe poſtridie eius diei limam ad compedes diſſecandas allaturum: monuitq; vt ſimulac ſolutus eſſet (nam à nemine obſeruabatur) in dumetis ad maris littus ſeſe abderet, tantiſper dum Barbaros colloquio occuparemus: nos ſcapha exceptum,

Margaias Luſitania baptiſatus captiuus.

ptum, in caſtellum noſtrum tranſducturos: quo ſi perduceretur, minimo negotio cum Barbaris de ſua redemptione tranſigi poſſe.

His non parum recreatus, gratias egit, ſeq; ſingula exacte exſequuturū ſpondet. At Barbari licet ſermones vltro citroq; habitos non cepiſſent, nōnihil tamen ſuſpicantes, ſimulac è pago egreſſi ſumus vicinitate demum idq; tumultuarie coacta, miſerum Antonium mactāt. Nos poſtridie limā afferentes, per ſpeciem farinæ aliorumq; cibariorū quærendorum pagum illum repetimus: atq; à Barbaris quærimus, vbinā captiuus ille, quem pridie videramus. Illi nos in caſam proximam deducunt, carniumq; Antonij fruſta *Boucano* impoſita oſtendunt. Deinde nos abs ſe eluſos fuiſſe ſuſpicantes per ludibrium caput oſtentabant, noſque cachinnis excipiebant.

Non multo poſt duos quoq; Luſitanos Barbari noſtri cepere: quos ex improuiſo in tuguriolo luteo, in medijs ſiluis conſtructo, non procul ab caſtello ſuo, quod *Morpion* vocant, adorti fuerant. Luſitani quidem totius diei ſpatio Barbarorū impetum ſuſtinuerant, at tandem cum eos tela, ceteræq; munitiones deficerēt ſtrictis maioribus gladijs, quos nos ambarum manuum dicimus, in Barbaros irruūt, ac complures cedūt, multos quoq; vulnerant. Barbari contra pertinaciter obſiſtunt, ſingulis potius occūbendum ducunt, quam victoria non parta pedem referre. Itaq; tandem Luſitanos captos abducūt, è quorū ſpolijs ipſe veſtes bubalinas à Barbaro emi. Vnus quoq; ex interpretibus argenteam lancem emit, quam Barbari cum multa alia ſupellectile in illo tuguriolo erant depredati, quamque, pretij ignari, cum duobus cultellis permutarunt. Porro Barbari in ſuos pagos reuerſi Luſitanis per ludibrium barbam conuellunt, doloriſq; impatientes derident, hiſq; verbis increpant. Quid? voſne, qui nuper impetū noſtrum tam fortiter ſuſtinuiſtis, nunc cum mors erat fortiter obeunda muliebri eſſe animo? Ac tandem more ſolito eos immaniter mactāt deuorantque.

Luſitani duo à Barbaris capti, & deuorati.

Exempla quidem permulta de Barbarorum crudelitate præter iſta à me poſſent afferri, niſi quę attulimus ad horrorem cuilibet incutiendum ſufficere exiſtimarem. Verumenimuero vt ij, qui hæc tam horrenda paſſim apud Barbaros vſurpata legent, norint permulta quoq; non minus deteſtanda alibi geri, pręter eam quam commemorauimus Iudæorum crudelitatem, qui Traiani temporibus quadraginta hominum millibus cæſis, non modo eorum carnes deuorarunt, ſed etiam ſanguine vultum obliuerunt, pelleſq; induerunt: præter etiam horrendum Ptolemæi Lathuri Regis Ægypti facinus, qui triginta Iudæorum millibus cæſis, captiuos occiſorum carnibus veſci vi adegit: alia quoq; exempla in medium afferam. Chalcōdilus hiſtoria de Imperij Græci lapſu, & Turcici incremēto (quod vere tragicum dixeris) ſcribit Turcanum vnum ex Amurati II. Legatis, Albanorum copijs inſtructa acie deuictis fuſiſq; captiuos 80. immaniter trucidaſſe, quorum capita truncata, in pyramidis formam coaceruari iuſſit, quaſi partæ victoriæ inſigne trophæum. Amuratus vero vltra iſtmi anguſtias tranſducto exercitu, trecentos milites, qui noctis tenebris obſecundantibus in proximum mōtem confugerant, intercludit. Illi commeatus

Lib. 5. c. 5.

Trophæum ex capitibus humanis.

Lib.7.cap.4. Immanitatem Amuratus immanitate cumulat.

inopia in deditionem venerunt honeſtas expectantes conditiones. At A-
muratus omnes in vnum locum conuenere mandat; ac coram ſe iugu-
landos curat. Idem Amuratus, cuius nondum erat ſęuitia expleta, ex omni
captiuorum copia 600. adoleſcentes forma præſtantes, ſua emit pecunia:
quos deinde patris manibus immolat, quaſi peccatorum expiatio in tan-
ta ſanguinis humani profuſione eſſet poſita. Sed iſthæc ludi iociq; dicatur

Lib. 8. cap. 6. Conſtantinop. expugnatio, regnãte Mechmeto.12. Tur. Imp. ad 5. Cal. Iun.

præ ſceleratiſſimi Mechmeti XII. Turcarũ Imperatoris crudelitate, qui nõ
modo Imperij adminiſtrationis Amurato ſucceſſor fuit, ſed maxime in o-
mni immanitatis genere, imo quẽ in hac parte magno ſuperauit interual-
lo. Vt enim omittam florentiſſimę ſimul ac celeberrimę vrbis Conſtanti-
nopoleos expugnationẽ, quæ ipſo regnãte Anno ſalutis 1453. ad V. Cal. Iun.
contigit, qua ſanguine omnia, horrore, morte fugientibus & perſequenti-
bus, victoribus & victis repleta erant: adeo, vt cæſorum & eorum, qui præ
ingenti irruentium multitudine ſuffocati erãt cumulus portarũ fornices
ſuperaret peculiaria quędam de monſtri illius crudelitate poſteris manda-
ta recenſebo. Viginti Albanos milites, qui Thraſia, quam ipſe expugnarat,

Lib.9.cap.1.

relicta, in oppidulum quoddã Phiaſiæ, Rupellam nomine, ſeſe receperant,
rotario ſupplicio brachijs cruribuſque conquaſſatis ſemiuiuos in ſummo
cruciatu languẽtes, deſperabundos reliquit. Inſuper immaniſſimo illi mõ-
ſtro nõ ſatis erat, quoſcunq; in oppidis aut caſtellis offendebat ferro cæde-

Mechmeti in ipſa bruta animantia crudelitas.

re, prout Leontarij cõtigit, vbi ne vnus quidem ſuperſtes eſt relictus, adeo
vt ſex mille hominum cadauera, præter ingentem equorum & pecorum
copiam, illic fuerint numerata: ſed inaudito hoc ſupplicij genere complu-

Monſtroſa crudelitas. Lib.9. c.7. & lib.10.c.12.

res inſuper affecit. Acinace peracuto ſingulos homines in duas partes vno
ictu circa tranſuerſum ſeptum diuidi iubebat, artificio barbariẽ omnem
ſuperãte: bis enim ſinguli mortis perſentiebãt dolores. Vtraq; pars per ali-
quod tempus, præ ſummo quo opprimebatur cruciatu, huc & illuc nõ ſi-
ne geſtibus horrendis ſeſe volutabat. Trecenti milites in oppido Mitylene
anno 1459. quo capta eſt vrbs illa, hoc immaniſſimo ſupplicij genere ſunt
affecti. Quingenti quoq; alij ab Omare Baſſiano Conſtãtinopolim miſſi,
quos in oppidulo à ſe expugnato ceperat, eadem occubuerunt morte. Ho-

De boue, qui herum mortuum agnoſcit, mira hiſtoria.

rum cadauera poſtquã aliquandiu in area, in qua laniati fuerant, neglecta
iacuerunt, bos horrende mugiens ad ea accedit, vnamq; cadaueris partem
cornu attollit, alioq; loci comportat; tum alteram petit prioriq; adiungit.
Quæ res cum à multis perſpecta fuiſſet, breui ad Mechmetũ perfertur: ille
mirum in modum anxius, cadauer illud diſiũgi, parteſq; ſeorſim ad priſti-
num locum cõportari iubet. Bos inſequitur repetitis mugitibus; cadauer
vero illud inter cetera agnoſcit, denuoq; cornibus ſublatum alio aſportat.
Mechmetus hoc portento vehementer commotus (ac merito quidem) è
veſtigio cadauera ſepeliri iubet, bouẽ vero ad ſua pecuaria deducẽdum, ac
per reliquum vitæ tempus alendum curat. Tradunt nõnulli cadauer illud
à boue canibus Turcis clementiore aſportatum, Veneti cuiuſdam corpus
fuiſſe: alij Illyrico tribuunt. Atqui vtut ſit (inquit Chalcondylus) hoc o-
ſtento multum felicitatis genti, à qua ille oriundus erat, portendebatur.

Vladi vero ſæuitia humanis auribus tinnitum longe grauiorem ciebit, idcirco de ea referre vltimo loco viſum eſt. Vlado attributa Moldauia Mechmeti liberalitate in gratiam fratris cuiuſdam Vladi, quo ſceleratus Mechmetus ad nefarias libidines abutebatur, hoc primo veluti auſpicio prouinciã illam adminiſtrare cœpit. Potentiſſimos quoſq; Moldauienſes, ac primariæ auctoritatis viros, à quibus propter auctoritatẽ & gratiam, ne defectionem molirentur ſibi metuebat, corripit, eoſq; non contentus eſt vulgari aliquo ſupplicio è medio tollere, ſed viuos omnes palis transfixos ſummo cum cruciatu extinxit: imo eorum familias, ne vxoribus quidem & infantibus exceptis, eodem furore ſuſtulit. Adeo vt breui temporis ſpatio, triginta, & eo amplius hominum millia ab eo trucidata fuiſſe, à multis confirmetur. Mortuorum porro bona & honores ſatellitibus ſuis eſt largitus. Mechmetus certior factus Vladum de defectione & rebellione in ſe cogitare, quendam ſuum à ſecretis Catabolmum nomine, natione Græcum, per ſpeciẽ amicitiæ ad eum mittit, eo conſilio, vt Vladum ad ſe blandis verbis pertraheret. Eodem quoq; tempore Mechmetus ad Chamum quendam, cui Vlaquiam prouinciam clam demandarat, literas dat, mandatque, vt quacunq; ratione vi, dolóve Vladũ corriperet: eo nihil gratius ſibi accidere poſſe ſignificat. Hi duo cõmunicatis conſiliis Vladum intercipere conantur: Vladus vero nullo modo perturbatus confirmatis militũ ſuorum animis, reliquis omnibus in fugam verſis, Chamum & Catabolmum cum quibuſdam aliis viuos capit. Quos cruribus & brachijs abſciſſis, palis viuos affixit. Chamo vero, prout eius poſtulabat dignitas eminẽtiorem tribuit locũ. Quod ab eo hoc conſilium factum eſt, vt ſubditis ſuis terrorem incuteret, ac ne tale quid in poſterum, auderẽt, niſi idem ſupplicium ſubire vellent, anſam præriperet. Præterea exercitum ingentem ſumma celeritate conſcripſit, Danubiumq; flumen tranſijt, atq; in Mechmeti ditionem, quam flumẽ illud alluit, magno irruit impetu eamq; eſt populatus, pagos incendit, fœminas ipſas, imo infantes in cunis vagientes ferro cecidit. Quacunq; vero iter faceret, immaniſſime ſæuiebat, & vaſtitatis vbiq; notas inurebat. Quibus ad Mechmetum perlatis, maxime vero nuntio de Legatorum morte crudeliſſima, ac in primis de Chamo tam atroci ſupplicio affecto, qui præcipua in aula miniſteria olim geſſerat, Mechmetum non parum commouerunt. At longe moleſtius illi fuiſſet tantam iniuriam ab infimæ ſortis homine ſibi illatam inultã relinquere. Itaq; cum inſtructiſſimo exercitu Vlaquiam ingreſſus, & Legatorum ſuorum cadauera palis adhuc affixa cõſpicatus, nouo quaſi dolore, & nouo furore fuit percitus. Cadaueribus autẽ illis auulſis & ſepultis, tria paſſuum millia eſt progreſſus, ac in lanienam illam incidit ab Vlado in ſubditos patratã, quæ res horrorem conſpicantibus mouebat. Erat enim locus aliquantulum editus, & in omnes partes apertus, duo paſſuum millia in longitudinem obtinebat, latitudo mille occupabat: innumeris rotis, palis, crucibus, furcis cadaueribus onuſtis, ceu ſilua quędam conſitus erat. Ex cadauerum facie perhorrida, cruciatus quos ante obitũ pertuliſſent, cõijcere faciele erat.

Vladi immanitas horrenda & ceterorum omnium atrocitatem ſuperans. Lib.9.c.12.13. & 16.

Horrendum viſu ſpectaculum.

Laniatorum numerus ad millia viginti facinoris atrocitatem augebat. In his erant infantuli maternis adhærentes vberibus, lactantes enim ſuffocati fuerant. Inauſpicatæ præterea aues, aërem ceu nubes atra condenſabant, ac in corporum humanorum concauo, vnde iam ante viſcera extraxerãt, nidos ſtrubebant. Quibus conſpectis Mechmetus, ingenio alioqui Barbaro & crudeliſſimo, apud ſe cogitans vnius homunculi, & quidem abiectiſſimæ conditionis, atrocitatem ac immanitatem crudeliſſima quæque facinora ab ſe patrata longo interuallo ſe ſuperaſſe, modo obmuteſcebat, modo miſericordia quadam ducebatur, atq; apud ſe muſſitabat, mirum non eſſe, quod ſceleratus ille ſubditis ſuis adeo formidoloſus eſſet, quandoquidem tale facinus patrare ſuſtinuiſſet: ideoque difficillimum eſſe ſtatuebat hominem ab ſua ditione depellere, qui & imperio ſuo & ſubditorum obſequio tam inſigniter vteretur. Mox vero collecto animo, neminẽ eſſe, qui carnificem illum nõ contemneret arbitratur. Quinimo Turcæ ipſi tam horrendo κειμηλείῳ conſpecto, Vladum adeo atrocis facinoris auctorem diris deuouebant. At Vladus omnibus iſtis neglectis, Mechmeti exercitui continuo inſtabat, eumq; modo in alis, modo in nouiſſimo agmine laceſſebat, atq; ita nos paucos ſingulis diebus perimebat, damnumq; nõ minus equitibus ac Arabibus afferebat. Tamẽ (ne vlterius in his recenſendis progrediar) ille ſuo tandem periculo eſt edoctus, ſæuitiã illam qua in ſubditos vſus erat, dum res ſuas egregie ſtabilire volebat, multo plus detrimenti quam commodi ſibi attuliſſe. Nam paulatim ſuis à ſe deficientibus Mechmeto prouinciam cedere, atque in Hungariam profugere coactus eſt. Eò vbi appulit, ob ſcelera, quę mille ſupplicijs expiari nõ potuiſſent, in vincula coniectus fuit. Quatuor hæc monſtra coniuganda, & quaſi concathenanda duxi, vtpote quę infernali remigio ſint aptiſſima. Turacanũ videlicet, cuius (quãtumuis flagitioſiſſimi) nequitia pene nulla videatur, ſi cum Amurato conferatur: quem rurſus crudelitate & ſæuitia ſuperauit Mechmetus: omnes vero ſceleratiſſimus & immaniſſimus Vladus magno poſt reliquit interuallo. At vero (inquies) Turcæ iſti fuerũt inhumaniſſimi, quos merito Braſilienſibus ἀνθρωποφάγοις immaniores dixeris.

Quare vt paulo attentius ad ea, quæ apud nos geruntur, animum aduertamus, quæro in primis quid à fœneratoribus & rapacibus auaris præſtetur? qui ſanguinem & medullas tot viduis, tot orphanis exſugunt, ac proinde viuos deuorant, quos ſemel iugulaſſe ſatius eſſet; quã languentes diutius detinere? Annõ feritate & crudelitate Barbaros Americanos ſuperant? Atq; hinc fit, vt exclamet Propheta: Quod comedunt, caro eſt populi mei, & cutem eorum ab eis nudant, ac oſſa eorum diffringunt: diuiduntque vt quod eſt in olla, & velut carnem, quę eſt in lebete. Iam vero ſi de carnium humanarũ eſu ferino prorſus & tygrino, quot quæſo, hîc apud nos reperti ſunt, cum in Italia, tum in alijs regionibus, ex ijs qui Chriſtianum præ ſe ferunt nomen, qui eo immanitatis delapſi ſunt, vt ſæuitiã ſuam explere cupientes, cor iecurq; inimicorum ſuorum deuorarint? Penes hiſtorias innumeras de rebus iſtis ſcriptas fides eſto, ſingula enim perſequi ſi cupiam, tempus me deficiat.

Fœneratores Barbaris Americanis immaniores.

Mich. 3. 3.

Cap. XV.

Quid nomine religionis apud Barbaros Americanos veniat: De erroribus, in quos ab impoſtoribus, quos Caraibes *vocant, inducuntur: Deque craſſiſſima Dei ignoratione, quæ apud eos obtinet.*

QVAMVIS Ciceronis illud dictum, Nullam eſſe gentem, neque tam inmanſuetam, neq; tam feram, quæ non, etiamſi ignoret qualẽ Deum habere deceat, habendum ſciat communi omniũ calculo pro axiomate certiſſimo habeatur, tamen quomodo erga *Tououpinambaultios* noſtros conſtet; non ſatis ſcio. Nam verum Deum ignorant. Nullos quoq; Deos falſos ſiue cœleſtes ſiue terreſtres agnoſcunt, nec colunt: ac proinde locum vllum publicum, in quem religionis ergo conueniant, non habẽt: Contra quam ab Ethnicis olim, ac etiamnum ab Idololatris noſtri temporis vſurpatur. Nominatim vero ab Indis Peruanam prouinciam incolentibus, quæ cum *Tououpinambaultiorum* regione eſt continẽs, ab eaq; diſtat paſſibus 1000000. qui Soli & Lunæ ſacrificant. Mundi quoq; creationem ignorant, dies nominibus non diſcriminant, alium alio non præferunt: hebdomades, menſes & annos nõ obſeruant: Tempora Lunis demetiuntur: Scripturę, ſiue ſacra illa ſit, ſiue prophana, nõ modo penitus ſunt ignari, ſed etiam Characteribus, quibus animi ſenſa notare poſſint penitus carentes. Quum primo in eas terras veniſſem, verba & ſententias aliquas, vt ſermoni eorum aſſueſcerem ſcribebam, eaſq; mox coram ipſis legebam. Illi præſtigias id eſſe rati, inuicem his verbis alij alios alloquebantur: Non mirum! iſtum qui heri ne vnum quidem verbum idiomatis noſtri callebat, nunc vi & ope huius chartæ, quæ illum noſtra eloqui docet, ita perite ea ſonare, vt à nobis intelligantur? Barbari Hiſpaniolam Inſulam incolentes idem prorſus de Hiſpanis, qui primi ad eos acceſſerunt, iudicabãt. Hæc ſunt hiſtoriographi verba: Indi animaduertentes Hiſpanos etiam abſentes, mutuo inter ſe colloqui literarum beneficio, credebant vel eos prophetico agi ſpiritu, vel literas ipſas loqui. Quo factum eſt, vt Barbari, veriti ne peccata innoteſcerent ſua, ita ſeſe in officio continuerint, vt ab eo tempore, nec mentiri, nec quicquam Hiſpanis ſuffurari auſi fuerint.

1. De leg.

Tououpin. verum & falſos Deos ignorant, mundiq; creationem

Quid de ſcriptura ſentiant Barbari.

Hic ſi quis hoc argumentum dilatare cupiat, latiſſimus ei pateat campus, tum ad ſcripturæ artem laudibus proſequendam, tum ad demonſtrandum quanto nos Deus affecerit beneficio, nos, inquam, Europæos, Aſiaticos, & Afros, præ Barbaris iſtis quartam orbis partem incolentibus. Illi enim mentis conceptum nõ niſi expreſſis vocibus exponere poſſunt: nos vero ſcripturæ adminiculo, aliorum arcana cognoſcimus, noſtra vero conſilia cum eis communicamus, qui vel in remotiſſimis degunt terris. Ac ſane præter bonas artes, quas ex libris addiſcimus (quæque Barbaris ſunt ignotæ) ſcripturæ quoque ars inter excellentiſſima, quibus nos Deus cumulauit, dona eſt recenſenda.

Scripturæ ars excellentiſſimum Dei donum.

Minime autem moror, quid Socrates (vt refert Plutarchus) dicebat:

Literas,quas vulgus putat repertas iuuandę memoriæ,vehementer illi officere. Olim enim homines,ſi quid audiſſent dignum cognitu, non libris ſed animo inſcribebant: hac exercitatione confirmata memoria facile tenebant quicquid volebant:& quod quiſque ſciebat,habebat in promptu. poſt reperto literarum vſu,dum libris fidunt,non perinde ſtuduerunt animo infigere,quod didicerant. Ita factum eſt, vt neglecto memoriæ cultu, minus viuida eſſet rerum cognitio, & pauciora quiſq; ſciret: quandoquidem tantum ſcimus,quantum memoria tenemus. Quam ego ſententiā, præſertim in Philoſopho ac Græciæ ſapiente,dignam iudico reprehenſione. Nam & Cicero,ceteríque docti,poſt eum, hiſtoriam, quæ ſine librorum vſu commode contexi non poteſt, matrem eſſe temporum affirmarunt.Illud quidem verum eſt, Patres qui ante Moſis ſcriptorum omnium primi,tempora vixerunt,permulta & quidem optima, quæ nō commentariis, ſed menti & memoriæ mandabātur, poſteris per manus tradebant. At longe tutius illud eſt faſtum,ex quo obtinuit ſcriptura.

Barbari de Deo vero audientes admirabundi defixi manent. Ergo,vt ad *Tououpinambaultios* noſtros redeamus,Quoties cum illis colloquebamur, ac mentio de Deo incidebat, dicebamus nos credere in vnū Deum creatorem cœli & terræ,qui vt orbem & quæcunq; in eo ſunt,condidit,ita omnia pro arbitrio gubernat. Illi vbi hæc audierant, alij alios intuentes, & in hanc vocem (quæ admirationis nota ipſis familiaris eſt) erumpentes, *The!* defixi & ſtupefacti hærebant. Præterea,quoniam,vt ſuo *Toupan tonitru.* dicemus loco,Tonitru fragore vehementer terrentur(id *Toupan* vocant)ſi eorum conſulentes ruditati occaſionem inde arriperemus,eos edocendi, *Pſalm. 29.* diceremuſq; Deum illum eſſe,de quo verba illis faciebamus, qui, vt ſuam indicaret potentiam,cœlum terramque eo modo concuteret: illi excipiebant,Deum illum à quo adeo terrerentur eſſe nequam.Hęc eſt hominum illorum miſerrima conditio. At,quærat fortaſſe quiſpiam:fierine poteſt,vt brutorum inſtar Americani ſine religione viuant? Ego vero reſpondeo, quod iam ante attigi, perparum ab eo abeſſe, nec credere me gētem vllam *Americani animarum credunt immortalitatem.* in toto terrarum orbe eſſe, quæ ab omni religioni ſit magis aliena. Attamen,vt etiam exponam,quantulum lucis inter denſiſſimas tenebras,quibus obcæcantur, perſpexerim, Affirmo eos non modo immortalitatem animarum credere: ſed pro certo quoque habere, poſt mortem eorum animas qui virtutem coluerint (virtutem autem illi definiunt ſuo more, nempe vltionem ſumere de hoſtibus,& quam plurimos mactare)poſt altiſſimos montes euolantes,patrum & auorum ſuorum animis aggregari, ibique in amœniſſimis hortis, perpetuis delicijs ac tripudijs lætum æuum agere (Hæc eſt longa illa Socratis peregrinatio, hi Poëtarum Elyſij campi) ignauorum contra manes, qui ſine vlla propugnandæ patriæ cura inglorij vixerunt, abripi ab *Aygnan* (ſic illi Cacodæmonem vocant) & cum eo ſempiternos inter cruciatus viuere.

Ioſeph. de bello Iud.lib.2.c.7. Conſtat etiam Eſſenios Græcorum ſententiæ ſuffragantes, olim credidiſſe bonas animas carnalibus vinculis releuatas vltra Oceanum degere (cui furori ſi fides eſſet adhibenda,Braſilia denotaretur) vbi eis ſit repoſita

perfruitio:

perfruitio: illic quippe eſſe regionem, quæ neque imbribus, neq; niuibus, neq; æſtu aggrauetur, ſed quã Oceano oriens Zephyrus, & leniter aſpirans amœnet: malis autem animabus affirmant (ceu potius ſomniant) procelloſa loca & hyberna deſtinari plena gemitibus exercẽdarum ſine fine pœnarum. Ceterum miſerrimi noſtri Barbari, in hac etiam vita miſere ab Cacodęmone torquentur (quem alio nomine *Kaagerre* vocant) ipſe enim eos nonnunquam vidi, etiam nobiſcum colloquentes, protinus inſtar phreneticorum exclamantes! *Hei, hei*, opem ferte nobis; nos enim verberat *Aygnan*. Imo affirmabant illi Cacodæmonem ab ſe conſpici modo belluæ *Aygnan, Cacodæmon Barbaros vexat.*



ſpecie, modo auis, modo etiam portentoſa aliqua forma. Quia autem magnopere mirabantur, nos ab Cacodæmone non infeſtari: Itaque dicentibus nobis tormentis illis à Deo illo nos eximi, de quo frequenter illis verba faciebamus, qui Aygnano longe ſuperior eſſet, ac ne nobis moleſtiam vllam pareret obeſſet, non ſemel contigit, vt periculo vrgente, ſe in Deum credituros pollicerentur, malo autem liberati promiſſionis erant

immemores. At vero vt conſtet, tormẽta, quibus infeſtantur, ludicra non eſſe, ipſe eos nõnunquã vidi, malum illud recordãtes adeo horrore perculſos, vt prę angore ſudantes, manuq; femur plaudentes, his verbis apud nos conquererentur: *Mair Atouraſſap, Acequeiey Aygnan Atoupaué*, hoc eſt, mi ſtulte, mi ſocie, Cacodæmonem præ reliquis omnibus malis reformido. Si vero quis noſtrùm contra his eum compellabat verbis: *Nacequeiey Aygnan*, hoc eſt, ego vero Cacodæmonem non metuo. Tum illi ſortem ſuam deplorãtes, Ah, quam nos felices eſſemus, ſi eo, ſicuti vos eſtis ab illo, tuti eſſemus! Tum nos excipiebamus, credendum igitur eſſet in eum, qui *Aygnan* eſt potentior. At illi, vt dictũ eſt, quamuis periculo præſente ſeſe id facturos pollicerentur, mox ad ingenium ſuũ redibãt. Antequã progrediar vlterius, ad ea quæ de Barbaris animam immortalem eſſe credẽtibus, addam, id quod ab Occid. Ind. hiſt. ſcriptore relatum eſt, Barbaros Cuſco vrbis accolas non modo animarum immortalitatem, ſed etiam (pręter Theologorum axioma Philoſophos omnes ceteroſq; Ethnicos, ac Barbaros corporũ reſurrectionem ignoraſſe, imo negaſſe) corporum reſurrectionem credere. Quæ res hoc exẽplo ab illo confirmatur. Indi, inquit, cum animaduerterent Hiſpanos ſepulchra, vt auro, ceteriſq; pretioſis potirẽtur, aperientes oſſa proijcere, ac diſpergere rogabant, ne ita diſpergerentur, ne illud reſurrectioni obeſſet: illi enim (inquit) corporum reſurrectionem, vt & animæ immortalitatem, credunt. Alius quoq; auctor prophanus affirmat, gentem Barbaram & Ethnicam eo vſque proceſſiſſe, vt reſurrectionem crederet. Hæc ſunt illius verba: Poſtea Cæſar Ariouiſtum & Germanos deuicit, qui corporis erant inſolita proceritate, fortitudine non minori: fortiter enim pugnabant, mortemque contemnebant, ſe reſurrecturos opinantes.

Peruenſes Barbari, corporum credunt reſurrectionem. Hiſt. Gen. Ind. lib. 4. c. 124.

Vide Appianũ de bello Celtic. cap. 1.

In Atheos.

Hæc ego ideo commemoro, vt intelligant omnes, ſi Athei, quorum plena hic ſunt omnia, id habent cum *Tououpinambaultiis* commune, quod ſibi perſuadent, & quidem portentoſius quam illi, nullum eſſe Deum, ab illis ſaltem diſcant Cacodæmones eſſe, qui in hac etiam vita eos excrucient, qui Deum eiuſque potentiam inficiantur. Si vero obiiciant (quod faciunt nõnulli) Cacodæmones nihil aliud eſſe, quam prauos hominum affectus, ac proinde ſtulte Barbaros ea imaginari quæ non ſunt. Reſpondeo: ſi ea, quæ à nobis veriſſime dicta ſunt, conſiderentur, nimirum Americanos viſibiliter & realiter à Cacodæmone excruciari, ex eo patere ſatis quam inepte cruciatus ille humanis tribuatur affectibus. Etenim quinam fieri poteſt, vt quãtũuis ſint violẽti, homines vſq; adeo afficiant? Ea omitto, quæ qu otidiana hic edocet experientia, imo etiam, niſi illud eſſet coram porcis margaritas proijcere, Dæmoniacos, quorum meminit hiſtoria Euangelica à Chriſto ſanatos huc afferre poſſim.

Deinde, quãdoquidẽ Athei iſti indigni ſunt penitus, quibus ea proponantur, quæ tã diſerte de animę immortalitate ſacræ teſtãtur literæ Barbaros denuo illis noſtros opponã, à quibus licet obcęcatiſſimis, diſcẽt animã hominem præditum eſſe, quæ non modo nunquã intereat, ſed etiã à corpore ſeiuncta, vel æternæ deſtinetur beatitati, vel damnationi ſit obnoxia.

Tertio,

Tertio,ad carnis reſurrectionem quod attinet,quoniam canes iſti ſibi quoq; perſuadent, corpus ſemel extinctum, nunquam excitatum iri: Indos Peruenſes illis oppono, qui falſa licet ſint imbuti religione, imo nõ alio,quam naturæ ducantur inſtinctu, cum nefarijs tamen iſtis in iudicio ſunt ſurrecturi. Veruntamen cum ſint Cacadæmonibus ipſis peiores(vti iam diximus) qui Apoſtolo teſte Deum vnum eſſe credunt & horreſcunt, plus æquo illis à me tribuitur,quando Barbaros Americanos illis pro Doctoribus propono. Quapropter perditorum illorum mẽtionem in poſterum non faciam, ſed eos iam inde ad inferos relego, vbi portentoſorum errorum ſuorum fructus promeritos percipient. *Iac.2.19.*

Ergo vt ad inſtitutum ſermonem meam reuertar, nimirum de eo, quod religionis nomine apud Barbaros nuncupari poteſt, ſi diligenter id, quod iam ante attigi,perpendatur,eos nimirum, quibus alioqui maxime grata eſſet ab omnibus perturbationibus immunitas,audito tamen tonitru inuitos contremiſcere, potentiæ cuiuſdam metu, cui reſiſtere nullo modo poſſint:inde facile eſt colligere, non ſolum Ciceronis ſentẽtiam, à me initio allatam,apud eos locum habere, verum etiam metum illum potentiæ Dei,quem agnoſcere nolũt, ἀναπολογήτους illos redditurum eſſe. Ac ſane ex eo, quod Apoſtolus dicit Deum,qui præteritis temporibus ſinit omnes Gentes ſuis ipſarum vijs incedere, non tamẽ paſſum eſſe ſe expertem teſtimonii,bona tribuendo,dando cælitus pluuias,ac tempora fructibus edendis apta: patet ſatis ſolam hominum malitiam obſtare, quo minus ad Creatoris ſui notitiam perueniant. Alibi quoq; dicitur Dei inuiſibilia ex creatione mundi perſpici. *Act.14.17.* *Rom.1.20.*


Itaq; licet Americani noſtri ore Deum non confiteantur, quandoquidem apud ſeipſos conuincuntur, aliquam eſſe diuinitatem. Inde colligo eos nec excuſabiles futuros,nec ignorantiæ prętextum merito captaturos eſſe. Verum prę̈ter ea,quæ à me dicta ſunt de animę immortalitate,quam ipſi credunt,de tonitru,quem perhorreſcunt,& de Cacodæmonib. à quibus excruciantur(quę tria in primis ſunt notanda) quartum inſuper addã caput, ex quo manifeſtum erit tenebras denſiſſimas, quibus obruuntur, minime efficere,vt religionis illud ſemẽ (ſi modo nomen tam auguſtum rei adeo obſcuræ conueniat) in illis non pullulet,aut penitus extinguatur.

Igitur vt narrationem ipſam ordiar, in primis tenẽdum eſt Prophetas, ſeu ſacerdotes quoſdam apud eos eſſe,quos ipſi *Caraibes*, qui vicatim commeantes miſeris illis perſuadẽt,ſe (quod cum ſpiritibus commercium habeant) quibuſcunque viſum fuerit fortitudinem impertiri, qua bello hoſtes ſuperẽtur,ſed etiam ſua ope fructus omnes, craſſaſq; illas radices enaſci, quas Americanum ſolum producere diximus. Præterea (quantum à Neuſtriis interpretibus accepi,qui multos annos in illis terris vixerãt) *Tououpinambaultiis* id moris eſt, vt tertio vel quarto quoque anno frequentiſſimi conueniant. Cui cõuentui ex inopinato, vt mox dicam,ipſe interfui. De quo,quę ſequuntur,referenda habeo. Ego,cum Gallo quodam nomine Iacobo Ruffo, atque etiam interprete quodam Neuſtrio peregere pro- *Caraibes, pſeudopropheta.*

Narratio de maxima Barbarorum celebratione.

fecti, in vico quodam diuertimus: poſtridie illius diei ad iter nos ſummo mane accingebamus, cum vndiquaque confluentes accolas cōſpicimus. Vici vero illius incolæ aduenientibus ſeſe adiunxerunt, ac mox ſexcentenos in area quadam aggregatos videmus. Nos conuentus illius cauſam ſciſcitamur: conſiſtimus, ſciſcitantes turbam illam in tres diuidi partes videmus. Viri omnes in caſam quandam ſe recipiunt, fœminæ in alteram, pueri quoq; in tertiam confugiunt. Ego, qui *Caraibes* aliquot viris permixtos videram, inſolitum quid ab illis factum iri ſuſpicans, ab comitib. meis efflagito, vt mecum rem totam obſeruaturi illic conſiſtant: quod ab illis impetraui. *Caraibes*, antequam fœminas & pueros dimitterēt, ſumma cautione prohibuerunt, ne è caſis ſuis egrederentur, ſed diligenter ad cantum attenderent, nobis quoque indicunt, vt in ea, in qua erant mulieres, caſa deliteſceremus. Nos, qui ientaculo intenti eramus, atque eorum, quæ acturi erant ignari, murmur quoddam ſubmiſſum è caſa, in quam viri ſeceſſerant, erūpentes exaudimus (caſa porro illa à noſtra triginta ferme paſſibus diſtabat) mulieres, quæ numero erant 200. ſtantes aureſque arrigentes in vnum veluti aceruum ſeſe glomerant. Viris vero vocem paulatim attollentibus, adeo vt eorum diſtinctæ voces à nobis exaudirentur, hortantium iſtam interiectionem identidem repetentium:

Barbarorum modulatio.



Vlulatus, geſtuſq; horrendi fœminarum Americ.

mox mulieres tremula voce eandem illam interiectionem recinentes audimus, *He, he, he, &c.* Vocem vero tanta animi contentione ſuſtulerunt, idque toto quadrantis horæ ſpatio, vt nos ſpectatores in admirationem rapuerint. Ac ſane illæ non modo horrendum vlulabant, ſed etiam magno impetu proſiliebant, mammaſq; ſuas concutiebant, ſpumamq; ore emittebant: imo nōnullæ (non abſimili ab ijs modo, qui comitiali morbo cōflictantur) exanimes procidebant. Quo fit, vt credam Cacodæmonē corpus illarum inuaſiſſe, eaſq; dæmoniacas repente factas fuiſſe. Preterea per-

Lib.3.cap.3. ſpectis ijs, quæ à Bodino libro, cui Dæmonomaniæ nomen fecit, de veneficarum exſtaſi, quam aſſerit veneficis omnibus, quæ cum Cacodęmone expreſſum fœdus pepigerunt, familiarem eſſe, quęq; nonnunquam ſpiritu rapiuntur, corpore ſenſus omnis experte remanente, quamuis etiam &

Lib.2.cap.3.& lib.3.cap.1. corpore & animo nonnunquam rapiantur. Adde (inquit ille) quod nuſquam conueniunt, quin choreas agant; inter quas, quantum ex veneficarum quarundam confeſſione elicere potuit, conclamant omnes: *Har, har,* (quod optime cum *He, he,* Americanarum noſtrarum conuenit) *Dæmon, huc ſalta, illuc ſalta:* aliæ vero reſpondent: *Sabbath, Sabbat,* hoc eſt feſtum, ſeu qetis diem, manus, ſcopaſque, quas in manibus habent attollentes, vt certiſſimum lætitiæ edant ſignum, ſeque ex animo Dæmoni ſeruire ſignificēt, atque adeo, vt adorationem Deo debitam imitentur. Nam in Lege di-

Deut. 12.6.7. uina Iſraelitis præſcriptum erat, vt ad Dominum manus attollerent, ac

coram

coram ipſo ſeſe exhilararēt. His inquam perſpectis, colligo Satanam vtrarumque Dominum eſſe: eaſq; eodem duci ſpiritu, nec locorum interuallum obſtare, quo minus pater ille mēdaciorum hic & illic in eos agat, qui ſibi iuſto Dei iudicio traditi ſunt. Pueros conſimiliter conclamantes cum audiſſem (etiam ſi iam per ſemiannum cum Barbaris egeram, ac pene eorum moribus aſſuefactus eram) tamen, ne quid diſſimulem, nōnihil tum timui, præſertim, quum quis rei illius exitus eſſet futurus ignorarem: tandem quum clamoribus illis finis eſt impoſitus, viris aliquantulum ſilentibus, pueris quoq; & fœminis penitus tacentibus, mox viri tam ſuauiter, tantaque cum harmonia cantare cœperunt, vt miro eos videndi tenerer deſiderio. Sed cum è caſa illa exire vellem, & à mulieribus detinebar, & ab Interprete admonebar, ſe (qui ſeptem iam annos apud Barbaros exegiſſet) ad ſolennia illa accedere nunquam auſum fuiſſe, deniq; ſi accederem, nō ſatis prudēter me facturum. Quibus efficit, vt periculi metu pauliſper hæſerim; attamen, quoniam ille probabilem nullam rei illius cauſam afferebat, fœminis & interprete nōnihil reluctantibus, egreſſus ſum, vetulorum quorundam vici illius incolarum amicitia fretus. Accedens igitur ad eum locum, in quo concentum illum audiebam, ego vt commodius quid intus fieret, perſpicerem, caſæ tectum manu perforaui. Sunt enim oblongæ ac rotundæ in morem pergularum hortenſium noſtratium, herbiſque à ſummo ad imum contectæ. Inde comites meos digito innuens aduoco, ac tandem in caſam illam ingredimur. Barbaros, vt vidimus, pręſentia noſtra non commoueri (quod futurum ſuſpicabatur Interpres) imo ordines optime ſeruare, ac verſus ſuos perſequi: in angulum quendam receſſimus, ac otioſe eos contemplati ſumus. Atq; vt id exſequar, quod pollicitus ſum ſuperius, deſcripturum me eſſe alterum chorearum genus: hi ſunt eorum inter ſaltandum geſtus. In orbem diſpoſiti erant, ſibi mutuo adhærentes: manus tamen ſic mutuo non apprehēdebant proni, corpore nōnihil inclinato, alteram tantum è tibiis, nimirum dextram, ſuccutientes, manu dextera clunibus impoſita, ſiniſtra vero pendula, atque hoc habitu & cantillabant, & tripudiabant. Tres iſtiuſmodi orbes vniuerſa illa multitudo cōſtituebat, in quibus mediis terni erant aut quaterni *Caraibes*, pileis, veſtibus, atque armillis plumaceis ornati. Eorum ſinguli vtraque manū *Maraca* geſtabant, hoc eſt, crepitaculū illud è fructu ſtruthiocameli ouum magnitudine ſuperante, cuius iam ante facta eſt mentio, in eum inquiebant vſum, vt ex illis ſpiritus loqueretur: atque vt ea rite conſecrarent, continuo concutiebant. Porro typo, quem ſubiecimus & tripudiatorem, & *Caraibem Maraca* quatientem oculis conſpiciendum præbemus.

Americanæ mulieres eodem cum veneficis noſtratibus ducuntur ſpiritu.

Quæ ſit caſarum Americ. forma.


Barbarorum in orbem ſaltantium geſtus.

Caraibes Maraca conſecrantes.


Inſuper *Caraibes* illi ſaltantes modo progrediebantur, modo regrediebantur, nec cōtinuo, vt cæteri, in eodem loco fixi manebant. Præterea obſeruaui eos frequenter canna prælonga, cui *Petum* herbam accēſam imponebant, huc & illuc ſeſe conuertiſſe, ac herbę illius fumum in circumſtantes exſufflaſſe cum his verbis: Accipite omnes ſpiritum fortitudinis, quo hoſtes veſtros ſuperetis. Id vero ab *Caraibibus* iſtis ſæpius eſt factitatum. Ri-

Caraibes Barbaros exſufflantes.

tuum iſtorum celebratio in duas horas producta eſt: viris illis continuo ſaltantibus, & cantillantibus. Concentus vero eorum adeo ſuauis erat, vt inexpertis vix ſit credibile, quam optime ſymphonia illa quadret, præſertim cum Barbari muſicæ artis penitus ſint ignari. Ac ſane cum initio ali-



quo fuiſſem perculſus metu, vt nuper commemoraui, contra tunc tanta fui lætitia perfuſus, vt non modo extra me raptus fuerim: ſed nunc etiam, quoties mihi in mentem venit concentus ille, & exultat animus, & eo aures continuo perſonare videntur, præſertim vero rhithmi epodium gratum auribus ſonum exhibebat, quod poſt ſingulos verſus ad hunc modum modulabantur.



Modu-

Modulationi illi finem impoſituri pede dextero vehementius quā antea humum quatientes ſinguli quoque ſputum emiſerunt, atque omnes vna voce, eaque rauca, hunc crebro repetitum modulabantur cantum.



Tum ego qui, quod eorum linguam nōdum plane callerem, non pauca eorum, quæ ab illis fuerant dicta, non ceperam. Interpretem rogo, vt ea mihi explicare velit. Ille mihi ſignificat, iſtos primum quidem auos vita functos, qui fortiſſimi fuerant, luxiſſe: tandem vero conſolationem ex eo cepiſſe, quod ſperarent futurum, vt illos tandem poſt montes adirent, ac cum illis tripudiarent, & hilaria celebrarent: deinde grauiſſime *Ouetacatibus* (populi ſunt non multum ab eis remoti, quibuſcum inimicitias perpetuas gerunt, quos etiam ſuperare nunquam potuerunt) interminatos eſſe, ac prædixiſſe futurum, vt breui caperentur ac deuorarentur, prout ab *Caraibibus* ominatum erat. Inſuper neſcio, quid cantionibus ſuis interſeruiſſe de diluuio aquas olim adeo exundaſſe, vt vniuerſam terram operuerint: atq; illa inundatione homines omnes fuiſſe extinctos, exceptis demum maioribus ſuis, qui prætaltas arbores conſcenderant. Quod poſtremum proxime ad ſacram accedit hiſtoriam, & ab illis aliâs non ſemel audiui. Veriſimile eſt autem illos de diluuio, quod Noachi temporibus contigit, aliquid audiuiſſe, ac poſtea (quæ eſt hominum in veritate obſcuranda procliuitas, adde quod & nuper attigi, omni carent ſcripturæ genere, ac proinde difficile eſt illis res vetuſtate obſitas ab mēdacio ſartas tectas conſeruare) fabulam illam confinxiſſe, Proauos nimirum ſuos proceris arboribus conſcenſis ſaluti conſuluiſſe. *Confuſa Barbarorum opinio de Diluuio.*

Sed ad *Caraibes* noſtros redeamus. Illi eo die ab Barbaris laute excepti fuere: nam & cibis exquiſitiſſimis, & largo potu *Caouin* liberaliter fuerunt tractati. Ego quoq; cum ſociis meis, qui inopinato Bacchanalib. illis interfueramus à *Mouſſacat* noſtris, hoc eſt, patribusfamiliâs, qui victum hoſpitibus præbent, lautiſſime fuimus excepti. Præterea autē, quę à me dicta ſunt diebus illis (quibus hæc ſolennia tertio quoq; anno celebrantur apud *Tououpinambaultios*) exactis, aliquando quoq; antequam aduenerint, *Caraibes* illi vicatim circumeunt, plumis pręſtantiſſimis in ſingulis familijs iubent ornari tria quatuorue illa crepitacula, quæ *Maraca* nomināt: quibus ita ornatis, longiorem baculi, quo trāsfiguntur, partem humi defigunt, tum cibum potumq; eis apponi iubēt. Quo fit, vt miſeri illi ex impoſtorum illorum perſuaſione credant fructus illos excauatos, atque ad illum modum ornatos, cibos abſumere. Quare ſinguli *Mouſſacat* diligenter eis apponunt, non modo farinam cum carnibus & piſcibus: verum etiam *Caouin*. Quinimo *Maraca* illis in terram ita defixis, totos dies quidecim ſumma cum diligentia miniſtrant. Denique miſeri illi poſt faſcinationem illam tātam de *Maraca* illis (quæ continuo manu geſtant) opinionē induunt, vt ſanctitatē *Maraca, Apparatus.* *Craſſa ſuperſtitio.* *Craſſiſſimus error.*

illis tribuentes affirment, dum ab ſe concutiuntur, ſpiritum quendam ſecum è mediis illis colloqui. Adeò autem erant præſtigijs illis faſcinati, vt ſi nos illac iter facientes, conſpectis delicatioribus quibuſdã cibis, quos *Maraca* ſuis appoſuiſſent, edendos accipiebamus (quod ſæpe factum eſt à nobis) Barbari magnum aliquod infortunium inde nobis euenturum rati, non minus offendebãtur, ac ſolent ſuperſtitioſi, ac Baalis ſacerdotum ſucceſſores, ſi libationes idolis ſuis oblatas abripi videant: quib. tamen in Dei contumeliam tum ipſi, tum meretrices cum ſpuriis ſuis aluntur. Pręterea, ſi ex eo arrepta detegendi eorum errores occaſione, ſignificaremus ſe ab *Caraibibus* decipi non modo in eo, quod *Maraca* edere ac bibere docerent, ſed præſertim in eo, quod falſiſſime iactarent, ſua opera fructus & radices craſſas, quibus veſcerentur, naſci: quod ſoli Deo, in quem crederemus, eſſet acceptum ferẽdum. Quam ob cauſam impoſtores illi *Caraibes* non minore nos proſequebantur odio, atque olim Baalis pſeudoprophetę Eliam ſuas præſtigias detegentem. Ac proinde conſpectum noſtrum fugiebant.

Reg. 18. 19.
Veritas mendacium fugat.

Cæterum licet *Tououpinambaultij* noſtri, vt à me initio huius capitis eſt dictum, externo ritu nullo, imo ne adgeniculatione *Caraibes* ſuos, nec *Maraca*, nec rem vllam creatam colant, multo minus adorant, vel inuocant. Exemplum ſubiiciam earum, quas in illis obſeruaui, religionis reliquiarum. Cum forte aliquando cum aliis Gallis aliquot, in quodam pago eſſem (*Ocarentim* ipſi nominant) & in aperto ac propatulo cœnaremus, confluentes Barbari eius vici incolæ, noſtri contemplandi, non conuiuandi gratia (nam hoc de more habent, vt cum iis, quos maxime colunt, nuſquã conuiuentur) maiores natu præſertim, cum multis beneuolentiæ ſignis nos tanquam ſtipatores noſtri circumſtabant, è naribus piſcis cuiuſdam os longitudine trium quatuorue pedum, in ſerræ formam, præ manibus habentes, pueros à nobis arcebant his verbis: Procul eſte, nebulones; eſtis enim indigni, qui ad viros iſtos accedatis. Nos vero, ne minimo quidem verbo dicentes interfati, attente & tacite intuebantur. Donec peracto cõuiuio maior natu quidam, quum obſeruaſſet, nos à precibus cibum auſpicatos, precibus quoq; cœnam clauſiſſe, accedens ita infit: quid ſibi vult hic ritus, quo vos modo vſi eſtis, cum ſublatis pileis omnes præter vnum, qui loqueretur ſilẽtium tenuiſtis? ad quem pertinebat ea oratio, quam ille habuit? Veſtrumne præſentium ad aliquem, an ad abſentium? ibi ego opportune oblatam eam occaſionem arripiens, vt apud eos de vero Dei cultu loquerer: cum præter eius pagi amplitudinem & frequẽtiam, Barbaros etiam ſolito attentiores animaduerterem: rogare Interpretem noſtrum, vt ſuis verbis meum illis ſermonem, quoad capere ipſi poſſent, explicaret. Tum à quæſtione ſenis exorſus, preces noſtras ad Deum dirigi reſpondi: eumque, etſi ſub ipſius aſpectum non caderet, non tantum liquide audiuiſſe nos, ſed etiam quidquid pectore occultum haberemus, id perſpicue cognoſcere. Inde ad creationem mũdi delapſus, in primis laboraui, vt docerem, hominem nobiliſſimum inter creaturas à Deo eſſe cõditum, vt eo magis celebrandæ opificis ſui gloriæ ſtudeat. Ac nos quidem, quod ipſum cole-

Vetuli Barbari, quomodo Gallos excipiant.

Occaſio veri Dei annunciandi Barbaris.

coleremus, eius manu infinitis periculis longiſſimæ nauigationis in tam vaſto mari eripi, eiuſdemq; ope fretus ab omni *Aygnan* metu, tum in hac, tum in ventura vita eſſe liberos. Quare ſi *Caraibum* ſuorum impoſturas, & Barbarũ deuorandę humanæ carnis morem abiicere vellent, eadem prorſus Dei dona conſequuturos, quæ nos habere cernerẽt. Multa præterea de humani generis labe ac ruina, vt eorũ animos ad Chriſtum prępararemus ſubiecimus, quoad eius fieri potuit accõmoditatis ad eorum captum rationibus & exemplis (prout legimus à Paulo & Barnaba factum, qui Lyſtrenſes ab idololatria ad verum Dei cultum reuocaturi docebant, vt à vanis rebus, quibus dediti erant, ad Deum viuum conuerterentur, qui fecit cœlum & terram, & omnia quę in eis ſunt) quæ in præſens fuſius perſequi ſuperſedeo. Illi quum nos ingenti cum admiratione duas amplius horas perattente auſcultaſſent: tũ vnus ex iis auctoritate & ætate grauis, in hunc modum diſſeruit: mira, equidem, optima, & nobis nõ ante audita, hic dixiſtis. Ac veſtra quidem oratio mihi in memoriam redigit, quæ nobis ſępe auos noſtros narrantes audiuimus: nempe iam inde à priſcis temporibus, & tam multis ab hinc Lunis, quot iam meminiſſe non poſſumus (quippe illi Lunarum numero aut vicibus, non menſibus atque annis temporum ſpatia definiunt) veniſſe in has terras quẽdam *Mair* (id eſt Gallum, ſeu quslibet alia è gente aduenam) veſtro more veſtitum & barbatum. Atq; eum, vt ipſos ſub Dei veſtri obſequiũ duceret, eadem oratione apud eos eſſe vſum, qua nos hodie affamini. Sed, vt nobis quoque à Patribus per manus traditum eſt, eos illius verbis fidem adhibere noluiſſe. Itaq; mox ſucceſſiſſe alium, qui Enſem, ſymbolum maledictionis, illis traderet. Inde ſequuta inter nos bella, neq; ex eo mutuis cædibus alij in alios ſæuire deſtitimus. Nunc vero, poſtquam diuturno vſu his aſſueuimus, ſi nunc repente auitũ morem exueremus, apud vicinas gentes ludibrio & deriſui eſſemus.

Act. 14. 15.

Barbari de vero Deo ſermonem audientes obſtupeſcunt.

Notatu digniſſima Barbari narratio.

Hic nos ſumma contentione ac vehementia teſtari, tantum abeſſe, vt finitimorum ludibrijs moueri oporteret, vt contra, ſi ſummum illum & cœli & terræ opificem ſerio colerent, de omnibus, qui ob id vltro moleſti eſſent, victoriam referrẽt. Poſtremo eam verbis noſtris efficaciam addidit Dominus, vt non multi tantum Barbarorum, ad eam quam ex nobis didiciſſent legem, deinceps vitam compoſituros, nec cæſorũ hoſtium carnes vltra eſturos ſe promitterent: ſed ſecundum hoc colloquium, poſitis humi genibus, nobiſcum Deo gratias agerent. Ea oratio, quę ab vno è noſtris clara voce in medio eorum cœtu ad Deum concepta fuerat, mox illis per interpretem expoſita eſt: nos ab illis in pẽſilia è bombyce cubilia, dormitũ deducimur: ſed nondũ ſomnus nos corripuerat, quũ ecce iſtos cantantes, & conclamantes audimus. Sumẽdam de hoſtib. vltionem, & plures, quam antea eſſe mandendos. En incõſtantiam miſeri huius populi: & humanæ naturæ triſte exemplar. Mihi tamen equidem perſuadeo, ſi nos diutius in illis terris morati eſſemus, fore vt aliq tandẽ Chriſto lucrifierẽt.

Barbari Dei cultui adhærere pollicentur, precibuſque interſunt.

Id mihi ab illo tempore non ſemel in mentem venit, quod dixerat ille à maioribus ſibi per manus traditum fuiſſe, *Mair* quẽdam, hoc eſt, noſtra-

tem hominem (neq; enim, Galluſne fuerit, an Germanus, multum laboro) ad ſe deuectum, verũ ſibi Deum annunciaſſe: ac quærere apud me cœpi, an non ex Apoſtolis quendã innuant. Ac ſane, quamuis eos libros meo calculo comprobare nolo, qui præter Dei verbum de Apoſtolorum peregrinationibus mira narrant, Nicephorus de Diuo Matthæo agens, ſcribit

Lib.2.cap.41.

illum apud Cannibalas Euangelium prædicaſſe, qui & ἀνθρωποφάγοι ſunt, nec

Rom.10.18.

multum ab Tououpinambaultiis diſtant. Sed multo magis mouet me Diui Pauli, quem ex Pſalmo 19. deſumpſit locus, *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum:* quod à doctis quibuſdam interpretibus ad Apoſtolos refertur. At enim quãdoquidem conſtat Apoſtolos in remotiſſimas vſque orbis partes penetraſſe, quid incommodi ex eo conſequetur, ſi aſſeramus vnum aut plures Apoſtolos in Americam commeaſſe? Faceret illud quoque ad generaliſſimam expoſitionem, quã nonnulli afferri volunt dicto illi Chriſti, fore vt prædicetur Euangelium regni in

Matth.24.14.

vniuerſa terra. Quod tamen præciſe de Apoſtolorum ætate affirmare nolim. Confirmo tamen (quod à me iam initio eſt dictum) me noſtra memoria Euangelium apud Antipodas annuntiatum vidiſſe & audiſſe. Itaq;

Euangelium noſtra ætate apud Antipodas annuntiatum.

& obiectio ſoluetur, quæ illi loco fieri ſolebat, & Barbari in extremo die magis fiet ἀναπολόγητοι. Ad reliquum vero Americanorum ſermonem quod attinet, quo affirmant maioribus ſuis recta docenti & monenti obſequẽtes ſe præbere recuſantibus, gladium datũ fuiſſe, quo etiam nũc ſe mutuo trucidant: non alienum ab eo videtur, id quod eſt in Apocalypſi equo rufo inſidenti datum fuiſſe, vt tolleret pacem è terra, vt alii alios mactaret, da-

Cap.6.4.

tumq; fuiſſe ei gladium magnum. Hæc ſunt ipſa Ioannis verba, quæ, quo ad literam (vt loquuntur) ad *Tououpinambaultiorum* noſtrorum ſemonẽ proxime accedunt: attamen, ne ſententiam detorquere, neue longius petita afferre videar, locum hunc aliis applicandum relinquam.

Interim alterum ſuccurrit exemplum, ex quo patet Barbaros illos Braſilienſes, ſi modo diligenter docerentur, ſatis dociles eſſe, vt ad veram Dei cognitionem perueniãt. Exemplum illud hoc loco inſeram. Ego cibariorum parandorum cauſa, in continentem tranſductus, cum Barbaris duobus *Tououpinambaultiis* ac tertio *Oueanen* (quæ gẽs eſt *Tououpinambaultiis* fœdere iũcta) qui cum vxore amicos inuiſerat, atq; tum domum redibat. Cum his tribus iter per ſiluam faciens, noua arborum herbarumq; ſpecie, ſimul canoro auium concẽtu, ad prædicandas Dei laudes inuitatus, totum Pſal-

Nota ſermonis ſeriem & quæſtiones Barbari.

mum 104. alta voce cecini. Tres illi mei Comites adeo cantu (neq; n. verba capiebant) ſunt delectati, vt *Oueanen* ille finito Pſalmo vultu maxime hilari his me cõpellarit verbis: Tu ſane ſuauiſſime ceciniſti, ac tuus cantus mihi in memoriam reuocauit gentis cuiuſdam, quę & vicina eſt nobis, & ſocia modulationem: quo non mediocri affectus ſum lætitia. At (inquit) illius verba capimus, tua vero minime: quæſo igitur, vt quidnam id ſibi velit, quod ceciniſti, nobis exponas. Ego tum quantum potui, copioſe (ſolus enim tum Gallus cũ illis eram, duo vero me in proximo vico opperiebantur) expoſui me in genere Deum celebraſſe, ob rerum condidarum pulcri-

tudi-

tudinem, ac earum adminiſtrationem: ſpeciatim vero id illi à me tributũ fuiſſe, quod ſolus homines cęteraque animantia alat, quodque arbores ac plantas, quæ in vniuerſo ſunt terrarum orbe, eius vi ac potentia enaſcãtur. Cantionem porro illam iam olim ante decem Lunarum millia (quæ ſola eſt illis temporum diſtinctio) à Dei illius mei ſpiritu dictatam fuiſſe, atq; ab Propheta ex noſtris ſummo cantatam, & poſteris in eundem vſum traditam. At hæc Barbari (prout ſunt ad ea, quæ dicuntur attentiſſimi, & cœptum ſermonem minime abrumpunt) hunc meum ſermonem, quem in ſemihoram produxeram, auide excipientes ingenti cum admiratione, in exclamationem hanc eruperunt. *The*, quam vos *Mair* (ſic illi Gallos appellant) fœlices eſtis, qui tot arcana ſciatis, quæ nobis miſeris occulta ſunt! Inde ex illis quidam, vt mihi gratularetur animalculum *Agoti*, quem gerebat (de quo c. 9.) ita me compellans dono dedit: En tibi, quia ſuauiter accinisti. Hanc ego digreſſionem haud grauate adiũxi, vt docerem Barbaros Americanos, quantumuis in hoſtes ferociſſimos, non adeo eſſe agreſtes, vt ea quæ audiunt, cum iudicio non diſcernant. Imo auſim affirmare illos ſermonibus texendis aptiores eſſe, quam ſint ruſtici noſtrates, atque adeo ex illis permulti, qui vel magnifice de ſe ſentiunt. *Barbari ſuam agnoſcunt obcæcationem.*

Iam ſupereſt, vt quæſtionẽ expediam, quæ hinc oritur, vnde nam Barbari Americani genus duxerint. Ego vero primum aſſero quidem eos ex vno filiorum Noachi, originem traxiſſe, ſed à quo non ita cõſtare: quod neque ex ſacra hiſtoria, neq; ex profana confirmari poſſit. Conſtat quidem Moſem, vbi de Iapheti filijs verba facit, eos Inſularum incolas fuiſſe aſſerere: ſed quia omnes in eo conſentiunt, quod eo loco Moſes Græciam, Galliam, & Italiam deſignet, quas regiones, quod interiectum ſit mare, Inſulas appellat, minime conſentaneum eſt illud ad Americam referre. Neminem quoq; credo aſſenſurum, ſi dicantur à Semo oriundi, à quo Iudæi & ſemen benedictum: licet ipſi quoq; vſq; adeo fuerint deprauati, vt eos tãdem meritiſſime, reiecerit Deus. Itaq; quãdoquidem illi earum rerum penitus ſunt ignari, quę ad ſalutem ęternam ſpectant (quam in ſolo Chriſto ſumus adepti) ſintq; gens (ſi quæ alia) à Deo maledicta & derelicta: etſi ad hanc vitam, quod attinet, iam demonſtraui, atq; demonſtrabo etiam deinceps, eos de rebus iſtis caducis nõ admodum ſolicitos eſſe, quo fit, vt vitam hilarem, ac verme curis vacuam tranſigant, contra quam faciunt noſtrates non pauci, terrenis iſtis adeo inhiantes, vt verius languere quam viuere dicantur, probabilius eſſe videtur, eos à Chamo originẽ trahere. Quã ſententiam hac coniectura veriſimillima cõfirmo. Cum Ioſue iuxta promiſſiones Patriarchis factas, mandatumq; ſibi peculiariter datum, in terram Chanaan ingrederetur, teſtatur ſcriptura, tãtum terrorem irruiſſe ſuper illius terræ incolas, vt diffluerint metu Iſaelitarum: vnde etiã fieri potuit (quod aliorum pace dixerim) vt Americanorum noſtrorum maiores, Iſraelitarum conſpectum fugiẽtes mari ſe commiſerint, ac tandem in terram Americam appulerint. Quinetiam Gomara, hiſtorię Indicæ ſcriptor, vir eruditus, exiſtimat Peruenſes, quorum terra Braſiliæ eſt contermina, à

Vnde nam originem traxerint Barbari. *Gen. 10. 5.* *Americani fœliciter hanc tranſigunt vitam.* *Ioſ. 2. 9.* *Lib. 5. cap. 217.*

Chamo originem ducere, ac maledictionis diuinæ in Chamum hæredes eſſe. Quod mihi in mentem venerat, & in commentarios retuleram, annis 16. antequam Gomaræ libros conſpexiſſem. Huic quoque ſententiæ id ſuffragari videtur, quod in ſapientiæ libro ſcriptum extat, ca. 12. verſ. 4. 5. Antiquos habitatores terræ ſanctę, viſcera comediſſe humanarum carnium. Attamen, quia multa aduerſus iſthæc afferri poſſunt, prout multos in obiectionibus afferendis laboraſſe ſcio, nihil mihi hac de re ſtatuendum exiſtimo. Ergo fruatur vnuſquiſq; ſua ſentētia, vtvt ſit, ego pro mea parte, certiſſime ſcio eos homines eſſe, ex Adami corrupto ſemine prognatos, ac tantum abeſt, vt eorum in diuinis rebus ἀναισθησία perſpecta, fides mea, quæ aliunde per Dei gratiam firmatur, concuſſa aut labefactata fuerit, multo minus, vt inde Atheorum & Epicureorum more, aut nullum eſſe numen; aut ſi quod ſit, rerum humanarum curam abieciſſe cōcluſerim. Cum potius agnito in illis maximo diſcrimine, quod eſt inter eos, qui Spiritu Sancto & Sacrarum literarum lumine ſunt illuſtrati, & alios qui cœcitati ſuæ ac reprobo ſenſui ſunt traditi, magis ac magis fuerim in amplexanda cæleſti veritate confirmatus.

Capvt XVI.

De coniugio, Polygamiæ, & conſanguinitatis gradibus, quos Barbari obſeruant: deque liberorum apud eoſdem educatione.

Conſanguinitatis gradus.

IN coniugiis hi tantum obſeruantur conſanguinitatis gradus: nemo eorum matrem, ſororem, vel filiam in vxorem ducit: reliquorum ratio nulla habetur: patruus neptē ducit, atque ita deinceps. Tamen, vt infra dicetur in colloqo Americano, nemo filiam aut ſororem ſui *Atouraſſap* matrimonio ſibi iungere poteſt. Is autem *Atouraſſap* dicitur, cuius tāta eſt cum quodam neceſſitudo, vt bona inter vtrumq; ſint communia. Ritib. vero ſeu ceremoniis nullus eſt locus. Qui viduam aut virginem cupit, comperta amatæ volūtate, parentes, aut ſi deſint, propinquos adit, rogatq; num filiam ſuam ſibi nubere velint? Si annuāt, eam continuo domum deducit, nullo conſcripto dotali inſtrumento (perſcriptoribus enim apud Barbaros nullus eſt locus) atq; pro legitima vxore habet. Si vero repulſam patiatur, abſq; vlla animi perturbatione cœpto deſiſtit. Sed notandū eſt, Polygamiam apud eos in vſu eſſe, ac proinde cuilibet viro tot vxores ducere, quot viſum fuerit licere. Imo quo plures quis habuerit, eo fortiorem & generoſiorem cenſeri. Inter cæteros quēdam vidi, qui octo domi haberet, atq; de illis non raro permulta in ſui commendationem prędicaret. Id vero eſt maxime mirandum, quod in tanta vxorum multitudine, licet vna præ cæteris à viro diligatur, cæteræ nuſquam illud ægre ferant, aut Zelotypia ducantur, aut aperte muſſitent. Itaq; tranquilliſſime & maxime concorditer viuunt, ſua xylina cubilia texentes, rem familiarē curantes, hortos conſtruentes, radices plantantes. Diſpiciant vero omnes, annon (etiamſi polygamia à Deo non eſſet prohibita) inter mulieres

Polygamia.

Concordia inter American. mulieres admiranda.

lieres noſtrates tam bene conuenire poſſet. Melius ſane cum quouis agetur, ſi ad triremes demandaretur, quam vt tãtò rixarum inuolucro implicaretur. Huius rei teſtis eſt Iacobi S. Patriarchæ anxietas, ductis Lea & Rachel quantumuis ſororibus. Qui vero fieri poſſet, vt noſtrates mulieres plures vnà ſimul viuerent? vt vna illa, quæ à Deo in adiutorium viro data eſt, non raro inſtar mali cuiuſdam genij domeſtici eũ vexet? Attamen non eo hæc à me dicuntur animo, quaſi eas inſimulare velim, quæ ſeſe in officio continent, hoc eſt, obſequium cultumq́; viris debitum exhibẽt: quin imo has, quæ ſibi hac ratione laudem conciliant: tanto magis laudandas, quam reliquas vituperãdas exiſtimo. Atqui, vt ad inſtitutum de Americanorum coniugiis ſermonem reuertar, ſciẽdum eſt, adulteras mulieres adeo Barbaros abominari, vt ſola naturæ lege ducti, hæc obſeruent, in viri ſitam eſſe poteſtate adulterã, vel mactare, vel ſaltem ſumma cũ ignominia & opprobrio dimittere. Hoc quidem verũ eſt, eos de innuptarum pudicitia conſeruanda non admodum ſollicitos eſſe: imo facile cuiuis eas proſtituere: ita, vt (quod iam à nobis eſt dictũ) permultas in variis pagis ab Neuſtrijs Interpretibus compreſſas viderim, quibus tamen nulla ob eam rem ignominiæ nota inuſta erat. Nuptæ vero diligẽter caueant, ne hac in parte peccent, ni mactationis aut ignominioſæ dimiſſionis pœnam velint incurrere.

Gen. 19. & 30.

Adulteriũ abhorrent Americ.

A me præterea eſt obſeruatum (quamuis illi regionem calidã incolant, ac contra quam de Orientalem plagam incolentibus vulgo dici ſolet.) Iuuenes cum mares tum fœminas libidini non admodum deditos eſſe. Atque vtinam noſtrates æque ſibi hac in parte temperarent. Verum, ne plura quam par ſit illis tribuam, memini, eos nonnunquam inter rixandũ conuitium hoc *Tyuire*, hoc eſt, ἀρσενοκοῖται, mutuo ſibi obiicere ſolitos, ex quo cõiicere eſt (neq; enim pro comperto habeo, nec aſſeuerare velim) flagitium illud apud eos locum habere.

Grauidæ mulieres ab grauioribus oneribus tantum abſtinent, reliqua munia cõſueta exequuntur. Ac ſane mulieres multo labore viros antecedunt: viri enim (niſi quod aliquando matutino tempore, nuſquam meridiano arbores quaſdam ad hortos conſtruendos collucant) tempus inſumunt in militia, venatione, piſcatu, clauis ligneis fabricandis, arcubus, ſagittis, alijſq; id genus. Ad mulierum partum quod attinet, non auditione accepta, ſed viſu pcepta referemus. Ego aliuſq; Gallus in vico quodam diuerteramus, circa mediam noctem clamorẽ muliebrem ingentẽ exaudimus, ſurgimus, eam ab belua *Ianouare* interceptã rati, accurrimus, mulierẽ parturiẽtem offendimus, cui vir obſtetricabatur: is puerulo in vlnas recepto, dentibus vmbilicum abſcidit, naſum vero depreſſit (illi n. puerorum formam in ſimitate collocant, contra quam faciant obſtetrices noſtrates, quæ infantulorum recens natorum ad elegantiam protrahunt) quod etiã apud cæteros omnes locum habet: editus in lucem infantulus ſtatim lauatur, ac coloribus atro & rubro à patre depingitur: tum, faſcijs minime inuolutus, xylino cubili penſili imponitur. At ſi maſculus fuerit, pater li-

Grauidæ mulieres Americ. quomodo ſe gerant.

Viri Ame. vxoribus obſtetricantur.

Quare Barbaris infantulis deprimatur naſus.

Infantuli crepundia. gneum gladiolum, puſillum arcum, & paruas ſagittas iam inde ab natiuitate ei dabit, lectuloque cum puero imponet, ac puerulum oſculis, hiſque compellabit verbis: Mi fili, vbi adoleueris ad vltionem de hoſtibus tuis ſumendam fortis eſto. Ad nominum impoſitionem quod attinet, memini *Quæ ſit Amer. nominum imponendorum ratio.* eum, de quo modo egi, ab parente *Orapacen* nominatum fuiſſe. Quę dictio arcum & neruum ſonat: vox enim eſt compoſita ex *Orapat*, quod eſt arcus, & *Cen*, neruus. Eadem quoq; in alijs ſeruatur ratio. Nam illi ſine delectu rerum ſibi cognitarum nomina liberis imponunt, vti nos canibus, alijſque noſtratibus brutis: verbi gratia, *Sarigoy*, quadrupes animal: *Arygnan*, gallina: *Arabouten*, *braſilia arbor*: *Pindo*, herba prægrandis; & ſic de alijs.

Infantulorum alimentum. Alimentum eſt præter lac maternum, farina maſa, & tenerrimũ quodque cibi genus. Puerpera biduo tantum, aut ad ſummum triduo diſcumbit, deinde puerulo mitella xylina impoſito vel hortum petit, aut ad cætera expedienda negotia proficiſcitur. Quæ tamen non ita ſunt accipienda, quaſi noſtratium mulierum conſuetudini detractum quicquam velim, quæ ob aeris intemperiem viginti minimum dies reſupinæ in lecto iacẽt: quæque adeo ſunt delicatæ, vt nulla vrgente neceſſitate, ſimul ac liberos ſunt enixæ, procul ab ſe eos ablegent, atq; adeo vel inſcijs ipſis extinguũntur, vel ſaltem iam grandiuſculi ſint, oportet vt luſibus eas oblectẽt, antequam domum admittantur. At vero, ſi delicatulæ quædam quærãtur, iniuriam ſibi à me fieri, qui eas cum Barbaris mulieribus comparem, quarũ, inquiẽt, ruſticitas nihil habet cum ſua teneritudine commune: equidem ad leniendum acerbum iſtud dictum eas ad Bruta ipſa animantia remittam. Quæ quidem vniuerſa, ne exceptis minimis auiculis vna veluti voce eas docebunt, generi animantium omni à natura eſſe inditum, vt de prolis educatione ſit ſolicitum. Atq; vt tandem obiectiones omnes anteuertã, quæro ab iſtius farinæ mulierculis, annon ſint delicatiores regina quadam Gallica? quæ cum comperiſſet, puerulum ſuum alienæ mulieris lac exſuxiſſe, materno accenſa affectu, adeo excanduiſſe fertur, vt non prius conquieuerit, quam infantulus lac alienũm euomuiſſet?

Sed ad rem, apud nos hæc obtinuit opinio, puerulos, niſi diligenter faſcijs inuoluerentur, ac conſtringerentur, diſtortis futuros cruribus: atqui aſſero iſthæc minime à Barbaris curari (vtpote qui infantulos recẽs natos, nudos ac minime religatos lectis xylinis imponant) quorum tamẽ liberi omnium mortalium rectiſſime incedunt. Fateor equidem aeris temperiem ad id plurimum valere, ac proinde cõcedo, puerulos noſtrates hyemis tempore diligẽter eſſe inuoluendos, ac faſcijs in cunis religandos, quod alioqui frigori ferendo ſint impares. At æſtate ac temperatis anni tempeſtatibus, præſertim cum gelu non riget (cum bona tamen aliorum venia) cẽſuerim, quãtum experientia aſſequi potui, infantulos vinculis illis eſſe ſoluendos, atq; in libertatem vindicãdos, genere quodam cubilis ad id excogitato, ex quo decidere minime poſſent. Ac ſane in hac ſum ſententia, non parum incommodi afferre calorem ſummum, quo æſtatis tempore puerúli apud nos faſcijs reuincti, quaſi percoquuntur.

Ne

Ne tamen plura quam par ſit ſatagere me ab nonnullis obiiciatur; puerulos noſtrates parentibus & nutricibus educandos relinquo. De Americanis vero addo, matres, quæ & linteis carent, & foliorum (quorum tamē maxima illis ſuppetit copia) ad hæc miniſteria non vtuntur adminiculo, fruſtulis ligneis tam diligēter poſteriora infantulorum abſtergere, vt ab omni ſorde continuo ſint immunes. Adultiores quoq; eandem ſeruant rationem, quos etiam (in fœdam iſtam materiam pauliſper digrediēs) commemorare libet, in caſis quidem mingere conſueuiſſe, nec tamē fœtorem vllum inde oriri: licet ignibus crebris fere iugiter colluceāt, atq; arena ſint ſtratæ: at quoties aluum ſunt exoneraturi, procul ab ædibus ſecedere ſolitos. Præterea, cum Barbari de liberis ſuis ſingulis ſint ſoliciti, quorū in ſingulis familijs magnus eſt numerus (non tantus tamen, vt occurrat pater, qui ſexcentos filios ſuſceperit, prout Gen. Ind. Scriptor affirmat, Regē conſpectum eſſe, cui tot eſſent liberi, quod merito quidem inter prodigia eſt recenſendum) tum vero maxime mares diligunt, quod ſoli bello ſint apti, ac vindictæ de hoſtibus ſumendæ ſint cupidiſſimi. Iam vero, ſi quis quærat, quonam eos imbuant à teneris eruditionis genere? Reſpondeo: ex ijs, quæ à me capitibus 7. 13. & 14. de eorum ingenio, bellis, ac hoſtium deuorandi ratione dicta ſunt, facile eſſe colligere eos, quibus ſcholæ ne auditione quidem notæ ſunt, bonas artes minime edocere. Ac proinde, eos tanquam veros Lamechi, Nimrodi, & Eſaui ſucceſſores, nō modo venatores eſſe, & bellatores, ſed etiam hominum mactatores & deuoratores.

Infantuli Amer. mundiſſimi abſque linteorum vſu.

Cap. 96.

Gen. 4.13. & 10.8.9. & 27. 23.

Inſuper de *Tououpinambaultiorum* coniugio dicere, quantum feret pudor, pergēs, aſſero (contra quam ab nonnullis eſt confictum) viros naturalem verecundiam ſeruātes, nuſquam cum vxoribus coram congredi. Qua in re non modo ſunt Cynico illi præferendi, qui ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehenſus impudētiſſime reſpondit, ſe hominem plantare: ſed etiam fœtidiſſimis noſtratibus hircis, qui hominum conſpectum turpia quæq; admittentes minime fugiūt. Præterea quæ dicta ſunt, notatu eſt imprimis dignum, nos, qui in terris illis per annum integrum viximus, fœminam nullam menſtruis laborantem vnquam conſpexiſſe. Ego crediderim, fluxum illum ratione nobis ignota eas diuertere. Puellas enim annos duodecim natas vidi, quarum latus ab axilla ad genu vſque animalis cuiuſdam dente acutiſſimo ab matribus incideretur. Puellæ vero prę ſummo dolore frendētes, magnam cruoris copiam emittebant: hoc illas remedio menſtrua anteuertere coniicio. Hic vero, ſi à medicis, atque aliis harum rerum peritis obiiciatur, hæc cum eo, quod nuper à me eſt dictū, mulieres Barbaras eſſe fœcundiſſimas, non conuenire, quandoquidem menſtruis ceſſantibus mulieres nec concipere, nec parere poſſunt: Reſpondeo, mihi in animo nō eſſe quæſtionem hanc ſoluere, imo nec plura de his adiicere.

Quibus in rebus occupentur Barbari.

Naturalis verecundia in Americanorum coniugiis ſeruatur.

Americ. fœminarum purgatio.

Cap. 7. ſub finem eorum refellimus errorem, qui vel ſcripſerunt, vel tacite crediderunt, fœminarum nuditate viros ad libidinem pellici. Nōnulla etiam de puerorum Barbarorum educatione adiunximus. Itaque ea lector inde requirat, moneo, vt fuſiori ſuppleant tractationi.

Capvt XVII.

Quid leges, quidque politia apud Braſilienſes nuncupari poſſit: quam humaniter excipiant hoſpites: deque lachrymis ac fictis ſermonibus, quibus hoſpites in ipſo ingreſſu ab mulieribus excipiuntur.

Barbari concorditer viuũt.

AD politiam Barbarorum quod attinet, vix credibile eſt, quam pulchre inter eos ſola naturæ luce ductos conueniat. Nec referri iſtud poteſt, niſi ſummo eorum pudore, qui diuinis & humanis ſunt inſtructi legibus. Quod tamen de tribulibus inter ſe, aut de fœderatis eſt intelligẽdum: etenim erga inimicos, quomodo ſe gerant, iam eſt à nobis demõſtratum. Si quæ tamẽ contentio inter quoſdam apud eos exoriatur (quod rariſſime accidit, nam toto anni ſpatio, quo apud eos vixi, bis tantum rixantes videre mihi contigit) ſpectatores litem componere minime curãt: ſed eos pro libidine agere, oculos licet ſibi mutuo ſint confoſſuri, ſinunt. At ſi alter alteri vulnus inflixerit, comprehẽdique poſſit, vulnus ei eadem in corporis parte ab vulnerati cognatis infligitur. Imo ſi forte vulnꝰ mors conſequatur, ab mortui cognatis de medio tollitur homicida. Deniq; vitam pro vita, oculum pro oculo, dentem pro dente rependunt. Sed iſthęc, vt dixi, rariſſime apud illos contingunt.

Homicidarum apud Barbaros pœna.

Leuit.24.19.20.

Pagi & familia Ameri. quo diſponantur modo.

Res ſoli apud eos ſunt caſæ, & agri longe ampliores, quam qui incolis alendis deſideretur. Ad caſas quod attinet, ſciendum eſt primum, ſingulos pagos ſexcentena hominum capita capere, quare complures eadem caſa habitare neceſſe eſt. Attamen ſingulis familijs ſuum occupantibus locum (abſq; vllo interſtitio: nã nihil eſt, quod impediat, quo minus ab extremo vno ad alterum ædes illæ pateant, quę in paſſus 60. vt plurimum producũtur) pater quiſq; familias vxores & liberos ſeorſim poſitos habet. Ad hæc obſeruandum eſt (quod eſt ſane mirãdum) Americanos vnum locum vltra quinq; aut ſex menſes non incolere. Sed exportata materia, atq; herba *Pindo*, quibus caſę eorum conſtant, vicos ſuos frequenter tranſportãt, quibus tamen eadem ſemper ſeruantur nomina. Nos ipſi pagos nonnullos à priſtino loco mille paſſibus remotos conſpeximus. Ex quibus ſatis cõſtat, non modo apud Americanos noſtros ingentia non ędificari palatia (quẽadmodum à quodam ſcriptum eſt, Indos Peruẽſes domos ligneas tã magnificas habere, vt in illis cœnacula ſint longitudine paſſuum CL. latitudine vero LXXX.) ſed etiam à nullo caſam ædificari, quam & perficere, imo vltra vicies ſtruere ac deſtruere ante obitum non cogatur, ſi tamen iuſtam hominis ætatem attigerit. Iam ſi quæratur ab ipſis, curnam tam frequẽter ſedes mutent? In promptu eſt reſponſio: Cœli mutationem ad valetudinem multum conferre: præterea ſe, ſi ab maiorum conſuetudine recederẽt, confeſtim interituros. Ad agros quod attinet, *Mouſſacat* quiſq; aliquot quidem peculiares habet, quos pro arbitrio, vbicunq; viſum fuerit, ad componendos hortos ſeligit. Sed anxiã illam curã de fundis diuidẽdis, & limitibus

Pagorum apud Americ. tranſportatio.

Hiſt. Gen. Ind. lib.2.cap.60.

Quos agros peculiariter poſſideat Americ.

tibus figēdis, & definiendis agris auaris & leguleiis noſtratibus relinquūt.

De eorum ſupellectile nō ſemel à nobis in ſuperioribus eſt dictum. Sed ne quid eorum amittamus, quæ ad Oeconomiam Barbarorum pertinēt, hoc loco recēſebo Americanarum mulierum in goſſypio (cuius apud eas vſus eſt multiplex, tam in funiculis, quam in penſilibus ſuis cubilibus texendis) nendo artificium.

Goſſypium quō modo nent Americ. mulieres.

Extractum ex flocculis, pro omni carminatione digitis aliquantulum extendunt, tum humi aceruatim diſponunt (nam colis vti non norunt) pro fuſo virgulam habent digiti craſſitudine, pedali longitudine, qua orbiculum ligneum transfigunt, goſſypium virgulæ ſummæ alligāt, tum ad femur (vt fuſos ſuos ſolent noſtrates) inſtrumentū illud torquentes, è manu emittunt. Orbiculus ille per domos vel plateas inſtar verticuli deuoluitur. Atq; eo modo filū nent, non modo craſſum ad cubilia xylina texenda, ſed & ſubtiliſſimū. Huiuſmodi ego in Galliam attuli, quo thoracem ē candida tela ornari curaui: cuius tanta erat tenuitas, vt à quibuſuis pro lectiſſimo Serico haberetur.

Inis, cubilia xylina.

Cubilia ſua xylina *Inis* nuncupant. Fœminæ, ad quas pertinet iſtud opificium, textrinas habent ab noſtratibus nonnihil abſimiles: neq; enim in planum ſunt conſtructæ, neq; tot machinamentis conſtant, ſed editæ ad earum ſtaturam, ſuo more ordiuntur, tum ab imo texendi initiū faciunt. Quædam ex cubilibus illis ad formam retium, alia denſiora inſtar telæ rariſſimæ conficiunt. Quinq; aut ſex pedum longitudinem obtinent, latitudinem vlnæ: extremo vtriq; fibulæ xylinæ adduntur, quibus funes annectunt: ac trabibus ad hunc vſum in caſis accommodatis ſuſpēdunt. In Caſtris degentes, aut in ſiluis ad venationem, aut in litoribus ad piſcatum ea ex arboribus ſuſpendunt. Hæc cubilia (ne quid à nobis prætermittatur) vbi ſordes vel ex humano ſudore, vel ex fumo, ob ignis perēnitatem contraxerunt hoc abluūtur modo. Mulieres fructum quendam in ſiluis colligunt, forma ab cucurbitæ planę non abſimili, verum longe ampliorem, adeo, vt ægre ſingula poma altera manu geſtentur, hos fructus fruſtatim concidunt, atq; in prægrande aliquod fictile vas coniectos aqua madefaciunt. Tum baculo vehementer mouent, atq; ſpumam ex illis excitāt, cuius ope (loco ſaponis) cubilia ſua ita mundant, vt niuem vel fullonicos pānos candore adæquent. Cæterum expertis iudicandum relinquo, annon ſuauius, æſtiuo præſertim tempore, in cubilibus illis decumbatur, quam in lectis noſtris vulgaribus: an etiam temere in hiſtoria noſtra Sancerrana affirmarim, longe commodiorem eſſe eiuſmodi cubilium vſum in excubiis, quam & recepto more, milites in ςιβαδίοις volutentur, nā & veſtes conſpurcantur, & pediculi comparantur; & quod magis eſt, ſi ad certamen ſit conſurgēdum corpus quodammodo armis, quæ continuo militibus adhærent, conquaſſatur: quod in vrbis Sancerranæ obſidione experti ſerio ſumus. Hoſtis enim per integrum annum ad portas noſtras permanſit.

Cubilia Barbarorum, quomodo ſternantur.

Spumia, quæ Saponis vicem ſupplet apud Americ.

Reliquam Americanorum Supellectilē, vt in pauca contrahamus, mulieres (quib. res domeſtica eſt curæ) Cannas ingentes parant, & pręgrandia

Ingentia, mediocria & exigua fictilia vaſa mulieres Americ. fabricant.

fictilia vaſa conficiunt ad *Caouin* ſuum imponendum. Ollas quoque varia forma effingunt, pelues paruulas & mediocres, paropſides, atq; id genus alia vaſa, quæ extrinſecus quidem minime ſunt polita, intrinſecus tamen adeo læuigata & alba, neſcio qua infectura, quæ cõtinuo indureſcit decorata, adeo vt ſingulorum noſtrorum induſtriam mulieres illæ facile adæquent. Præterea fucum neſcio, quem Leucopæum aqua madefaciunt, deinde varias rerũ formas in ſuis vaſis affingunt intrinſecus, atque in ijs præſertim, in quibus farinam, aliaq; ciborum genera aſſeruanda reponuntur. Eorum itaq; vſus eſt gratiſſimus, imo longe præſtant illa vaſa ligneis, quibus non pauci hîc vtuntur. Hoc tamen pictrices illæ laborant vitio, quod vbi penicillo quicquid collibuerit, effinxerunt, ſi rogentur eadem denuo pingere, minime poſſint: quod exemplum nullum præter phantaſiæ ſuæ induſtriam propoſitum habeant. Hinc fit, vt picturarum iſtiuſmodi duæ vix vnquam ſimiles reperiantur.

Pocula, aliaq; vaſa ex fructibus corbes & caniſtri.

Præterea (vt alibi dixi) Barbari cucurbitas aliaque fructuum genera habent, quæ diuidunt atq; concauant, illiq; pro poculis (quæ *Coui* appellant) aliiſque varii vſus vaſis vtuntur. Corbes quoque habẽt amplas & mediocres, atque adeo caniſtros, iuncis aut herbis ſubflauis, ab ſtramine triticeo non alienis aptiſſime contextos. Hos *Panacon* nominant, inq; illis farinam, aliaque, quæ fuerint viſa, imponunt. De armis, veſtibus plumaceis, Inſtrumentoque *Maraca* iam eſt à nobis facta mentio, itaque vt breuitati conſulam, plura non addo. Ecce iam Caſas Barbarorum extructas, atque ſupellectile inſtructas habemus, iam ipſi in illis ſunt inuiſendi.

Barbari comiter hoſpites excipiunt.

Sed paulo altius iſtud eſt repetẽdum. Etſi *Tououpinambaultij* hoſpites perquam humaniſſime excipiunt, tamen Galli, alijq; aduenæ, qui eorum linguæ ſunt ignari, initio non parũ ſunt ob tam inſuetos mores attoniti. Ego quum primum inter illos verſarer (quod 20. circiter die poſt noſtrum ad caſtellam Colignium appulſum cõtigit) Interpres quidam ad vicos quoſdam in continẽtem me deduxit, is, quem primum vidi indigenarum lingua *Ybouraci*, Gallica vero *Pepin*, de naucleri cuiuſdam nomine, qui quondã ad eum locum nauem onerarat, nuncupatur: quatuor tantum paſſuum millibus ab caſtello noſtro diſtat. In ipſo ingreſſu me frequentes circumeunt Barbari, hiſq; compellãt verbis: *Marape-derere, Marape-derere?* hoc eſt, quo nomine vocaris? quę quidem voces vere mihi erãt Barbaræ, alius vero eorum galerum meum mihi ablatum capiti ſuo imponit, alius cingulum & enſem meum lateri nudo ſuo ſubligat: alius tunicã induit, meque ſuis clamoribus hebetãt, atq; meis induti ſpoliis huc & illuc diſcurſant. Ego tum meorum omnium iacturam feciſſe me arbitrabar, nec ſatis ſciebam, quã tuto apud illos eſſem. Verum vt ipſe expertus ſum, metus ille ex moris illorum ignoratione oriebatur, illi enim idem omnibus aduenis, pręſertim ijs, quos nondum conſpexerunt, factitare ſolent, ſed vbi animi gratia aliquantiſper eo habitu obambularunt, ſingula præciſe reſtituunt. Tum fui ab interprete admonitus, illos vehemẽter optare, quod mihi nomẽ eſſet, intelligere: ſed in eo edendo ab nominibus apud nos vſitatis abſtinẽdum

Eorũ quæ auctori, cum primum Barbaros adijt, acciderunt, faceta narratio.

eſſe,

eſſe, vtpote quæ Barbari nec pronuntiare (Iohannis n. loco *Nian* dicebant) nec memoriæ mandare poſſent: ſed aliquid eſſe proponendum, quod illis eſſet notum. Res tam fœliciter ſucceſſit, vt, quantum ſignificauit mihi interpres, qui linguæ Braſilicæ erat peritiſſimus (neq; enim ſubtilius inquirendo hæc confinxi, vt impudẽter calumniatur Theuetus, ineptiſſime de ſuo *Quoniambeco* Viror. Illuſt. libro diſſerens) nomen meum Lerij Oſtreum ſignificaret. Itaq; reſpondi me, *Lery-oùſſou* vocari. Illi rem probare, atque interiectione ſua admirante *The!* crebro vſurpata, his me compellare. Præclarũ ſane nomen! nec vnquam *Mair* vllum offendimus, cui tale eſſet nomẽ. Ac ſane Circe nuſquam hominem in tale oſtreum transformauit, nec qui tam ſedulo cum Vlyſſe diſſereret, quam ego ex illo tempore cum Barbaris diſſerui. Obſeruandum eſt autem eos adeo tenaci eſſe præditos memoria, vt ſi cuiuſquam nomen ſemel audierint, illud nunquam obliuioni mandent. Reliquos, quos in hoſpitibus excipiendis obſeruant ritus, poſtea recenſebo: iam quid mihi tum primum inter Barbaros verſanti contigerit, explicabo. Ego cum interprete eo die vlterius ſum progreſſus, atque in pago *Euramiri*, Indigenarum lingua; Gallica vero Goſer de interpretis cuiuſdam nomine, qui eum aliquandiu incoluerat, diuertimus: occidente ſole appulimus, Barbaros ſaltantes, & *Caouinantes*, ob captiuum, quẽ eo die mactarẽt, offendimus. Carnium illius fruſta Boucano impoſita animaduerto. Quanto ibi horrore fuerim perculſus, minime quærẽdum arbitror. Attamen id minimum fuit, ſi cum ſummo metu, quo poſtea fui conſternatus, conferatur. Caſam ingredimur, cubilibus penſilibus inſidemus more recepto: fœminæ eo, qui à nobis dicetur modo, lugent, Paterfamilias amicis nos excipit verbis. Interpres, qui iſtis erat aſſuefactus, quiq; eorum cõpotationibus apprime delectabatur, me rerum omnium ignarum inſalutatum relinquit, atq; ad ſaltantes ac *Caouinantes* abiit. Ego vero, qui defeſſus eram, poſtquam me farina, & quibuſdã alijs cibis nobis appoſitis refeci, in cubili decubui. Attamen & ſtrepitu Barbarorum ſaltantium & *caouinantiũ* & captiuum deuorantium, mox fui expergefactus, & (quod maximum) quodam qui captiui boucanatum pedem manu geſtabat ad me accedente, atq; à me (vt poſtea intellexi, tum enim verba illius minime capiebam) annon vellẽ ex eo edere quærẽte, adeo fui metu conſternatus, vt à ſomnolẽtia fuerim penitus liberatus. Ac ſane omnino credebam geſtu illo, quem in deteriorem partem rapiebã, ab Barbaro mihi indicari, fore vt mox carnes meæ eo modo vorarentur. Præterea vti metus ſuſpicionem parit, in mentem mihi exemplo venit, Interpretem prodidiſſe me, atq; in Barbarorum manus tradidiſſe. Quare, ſi qua fugiendi patuiſſet mihi via, ego impigre fugam capeſſiſſem. Sed vndiquaq; me Barbari, quorum mentem non ſatis noueram (nihil enim mali in me moliebãtur) circumſtabant. Ego in metu cõfirmatus futurum ominabar, vt mox mactarer, quare totam noctem precibus ad Deum fundendis tranſegi. Cogitent lectores, qui de ijs, quæ à me narrantur, ſerio cogitabunt, num mihi longiſſima viſa merito fuerit. Prima luce Interpres (qui totam noctem cum Barbaris genio indul-

Auctoris nomẽ Americanâ linguâ.

ſerat) ad me redit, atque me pallidum atq; febri correptum videt: ibi quærit, num me male haberem, annon placide quieuiſſem? Ego tum acriter eum increpare, qui me inter Barbaros illos ſolum reliquiſſet, quorum ſermonem minime capiebam: quid multa? cum metum deponere non poſſem, obnixe rogo, vt ſine mora illinc faceſſeremus. Ille vero bono me animo eſſe iubet: ac minime male in nos affectos eſſe Barbaros denuntiat. Rē omnem Barbaris aperit, qui mihi totam noctem, vt aduentum gratularentur, adſtiterant: illi ſignificant, ſe de eo nonnihil ſubolfeciſſe, dolere tamen ſe, quod in tanto eorum metu noctem illam tranſegiſſem. Ac tādem in cachinnos prorumpunt, quod fuit metus illius mei ſolatium. Inde ad quoſdam alios vicos ego & Interpres ille perreximus. Sed iſthæc de primo meo inter Barbaros errore dicta ſint ſatis. Ad cetera reuertar.

Hi ſunt ritus, quos excipiendis hoſpitibus Barbari obſeruant. In primis oportet hoſpitem ſtatim, vbi in domum *Mouſſacat* illius fuerit ingreſſus, quem ſibi hoſpitem delegerit (quod in ſingulis pagis eſt faciēdum, nec ad alium eſt diuertendum, niſi illius in malam gratiam velis incurrere) cubili xylino penſili inſideat, ac tacitus ibi aliquantulum remaneat. Mox mulieres aduenient, cubile cingunt, humique ſedentes manus oculis imponunt ſuis, atq; eo modo fauſtum hoſpitis aduentum deflentes, innumera in illius laudem proferunt. Verbi gratia: tu tantum, vt ad nos accederes, laborem ſuſcepiſti: tu bonus es, fortis es. Si vero hoſpes fuerit Gallus, addūt, merces præclaras permultas nobis attuliſti, quib. hîc caremus. In ſumma, vt dictum eſt, mulieres illæ, lachrymis obortis, adulatorijs huiuſcemodi ſermonibus hoſpites excipiunt. Hoſpes vero, qui in cubili xylino ſedet, ſi gratiam vult cum hoſpite inire, compoſito vultu, niſi ſerio lacrymari voluerit (prout nonnullos ex noſtris vidi adeo fracto animo, vt fœminarum iſtarum vlulatu lachrymæ illis excuterentur) ſaltem quædam reſpondendo, & ſuſpiria trahendo fletum ſimulet neceſſe eſt. Peracta hac lepidiſſima à mulieribus ſalutatione, *Mouſſacat*, hoc eſt, paterfamilias, qui etiam, vt in pictura videre licet, in fabricanda ſagitta vehemēter occupatus, ne oculos quidem, quaſi non animaduertens, in hoſpitem per aliquot tempus coniecerit (blanditiæ à noſtris amplexibus admodum alienæ) tandem ad hoſpitem accedens, his eum compellat verbis: *Ere Joube?* hoc eſt, veniſti ne? tū, vt vales? quid queris, &c. quibus quo ſit reſpondendum modo, inferius in colloquio Americ. dicetur. Quærit poſtea num eſurias? Si annuas, confeſtim cibos varii generis, puta, farinam, quæ illis panis vices præſtat, ferinā, volatilia, piſces, aliaque id genus, in fictilibus tibi apponi iubet: verū, quod menſis ſcamniſq; vſus non ſit apud eos, humi omnia illa apponuntur. Ad potum quod attinet, ſi *Caouin* volueris, domiq; fuerit, ſtatim tibi dabitur. Denique, poſtquam mulieres fletibus hoſpitum aduentum ſtrenue celebrarunt, ad eos accedunt fructus aut alia munuſcula ferentes, atq; ita tacite pectines, ſpecula, vitreos globulos, quibus brachia inuoluunt, exigunt.

Mulieres Americanæ hoſpitū aduentum deflent.

Hoſpitis apud Amer. geſtus.

Mouſſacat, quomodo hoſpitē excipiat.

Porro, ſi in eo vico pernoctare voles, *Mouſſacat* cubile mundiſſimum tibi ſuſpendi iubet, quod circum igniculos accendi curabit, atq; noctu crebro

bro ſuſcitari folliculis,quę ipſi *Tatapecoua* vocant, ab orbiculis non abſimilibus, quibus ignis inuaſionem ab vultu arcent apud nos delicatiores fœminæ. Non quod frigori obnoxia ſit illa regio, ſed propter noctis humiditatem, maxime vero, quia moribus eſt ab illis receptum. Sed quando in ignis mentionem incidimus, quem illi *Tata*, fumum vero *Tatatin*, nuncupant, operæpretium puto præclaram illius excitandi rationem, vt exponā. Ea non minorem meretur admirationem, quam Scoticus lapis, qui (vt refert ſingularitatum regni illius inueſtigator) ſtuppa aut ſtramine obuolutus ignem per ſe excitat. Ergo Barbari, quod eo admodum delectentur igne, vbicunque ſint, ægre carent, ſiue domi, ſiue in ſiluis venantes, ſiue ad littus piſcantes, præſertim noctu: vehementer enim metuunt, ne incauti excipiantur ab *Aygnania*, à quo (vt iam diximus) crebro cæduntur & affliguntur. Itaque pro eo, quod nos lapide atq; chalybe ad ignem excitādum vtimur, cuius vſus ille eſt incognitus. Illi lignorū genera duo habent, quorum alterum eſt molliſſimum, alterum vero duriſſimum, quibus ad ignē excitandum hoc vtuntur modo: virgam ex præduri illius ligni pedali longitudinem ab altera parte exacuunt ad fuſi modum, huius cuſpidē in fruſto aliquo mollis illius ligni defigunt, tum ſiue humi, ſiue ſtipiti impoſitum, virgam illam, manuum volis maxima celeritate voluunt, quaſi ſuppoſitum ligni fruſtum perforaturi: Illa tam celeri, tamque violenta agitatione non modo fumus excitatur, ſed etiam ignis, itaq; admoto goſſypio, vel folijs quibuſdam ſiccis (fomitis noſtratis loco) commodiſſime ignis concipitur. Cuius rei ego ipſe feci periculum. Nec tamen mihi eſt animus ea confirmare, quæ Theuetus ſcripſit, Barbaros Americanos ante ignis vſum cibos fumo exſiccare conſueuiſſe, prout enim philoſophicum hoc ἀξίωμα, quod in prouerbium abiit, vt veriſſimum habeo, ignem abſq; fumo non eſſe, ſic eum indoctum phyſicum iudico, qui nobis perſuadere nititur, fumum abſque igne exiſtere. Fumum hic intelligo, cibis percoquendis aptum, cuiuſmodi ab Theueto innuitur. Nam ſi hac ſolutione nodo illo ſe expedire vellet, ſe id de exhalationibus intellexiſſe, etiamſi concedatur calidas eſſe, non tamen datur, eas cibos exſiccare & percoquere poſſe: quinimo & carnibus & piſcibus potius humiditatem ſint aucturæ. Quapropter, quid quæſo eſt lectoribus imponere, ſi hoc non eſt? Quando igitur adeo grauiter, tum in Coſmographia, tum alibi de ijs cōqueritur Theuetus, quos, quia res ab ſe commemoratas pro ſua libidine non exponant, eo accuſat nomine, quod non ſatis diligēter in ſuis ſcriptis ſint verſati: Lectorem rogo, vt locum iſtum diligenter obſeruet de nouo iſto calido, ac imaginario fumo, quem ego ad ipſius ventoſum remitto cerebrum.

Scoticus lapis admirāda ratione ignem concipit.

Cur Barbari igne delectentur: atque de egregia illius apud eos excitandi ratione.

Sing. Americ. cap. 35.

Iam igitur ad *Tououpinambaultiorum* in hoſpitibus excipiendis curam redeamus. Poſtquam eo, quo diximus modo, hoſpites cibum ſumpſerunt, atque decubuerunt, ſi liberales ſint, viris cultros, forfices, atq; volſellas ad barbam euellendam aptas: fœminis pectines & ſpecula; pueris hamos dare ſolent. Si vero cibarijs hoſpes indigeat, vbi de pretio eſt conuentum, ea aſportare licet. Porro, quia illi iumentis omnibus carent, omnes pedib. iter

Aduenæ quid hoſpitibus rependant.

Barbari aduenas humeris gerunt.

facere neceſſe eſt, ſi aduenæ fuerint defeſſi,atq; cultrum cuidam ex Barbaris obtulerint, ille confeſtim (nam ad gratificandum ſunt promptiſſimi) operam ſuam offeret ad defeſſum gerendum. Ego ipſe, cum in terris illis verſarer,non ſemel baiulis illis vectus ſui,&quidem bis mille paſſuum itinere.Quos ſi,vt pauliſper requieſcerent, monebamus,illi nos his verbis irridebant:Quid?noſne tam effœminatos aut fracto animo eſſe cenſetis,vt oneri ſuccumbamus?te potius totum diem abſque vlla intermiſſione geſtarem. Nos verò in cachinnos erumpentes gradarios illos bipedes mirabamur,atque illis animum addentes,dicebamus:Pergamus igitur.

Gradarij bipedes.

Naturalem charitatem abunde inter ſe mutuo exercent:nam & piſces, & ferinam,& fructus,aliaque quotidie alij alijs donant, imo vehementer dolerent,ſi vicinos ijs rebus,quas ipſi habent, indigere cernerēt. Atque etiam eadem liberalitate erga aduenas vtuntur. Cuius rei exemplum vnum afferre ſatis erit.De periculo quodam quod euaſimus,ego Galliq; alij duo, quod ſcilicet,mors nobis imminebat, ingēti lacerto nobis obuiam facto, capite huius libri nono memini: nos tum à via in mediis ſiluis per biduū aberrauimus,ac famem non mediocrem ſumus perpeſſi, tandem ad vicū quēdam,*Pauo* nomine, ad quem iam ante diuerteramus, peruenimus.Ibi nos liberaliſſime ab Barbaris fuimus excepti. Illi enim auditis incommodis, quæ perpeſſi eramus, ac præſertim ſummum, in quo verſati eramus periculum,vt ab feris deuoraremur,maxime vero,vt ab *Margaiatibus*,communibus noſtris hoſtibus mactaremur, ad quorum fines per imprudentiam proxime acceſſeramus. Conſpectis quoq; ſpinarum incommodis, quorum miſere cutis noſtra erat lacerata, adeo noſtra mala grauiter tulerunt,vt vere affirmare hoc loco poſſim blanditias fictas, quibus noſtrates miſeros conſolari ſolēt,longe ab ſincera gentis illius,quam nos Barbaram appellamus, humanitate abeſſe. Illi enim limpida aqua pedes noſtros (quod antiquorum morem mihi in memoriam reuocauit) abluerunt, ſingulis noſtrum ſeorſim in penſili lectulo ſedentibus. Tum patresfamilias, qui iam cibos nobis apparari prouiderant,recentemque farinam,quę(vt aliàs dixi) candidi panis medullæ bonitate non cedit, corradi iuſſerant, confeſtim nobis nonnihil refocillatis præſtantiſſimos quoſque cibos, puta ferinam,volatilia,piſces,fructuſque exquiſitiſſimos, quibus continuo abundant,nobis apponi iubent.

Barbari natura duce charitatem colunt.

Barbarorum humanitatis inſigne exemplum.

Præterea nocte adueniente *Mouſſacat* hoſpes noſter, pueros omnes à nobis, vt placidius quieſceremus,remouet. Poſtero autē die ſummo mane ad nos accedit,quæritque agite *Atouraſſap* (hoc eſt,fœderati intimi) placidéne hac nocte quieuiſtis? Placidiſſime excipimus. Tum ille:adhuc quieſcite, filioli mei, heri enim vos admodum defatigatos eſſe animaduerti. In ſumma,verbis exprimere non queo, quam humaniter & blande à Barbaris illis excepti fuerimus, qui nos non minori proſequuti benignitate, ac Melitenſes Barbari Paulum cæteroſque naufragos: de quibus Lucas in Actis Apoſtolicis. Cæterum nos nunquam abſque pera mercibus plena peregre proficiſcebamur, quæ nobis pecuniæ inſtar eſſent apud Barbaros illos.

Act.28.1.2.

los. Itaq; illinc abeuntes, quæ viſa ſunt, hoſpitibus donauimus: nimirum cultros, forfices, volſellas viris: pectines, ſpecula, armillas, & vitreos globulos fœminis: pueris vero piſcatorios hamos.

Hic, quid mihi aliquando apud eos contigerit, narrare libet, vt quanti faciant merces illiuſmodi commonſtrem. Ego in quodam pago diuerteram, à *Mouſſacat* vero meo rogatus ſum, vt quid in pera mea haberem, ſibi indicarem, vaſque ingens fictile mercibus meis imponendis afferri iubet: vniuerſas depromo, ordine diſpono: tum ille vehementer admiratus Barbaros reliquos aduocat, atque infit. Videte quæſo, ô boni, qualem virum apud me exceperim! an non liquidiſſime apparet, illum prædiuitem eſſe, quandoquidem tantas opes apud ſe habet? Illæ tamen merces (vt comiti meo Gallo ſubridens ſignificaui) quas tanti Barbarus ille faciebat, nimirum cultelli ſex vario capulo, totidem pectines, tria ſpecula, aliaque minimi pretij pauca, vix Lutetiæ duobus argenteis capitatis vænijſſent. Ego tum, quia homines liberales (vt eſt à nobis dictum) amant, vt mihi auctoritatem & gratiam apud illos conciliarem, *Mouſſacat* meo cultrorum meorum præſtantiſſimum coram omnibus donaui, quem non minoris ille fecit, atque apud nos quilibet torquem aureum maximi pretii donatum faceret.

Quanti à Barbaris æſtimentur cultri, aliaque merces.

Iam ſi quæratur, an tuta nobis eſſet apud illos habitatio? reſpondeo eos, prout inimicos tam inſano proſequuntur odio, vt captos mactent, vorentque: ſic vice verſa tanto, tamq; arcto amicos (in quorum eramus numero) amore complecti, vt potius quiduis ſubeant ad eos tuendos, quam vt vllo eos affici incommodo patiantur. Itaque eorum expertus fidem illis iam tum maxime videbam, ac nunc facilius viderem, quam pleriſq; Gallis infidiſſimis, atque à proauorum fide degeneribus. Nominatim degeneres addo: nam bonis, quibus per Dei gratiam nondum penitus deſtituta Gallia, vllo modo detractum nolim.

Barbari amicis fidiſſimi.

Veruntamen vt nihil, quod ad eorum mores attinet, diſſimulem, rem hic narrabo maxime mihi in ſpeciem periculoſam. Accidit, vt ſex Galli caſu in vicum illum *Ocarantim* (de quo ſæpe facta eſt mentio) conueniremus: ibi pernoctare ſtatuimus, ternique arcu contendimus, ea conditione, vt victi Indicis gallinis, aliiſque cibis in cœnam mulctarentur. Ego qui cum ſociis inferior in ludo fueram, gallinas venales conquiro. Puer quidem ex eorum numero, quos ſupra Roſea naui aduectos fuiſſe ad linguam Americanam ediſcendam demonſtraui, mihi occurrit, dicitq;: En tibi præpinguem Indicam anatem: Eam occide, pretiũ poſtea numerabis. Pareo, eoq; facilius, quod non ſemel in pagis alijs itidem Gallinas occideramus, quas cum bona Babarorũ gratia cultris quibuſdã redemeramus: mortuã manu apprehendo, domumq;, in quã ad *caouinandum* frequentes Barbari cõuenerant ingredior: cuiuſnam ſit anas, pretium numeraturus quæro: prodit vetulus quidam caperata fronte, ac ſuam eſſe ſignificat. Pro ea ſibi numerari quod velit, pretiũ peto. Cultrum, inquit ille. Ego haud mora præbeo: Ele-

Hiſtoria de periculo in ſpeciẽ imminente.

gantiorem velle ſe ait. Denuo elegantiorem offero. Nec iſtum placere ait: Quid ergo à me exigis? inquam. Falcem, excipit. Ego, qui pretium inauditum exigi à me videbam, quiq; apud me falcem tum non habebam, cultro contentus ſit moneo, meque aliud nihil daturum eſſe. Interpres, cui mores Barbarorum innotuerat (quamuis hac in parte, vt mox dicam, deceptus fuit) vehementer Barbarum iratum eſſe ſignificat; falcem quouis tandem pretio inueſtigandum eſſe, atque illi pendendam. Falcem ab puero, de quo nuper dixi, mutuo accipio, ab Barbaro trado. Renuit. Ego nonnihil iratus, tertio ab eo quæro, quid igitur petat? Ille audaciſſime, te interficere volo, ait, prout anatē meam occidiſti. Ea enim fratris cuiuſdam mei olim fuerat, atq; idcirco præ omnibus meis in pretio habebam. His dictis bardus ille domum abit, clauaque ingenti lignea ſex pedum longitudine inſtructus ad me redit: denuoque mortem mihi minatur. Ego tum valde fui attonitus, metum tamen meum diſſimulabam diligenter. Tum interpres cubili penſili, quod inter me & aduerſarium meum erat interiectum, quid facto opus eſſet opportune monuit. Gladium tuum & arcum ac ſagittas oſtentando, inquit, his illum compella. Quo cum ſibi negotium eſſe putet? te fortem ac ſtrenuum eſſe, nec impune eum mortem tibi intētaturum: denique quod in animo erat diſſimulans, variis ſermonibus vltro citroque habitis, nullo de diſſidio ſedando laborante, Barbarus ille meus ebrius, quippe totum diem *Caouinando* tranſegerat, dormitum abijt. Ego cum interprete ad ſocios noſtros contentionis meæ ignaros cœnatum me confero. Nihilominus tamen totum illud à Barbaro meo ioco factum fuerat. Norunt enim illi ſe, qui immortales cum Luſitanis inimicitias gerunt, ſi vel Gallum vnum occidant, mercibus penitus prohibitos iri. Ac ſane ille paulo poſt experrectus per Barbarum quendam mihi ſignificat, me ſuum eſſe filium, quæque abs ſe acta fuerant, eo tantum animo geſta fuiſſe, vt quam ſtrenue in Luſitanos & *Margaiates* bellaturus eſſem, periculum faceret. Ego vero, vt occaſionem omnem ei idem vel in me, vel in alium quemuis tentandi tollerem, adde quod iſtiuſmodi luſibus delectari nemo ſolet: Reſpondeo me facile tali parente, qui exſerto gladio filiorum periculum faceret carere: imo etiam poſtridie eius diei domum quādam, in qua erat ingreſſus, vt quam ęgre illud ferrem, ſerio cognoſceret, eo præſente, aſtantibus cultellos, aque hamos dono, illum vero indonatum relinquo. Ex hoc igitur exemplo, eoque, cuius ante memini, de periculo, quod ſum imaginatus tum, cum primū apud illos verſatus ſum, ſatis apparet ea, quæ dixi, cōſtare, nēpe amicis eos fidiſſimos eſſe. Iſtud quoq; obiter eſt notandum, quod Senes, qui ſecuribus, falcibus, ac cultris olim caruerunt, quibus tamen ad ligna ſecanda, ad arcus fabricandos, ſagittaſque parandas tam commode iam vtuntur, non modo Gallos humaniſſime excipiunt, ſed & iuniores, vt idem in poſterum præſtent, crebro hortantur.

CAPVT XVIII.

Quam curam morbis ſuis adhibeant Barbari: de eorum ſepultura & exequiis: deque inſano eorum circa mortuos luctu.

TANDEM vt huic de Barbaris Americanis ſermoni finem imponamus: hoc quoque loco aliquid de eorum in morbis ſuis cura ac obitu dicendum eſt. Ergo ſi forte cōtingat, vt eorum aliquis in morbum incidat, partem dolore affectam, vbi indicauit, ægroti intimus quidam ore exſugit, nonnunquam etiam ab impoſtoribus quibuſdam, quos illi *Pages*, hoc eſt, medicos aut chirurgos appellant (ſunt autem à *Caraibibus*, de quib. antea diuerſum genus) miniſteriū illud pręſtatur. Dolorem quoque ſe extrahere dicunt, ac vitam producere. Febribus, alijſque vulgaribus morbis aliquando laborant: at non ita frequenter atq; nos ſolemus. Præterea cū inſanabili quodam morbo conflictantur, quem illi *Pians* vocant. Is plerumque à libidine prouenit: puerulos tamen eo infectos vidi, nō abſimili ab variolis noſtratibus modo. Contagio hæc in puſtulas tandē abit digito pollice ampliores, quę corpus vniuerſum, atque adeo faciem ipſam inuadunt. Itaque ijs, qui hoc morbo affecti fuerint, tam inſignes ſuæ impuritatis notæ inuruntur, atque apud nos venerea lue laborantibus. Cuius rei exemplo fuit Neuſtrius quidam interpres, qui crebris ſeſe ſcortationibus cum mulieribus ac puellis Barbaris contaminarat. Is meritis digniſſimam reportauit mercedem: nam eius corpus vniuerſum, atque adeo vultus ipſe, tam erat deturpatus, vt elephantiaco morbo laborantem deformitate referret: tamque inſignes inuſtæ ſunt notæ, vt deleri nuſquam potuerint: hinc fit, vt morbus ille omnium pniciosiſſimus ab illis habeatur. Sed ad rem. Ægrotanti cibum nuſquam præbent, niſi ab eo petatur, inedia licet ſit periturus. Præterea morbus quantumuis ſit grauiſſimus, valentes non deſiſtunt ſaltando, cantando, bibendo, more recepto, miſerum ægrum ſtrepitu obtundere: nec conqueritur æger, quod ſe nihil profecturum eſſe norit. At ſi diem ſuum obeat, cantus ille (ſi præſertim pater quidam familiâs fuerit) in lachrymas repente conuertitur, tantique eduntur gemitus, vt ſi forte in pago quodam diuertebamus luctus illius tempore, nobis vel alio erat commigrandum, vel inſomnis nox erat ducenda. In primis autem non ſine admiratione mulieres exaudiuntur, quæ ſic vociferantur atque exclamant, vt luporum aut canum vlulatus, non humanas voces edi dicas. Has autem effundūt querelas vocé tremula: Obijt fortiſſimus ille, qui nobis tot captiuos deuorandos olim præbebat! Tum cæteræ, ô egregium venatorem, ô præſtantiſſimum piſcatorem, ô ſtrenuum Luſitanorum & *Margaiatium* mactatorem! In ſumma, mulieres ſeſe mutuo ad luctum incitantes, brachiaque inuicem amplexantes, vt in ſubiecta pictura videre eſt, ab his luctibus ac præconiis non prius deſiſtunt, quam cadauer elatum fuerit.

Pages, Barbarorum medici.

Barbari ægrotos, quomodo tractent.

Deniq; Barbaræ iſtæ mulieres Bearnenſium ritum in viris ſuis mortuis lugendis imitantur, quos quantum accepi, his proſequuntur querelis: *La mi amou, la mi amou; Cara rident, œil deſplendou; Cama leugé, bet danſadou; Lo mé balen, lo m' esburbat; mati depes; fort tard cougat*, hoc eſt, mi amice, mi amice, vultu hilari, oculis ſplẽdentibus, cruribus pernicibus, egregie ſaltator, fortis ac ſtrenue, qui ſummo mane ſurgebas, atq; ad multam noctem vigil decumbebas. Vaſcones quoque mulieres, quæ ſuperioribus iſthæc addunt, *Yere, yere, O le bet renegadou, ô le bet iougadou qu' here*, hoc eſt, heu, heu, quã ſtrenuus erat deie-



rator, quã inſignis luſor! Porro ijs quas diximus querelis Barbarę mulieres crebro epodium hoc adiiciunt. Obiit, obiit is, quem iam lugemus! Tum viri, heu! mortuus eſt, nec eum amplius videbimus, donec poſt montes cum ipſo, prout docent nos Caraibes noſtri, choreas agamus. Alia inſuper eiuſdem generis multa addunt. Eiulatus vero illi ad ſex horas producũtur, neq; enim mortuos ſuos inſepultos diutius ſeruare ſolent. Tumum exca-

uata

uata foſſa non oblonga, vt ſolemus, ſed in orbem, dolij maioris inſtar, cadauer erectum ſepelitur. Patres vero familias defunctos cubili ſuo xylino obuolutos in medijs ædibus ſepeliunt, plumis, alijſque, quibus dum vita manebat, delectabantur, in ſepulchro reconditis. Permulta in hanc ſententiam antiquorum exempla huc afferri poſſent, à quibus idem olim erat factitatum: cuiuſmodi eſt illud, quod Ioſephus commemorat de pecunijs in Dauidis ſepulchro conditis: id etiam quod profanæ teſtatur hiſtoriæ de viris illuſtrib. qui poſt obitum pretioſiſſimo quoq; mundo ornati ſepulti ſunt. Ac ne longius ab Americanis noſtris recedamus, Indi Peruenſes Reges ſuos ac *Cacicos* ſepelientes, magnam auri, argenti, atque gemmarum vim in eorum conijciunt ſepulchra: quæ cum Hiſpani ſcrutarentur, ingẽtes inde diuitias contraxerunt. Quibus rapaciſſimis hominibus apprime id conuenit, quod Plutarchus de Semiramide commemorat. Semiramis Regina, quæ Babylonem condidiſſe dicitur, monumento quod ſibi pararat, inſcripſit: Quiſquis rex pecunijs eguerit, aperto monumento quãtum voluerit, capiat. Darius potitus ea ciuitate, titulo credens, ſaxum ingens, quo claudebatur monumentum, vix amolitus, nihil quidem inuenit pecuniarum, ſed ex altero ſaxi latere hoc inſcriptum reperit: Ni vir malus eſſes, & pecunia inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moueres. Sed ad *Tououpinambaultios* noſtros redeamus. Ex quo Galli ad eos commeare cœperunt, ab pretioſorum in ſepulchris repoſitione abſtinuerunt. Sed inauditam, ac vere diabolicam ſuperſtitionem retinuerunt. Prima à funere nocte, Barbari, quibus hoc perſuaſum eſt, fore vt *Aygnan*, ni alios cibos offenderet paratos, cadauer effoderet, ac deuoraret, vaſa non pauca farinę, piſcium, carnium, aliorumq; ciborum diligenter paratorum, nec non potionis *Caouin* plena circa ſepulchrum apponũt. Quam libationem tamdiu faciunt, quo ad cadauer penitus conſumptum eſſe credat. A quo errore eo difficilius dimouebatur, quod interpretes quidam Neuſtrij, ſacrificorum Belis exemplo, non ſemel ante noſtrum aduentum cibos illos clam ſubripuerant. Quo facto Barbaros in errore adeo confirmarant, vt quamuis cibos illos veſpere appoſitos mane ſupereſſe demonſtraremus, magno tamẽ labore perpaucos ab errore dimouimus. Hoc autem Barbarorum ſomnium ab Rabbinorum cõmento non eſt alienum: nec ab eo, quod Pauſanias commemorat. Rabbini enim ſcribũt, cadauer hominis tradi in poteſtatem Cacodæmonis cuiuſdam, quem Zazel, aut Azazel nominant: quemque Principem deſerti in Leuitici libro dici affirmant. In cuius erroris confirmationem Scripturæ locos detorquent, quibus dicitur ſerpenti, puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ; atque ita ratiocinantur. Quandoquidem corpus noſtrum è limo terræ deſumptum eſt, qui ſerpẽtis eſt cibus, ei ſubijciatur neceſſe eſt, quoad in ſpiritualem naturam transformetur. Pauſanias etiam auctor eſt interpretes Delphicos tradidiſſe Cacodæmonem quendam, quem Eurinomum appellant, mortuorum carnes deuorare ſolitum, atque oſſa carnibus nudata relinquere. Qui errores ad Americanorum ſomnia proxime accedunt.

Sepulchra, atque in ſepeliẽdo ritus Americanorum.

Antiquit. lib. 7. cap. 12.

Mundus cum cadauere ſepelitur.

Conſule Benzonem lib. 3. cap. 22.

Error vere diabolicus.

Leuit. 16. 3.

Gen. 3. 14. Iſa. 65. 24.

Denique, quoties Barbari, eo quo diximus modo, vicos ſuos alio comportant, ſepulchris mortuorum tegmina quædam ex herba *Pindo* imponunt. Quo fit, vt viatores cœmeterij formā quandam agnoſcant. At quæ loca, ſi quando in ſiluis errantes virorum defunctorum recordentur, tantos edunt eiulatus; vt procul exaudiantur. Tandem eas, quo quantum ad ſacietatem fuerit, lugeant relinquo. Quando igitur Barbaros ad ſepulchrū vſque ſum proſequutus, de eorum moribus dicendi hic finem faciam. Lector tamen præter ea, quæ attigimus, nonnulla poterit obſeruare in eo, q̄ ſubiicimus colloquio: quod ſcriptum fuit eo tempore, quo in America viuebam ope cuiuſdam interpretis; qui & linguæ Americanæ erat peritiſſimus (quippe ſeptem annos iam in illis terris vixerat) & linguam Græcā, à qua non paucas voces mutuantur Barbari, optime callebat.

Capvt XIX.

Colloquium in ipſo aditu Braſilienſis oræ inter indigenas Tououpinambaultios Tououpinenkin *Braſilice ac Latine conſcriptum.*

Tououpinambaultius.

Ere-ioube? Veniſti ne?

Gallus.

Pa-aiout, Sic eſt, veni.

T.

Teh! auge, ny-po, Bene dixiſti.

Mara-pe-derere? Quomodo vocaris?

G.

Cognomē auctoris lingua Americana.

Lery-ouſſou, Oſtrea magna.

T.

Ere-iacaſſo pienc? Patriam ergo reliquiſti, vt hic deinceps habitares?

G.

Pa. Ita eſt.

T.

Eori-decretani ouani repiac. Adeſdum igitur, & locum habitationis tuæ circumſpice.

G.

Auge-be, Bene eſt.

T.

I-ende repiac? aout I-enderepiac aout e eheraire. Teh! Oouerete Teuoij Lery-ouſſu yme en! Ecce igitur, fili mi, venit in has regiones noſtri memor, papæ!

Caramemo arcæ, aliaque vaſa.

Ererou de caramemo? Attuliſti ne capſas? Eo vero nomine comprehendimus, quicquid includendis omnis generis veſtimentis aptum eſt.

G.

Pa arout. Etiam, attuli.

T.

Mobouy? Quot?

Quot-

Quotquot habueris vſque ad numerum quinq;, verbis notare poteris, hoc modo. *Augepe*, 1. *mocouein*, 2. *moſſaput*, 3. *oioicoudic*, 4. *ecoinbo*, 5. Si duas tantum habes, quatuor numerare non oportet. Satis enim erit, ſi dixeris tria *mocouein*. Si quatuor habueris, ſic dices *oioicoudic*. Et ſic de reliquis. At vero, ſi quinarium numerum excedant, numerum quem voles totidem digitis tuis, aut ſi non ſufficiunt, ſociorum qui tibi adſtant, iudicare poteris: nō enim habent aliam numerandi rationem.

T.

Mae pererout, de caramemo poupe? Quid in capſis attuliſti?

G.

A-aub, Veſtimenta. Veſtimenta.

T.

Maravae? Cuius coloris? Colores.

G.

Sobouy-ete. Cærulei.
Pirenk. Rubei.
Joub. Lutei.
Son. Nigri.
Sobouy-maſſou. Viridis.
Pirienlz. Variorum colorum.
Pegaſſou-aue. Coloris columbini.
Tin. Albi. Et de induſijs intelligitur.

T.

Mae pamo? Quid præterea?

G.

Acang aube-roupe. Galeros.

T. Galeri.

Seta-pe? Multos.

G.

Icatoupaue. Innumeros.

T.

Ai pogno? Id ne totum eſt?

G.

Erimen. Minime.

T.

Eſſe non bat. Omnia nomina.

G.

Coromo. Expecta paululum.

T.

Neïn. Age igitur.

G.

Mocap, ſeu *Mororocap*. Ignea tormenta, Catapultas vtriuſq; generis: Nam *Mocap* omne genus tormēti ſignificat: maiora etiam, quæ nauibus imponuntur ad repellendos piratarum inſultus. Pronuntiant autem aliquan- Tormenta bellica.

do per B. & in ſcribendo, ſi fieri poſſet, intermiſcendæ eſſent M. & B.

Puluis pyroides. *Mocap-coui.* Attuli etiam puluerem igneum.

Inſtrumēta ad puluerem cōtinendum. *Mocap-couiourou.* Cornua & alia inſtrumenta ad puluerem includendum.

T.

Mara-vae? Cuiuſmodi ſunt?

G.

Tapirouſſou-ak. E cornu bouis conflata.

Augé gatou-tégue. Optime dictum.

Mâe pé ſepouyt rem? Quid tibi numerabitur pro ea re?

G.

Arouri. Ea inſtrumenta tantum attuli, quaſi dicas, nolo tam cito vendere.

T.

Interiectio. *Hé!* Interiectio eſt, qua vtuntur, dum quis eos alloquitur, quaſi reſpondere velint, Libenter? Et tamen quieſcunt, ne importuni videantur.

G.

Arou-ita ygapem. Cultros ferreos attuli.

T.

Naoepiac-icho pén é? Nunquid eos videbo?

G.

Bégoé irem. Quando erit otium.

T.

Falces. *Nérér oúpe guya-pat?* Nunquid falces attuliſti?

G.

Arrout. Attuli.

T.

Igâtou-pé? Sunt ne pulchræ?

G.

Guiapar été. Eximiæ ſunt.

T.

Aua-pomoguen? Quis eas fabricauit?

G.

Pagé-ouaſſou remymognén. Ille qui tibi notus eſt, cuiuſque nomen tale eſt, eas fabricauit.

T.

Augé-terah. Id bene ſe habet.

T.

Acepiati-mo-men. Papæ! Libenter eas viderem.

G.

Karamouſſee. Alio tempore id fiet.

T.

Tâcépiah taugé. Iam iam videam.

G.

Eembereingue. Expecta adhuc.

Ere-

T.

Ereroupe itaxe amo? Attuliſti ne cultros?

G.

Arroureta. Pleroſque attuli.

T.

Secouanrantin vae? Sunt ne cultri capulo diuiſo?

G.

En-en. Non. *Iuetin.* Alba capulo.
Taxe miri, paruos cultros.

Pinda, hamos. *Moutemouton,* Subulas. *Arroua,* Specula. *Kuap,* Pectines. *Mourobouye te,* Armillas cæruleas. *Cepiah yponeum.* Cuiuſmodi hic non extant. Eæque pulcherrimæ ſunt inter eas, quas hîc vidimus ab eo tempore, quo adferri cœperunt. *Hami, ſubulæ, ſpecula, pectines, armillas.*

T.

Eaſo-ia voh de caramemo t' acepiah de mae. Aperi arcam, vt tua bona intuear.

G.

Aimoſſaenen. Occupatus ſum.
Acepiag-oucairen deſue? Alio die aperiam ad te veniens.

T.

Nârour icho p' Iremmae deſue? Nonne aliquando ad te bona adferam.

G.

Mae! pererou potat? Quidnam vis adferre?

T.

Sceh de, Neſcio. Quid tu?
Mae perei potat? Quid vis?

G.

Soô, feras. *Oura,* aues. *Pira,* piſces. *Ouy,* farinam. *Tetic,* rapas. *Commenda-ouaſſou,* magnas fabas. *Commẽdamiri,* fabas paruas. *Morgouia ouaſſou,* aurea & citrea mala. *Mae tirouen.* Omnes denique aut pleraſque res. *Beſtiæ, aues, piſces, farina, rapæ, fabæ, mala aurea & citrea.*

T.

Mara-vae ſoo ereiuſce h? Cuius generis animal comedere aues?

G.

Nacepiah queuon, gouaire. Nolo ea comedere, quæ hîc proueniunt.

T.

Aſſenon de ſuoe. Ea tibi nominabo.

G.

Nein. Age vero.

T.

Tapirouſſou. Fera quam ſic vocant, quam ſemi aſinum, aut ſemi vaccam dicere poſſis? *Tapirouſſou, quale animal.*
Se-ouaſou. Genus cerui ac Damæ. *Genus ceruorum ac Damarum.*
Taiaſou. Aper. *Aper.*
Agouti. Rufum animalculum nefrendis magnitudine. *Agouti.*
Pague. Fera eſt magnitudine nefrendis, nigro & albo colore diſtincta. *Pague.*
Tapiti. Genus leporis. *Tapiti.*

Eſſe

G.

Eſſe non ooca ychesue. Nomina mihi aues.

T.

Magnæ aues trium generum.

Jacou, eſt auis caponis magnitudine. Eius autem tres ſunt ſpecies, nempe *Jacoutin, Iacoupem, & Iacou-ouaſſou*: boni guſtus omnes inter cæteras aues.

Mouton. Syluefter pauo. Sunt autem nigri & leucopæi, & corpus adeo magnum habent ac noſtri, auis rara.

Genus magnarum perdicum.

Mocacoua, eſt genus perdicis, quæ corpus magnitudine caponis habet.

Ynambou-ouaſſou, eſt etiam perdix fera, alterius magnitudinem æquans.

Ynambou, Perdix eſt non multum ab ijs diſtans, quas in Gallia videmus. *Pegaſſou*, Turtur. *Paicauc*, aliud genus turturis minoris.

Turtures.

G.

Seta-pe pira ſenae? Eſt ne magnus bonorum piſcium numerus?

T.

Nan. Tot ſunt.

Kurema. Mulus.

Parati. Mulus altero melior.

Aaara-pep. Piſcis planus, delicatior aliis.

Atrara bouten. Alius lutei coloris, qui minoris eſt pretij.

Atrara-meri. Maximè parui, qui in dulci aqua viuunt, boniq; guſtus ſunt.

Ouara. Magnus piſcis boni ſaporis.

Kamouroupouy-ouaſſou. Magnus piſcis.

G.

Mamo pe deretam? Vbi nam degis?

T.

Vici circa ripas Ganabaræ.

Kariauh, ora-ouaſſou-onee. Iaueu uraſſic? piracam, opem, Eiraia itanem, taracouir apam, Sorapo-u. Sunt nomina ꝓpria virorum, qui Ganabaram ſinũ ingredientib. ad ſiniſtrum latus apparent, nec mihi commode explicari poſſe videntur.

Keri u Ahara u Kouroumoure, Ita-auh, Ioira rouem. Vici in ripa eiuſdem fluuij ad latus dextrum.

Maiores vici in continenti ex vtroque latere hi ſunt.

Sacouarr-ouſſou tuue, Ocarentin, Sa popem, Nouroucuue, Araſa tuue, Vſupotuue. Ac multi alij, qui ab ijs, qui cum indigenis commercium habuerunt, cognoſci poterunt, & à patribusfamiliâs, quos falſo reges vocant, qui in illis vicis habitant.

G.

Mobouy-pe toupicha gatou heuou? Quot magni ſunt in his regionibus, hoc eſt, fortes?

T.

Seta gue. Multi ſunt.

G.

Eſſenon auge pe quoube ychesue, Nomina mihi aliquem.

T.

Nân. Vocabulum ad reddendum eum attentum, cui vis aliquid dicere.

Eapira-

Eapira-ui ioup. Nomen proprium hominis, quod nomen ſic exponas, caput ſemi caluum, & pilo admodum raro.

G.

Mamo pé ſe tam? Vbi habitat?

T.

Kariauh-be, In vico quē ita appellant, eſt autem nomen fluminis cuiuſdā, à quo nomen vicus ſortitur, quia ad eum ſitus eſt. Significat autem *Karios* domum. Componitur autem ex voce *Karios,* & *auh,* quæ domum ſignificat, extrahendo *os,* & addendo *auh,* erit *Kariauh. Be* autem eſt articulus ablatiui, & ſignificat locum, quem petis, aut in quem proficiſceris. *Kariauh-be, nomen cōpoſitum.*

T.

Moſſen ygerre. Quod ſignificat cuſtodem medicinarū, aut ad quem medicinæ pertinēt. Eo vero vocabulo vtuntur, quū mulierem veneficam deſignare, aut à Cacodęmone agitatā. Nā *Moſſen* eſt medicina, *gerre,* proprietas. *Cuſtos medicinæ, aut fœmina Cacodæmone obſeſſa.*

T.

Ourauh ouſſou auh arentin. Vici illius maxima penna.

T.

Tau-couar-ouſſou-tuue-gouare. In quo cannæ inſtar magnarum arundinum leguntur.

T.

Ou-acan. Præcipuus locus eius vici, quod ſignificat caput ipſorum.

T.

Soouar-ouſſou. Folium ab arbore collapſum. *Diuerſarū rerum nomina.*

T.

Morgouia-ouaſſou. Ingens malum citreum aut aureum, ſic vocatur.

T.

Maé du. Eſt flamma ignis.

T.

Maraca-ouaſſou. Magnum tintinnabulum. *Tintinnabulū.*

T.

Mae-uocep. Res, quæ partim emerſit è terra, aut ex aliquo loco.

T.

Kariau piarre. Via quæ ducit ad Carios. Sunt vero ipſi præcipui inter eos, qui fluuium Ganabarum incolunt.

T.

Che-rorup-gatou, derour-ari. Maxime gaudeo, te veniſſe.

Nein tercico, pai Nicolas iron. Mane vero cum domino Nicolao, ſic nominabant Villagagnonem. *Pai Nicolaus Villagagnon.*

Nereroupé deré miceco? Adduxiſti ne vxorem? *Miceco, vxor.*

G.

Arrout-iran-chereco augernie. Adducam, quum expedita erunt negotia mea.

T.

Marape derecouran? Quid tibi eſt negotij?

G.

Domus. *Cher auc-ouam.* Domus ad habitandum paranda eſt.

T.

Mara-vac-auh? Quod genus domus?

G.

Seth, Dae-ehereco-rem-couap-rengne. Nondum ſcio quid ſim facturus.

T.

Mein tereicouap derecorem. Cogita ergo quid ſit faciendum.

G.

Peretam-repiah-irée. Poſtquam veſtram regionem videro, & aliquãdiu commoratus fuero.

T.

Nereico-icho pè deauem a irom? Nonne cum tuis, hoc eſt, cum popularibus tuis habitabis?

G.

Maraui-amo-pe? Cur illud petis.

T.

Aipo-que. Non ſine cauſa dico.

Che poutoupa-gué deri. Id me male habet; quaſi dicas, id ſcire cupio.

G.

Princeps aut ſenex. *Nen pe amotareum-pe oreroubicheh?* Nunquid primarium noſtrum ſiue ſenem odio habetis?

T.

Erymen. Minime vero.

Serecogatou pouyr eim ete mo. Niſi res eſſet maxima cura digna, dicendũ eſſet.

G.

Secouae apoau e eugat engatoureſine, yporere cogatou. Eſt mos boni parentis, vt quod amat, diligenter conſeruet.

T.

Bellum. *Nereſco-icho pirem ouariui?* Nonne in bellum poſthac es profecturus?

G.

Aſſo irenue. Aliquando proficiſcar.

Mara-pe perouagerre-rere? Quod eſt nomen veſtris hoſtibus?

T.

Nomina hoſtium Tououpinamb. *Touaiat,* ſiue *Margaiat,* gẽs eſt, quæ eadem eſt cum illis lingua, apud quam Luſitani habitant.

Ouetaca, vbi habitent. *Ouetaca,* vere ſunt Barbari, & degunt ad fluuium *Mach-he, & parai.*

Oueanem, hi Barbari cæteros antecedunt, in ſiluis & montibus habitant.

Cararia, inter alios excellentes. *Caraia,* hi nobiliores ſunt, atq; etiam cibis, tum alijs rebus ad vitam neceſſarijs præ cæteris omnibus abundant.

Affinitas ac differentia lingu. inter Braſ. *Karios,* eſt populus, qui degit vltra *Touaiare,* ad fluuium Platam, cuius lingua eadem eſt cum Tououpinambaultijs & Tououpinenkin. Differentia idiomatis eſt inter eos, quos ſupra nominauimus. Ac primum quidem *Toupinambaultiis toupinenlzin, Touuaiarre, Tenreminon, & Kario.* Ferme eandem habent linguam.

Kara-

Karaia. Diuerſam à reliquis habent & viuendi & loquendi rationem.

Ouetaca. Differunt ab vtriſq; & viuendi & loquendi ratione.

Oueanem. Hi etiã diuerſum & victus & ſermonis ab aliis modum habent.

T.

Teh-oioab pœireca à paauué, iendeue.

Alius alium quærit, atque id magno noſtro bono. Nam vox hæc *iende ue*, eſt dualis, quo Græci vtuntur, cùm de duobus fit ſermo: hic tamen reſoluitur voce nobis. Modus loquẽdi

Tỳ ierob ah apóau ari. Exultemus quod nos homines inuiſunt.

Apóau ae mae gerre, iendeſue. Gens eſt noſtri commodi ſtudioſa, quæ nobis bona ſua largitur.

Tyréco-gatou iendeſue. Diligenter eam conſeruemus; hoc eſt, eam ita expiamus, vt ipſi ſatisfaciamus.

Iporencecé-am reco iendeſue. Præclara ſe nobis res offert.

Ty maran-gatuo apoau-ape. Huic populo nos dedamus.

Tỳ momourrou, me mae gerre iendeſue. Ne iniuriam faciamus Genti, quæ ſuà bona nobis affert.

Ty poich apoaue iendeſue. Suppeditemus eis cibos ad viuendum.

Ty poeraca apoaue. Laboremus, vt prædam pro ipſis venemur. Vox *yporraca*, præcipuè de piſcium venatione intelligitur, ſed eam ad alia etiam genera extendunt.

Tyrrout mae-tyronam ani ape, adferamus illis quidquid inuenire poterimus.

Tyre comremoich-meiende-mae recouſſa-ue. Ne illos male excipiamus, qui nobis adferunt bona ſua.

Pe-però inh auu-mecharaire oueh. Ne mali ſitis pueri mei.

Ta pere coih mae. Vt bona conſequamini.

Tœrecoih peraire amo. Et veſtri etiam liberi

Nyrecoih ienderamoyn mae pouatre. Nulla bona habemus ab auis noſtris.

O pap cheramouyn mae-pouaire aitih. Quæcunque mihi auus reliquerat proieci.

Apoau mae ry oi ierobiah. Magni æſtimans ea bona, quæ nobis afferuntur.

Jenderamouyn remie piae potategue dou-aire. Quæ cum noſtri videre optaſſent, nec tamen viderunt.

The oip otarhete iender amouyn recohiare ete, iendeſue. Id bene eſt, quanta potior noſtra conditio patrum noſtrorum conditione?

Jende porrau-ouſſou vocare. Id nobis triſtitiam omnem eximit.

Jende-co-ouaſſou-gerre. Id efficit vt magnos hortos habeamus.

En ſaſſi piram, iendere memynon ape. Nõ amplius dolent puerulì noſtri quum tondentur.

Tyre coih apouau, ienderoua-gerre ari. Hos nobiſcum contra hoſtes deducamus.

Toere coih mocap, o mae-ae. Habeant catapultas, quod genus armorum ſibi vendicant.

Mara-mo ſentén gatou-euin-amo; Cur non eſſent ſtrenui;

Memé taé morerobiarem, Eſt genus impauida.

Ty ſenenc avouau,maram-iende-iron. Experiamur ipſorum vires dũ nobiſcum erunt.

Ménré-taé morero ar roupiare. Illi ſunt qui dabellant alios, id eſt, Luſitanos.

Agne-he oueh. Quaſi diceret,quidquid dixi verum eſt.

T.

Nein-tya-mouéta iéndéré caſſariri. Colloquamur de iis qui non inuiſunt. Quod in bonam partem eſt accipiendum.

G.

Differentia inter Atour-aſſap,& Cotoaſſap.

Nein-che atour-aſſauep, age igitur mi ſocie:hic vero notãdum voces *Atour-aſſap & Cotouaſſap*, differre. Nam prior ſignificat perfectum fœdus inter eos ac nos pactum eſſe, quo fit vt bona ſint communia,cuius filiam aut ſororem ducere in vxorem non poſſumus. Non ita vero de *Coutouaſſap:* ea enim appellatione nominis alicuius vtuntur, vt tibiæ,oculi,auriculæ, & alia pleraque eius generis nomina.

T.

Maé-reſſe,iende moueta; De quibus loquemur?

G.

Colloq. de variis rebus.

Sceh macrouem-reſſe. De multis ac variis rebus.

T.

Cælũ,ſol,luna, ſtella,terra, mare,aqua dulcis & ſalſa.

Mara-pieng vvah rere? Quomodo vocatur cælum?

G.

Cælum.

T.

Cyh-rengne-taſſeuouh maetirouem deſue.

G.

Augebe, Recte.

T.

Mah, Cælum. *Couaraſſi,* Sol. *Jaſce,* Luna *Iaſſi tata ouaſſou,* Stella matutina & veſpertina, quæ Lucifer vocatus. *Iaſſi-tata-miri.* Aliæ omnes ſtellæ paruæ. *Ybouy,* Terra. *Poirauem,* Mare. *Vh-ete,* Aqua dulcis. *Vh-éen,* Aqua ſalſa. *Vh-een buhk,* Aquæ, quas Nautę vocant Sommaque.

T.

Ita,petra,metallum & domus fund.

Ita, proprie lapis eſt, accipitur etiam pro quolibet metallo & ædificii fundamento, vt *ach ita,* domus columna.

Tapurr ita faſtigium domus.

Iura-ita, trabes domus.

Omne genus lignorum. Ourapat, arcus.

Igourah, ſeu *ybouirah,* omne genus lignorum.

Ourapat, arcus, & quamuis nomen ſit compoſitum ex ybouyrah, quod eſt lignum, & apat, vncum: tamen pronunciant *orapat* per ſyncopem.

Arre, aer, *Arr aip,* malus aer.

Amen, pluuia.

Ameu

Amen poitu, tempeſtas pluuia ingruente. *Pluuia.*
Toup-en, tonitru: toupen *Verap* eſt coruſcatio. *Tonitru.*
Tori-hu, nubes aut brumæ. *Nubes.*
Ybneture, montes. *Montes.*
Quum, campeſtria loca, vbi nulli montes. *Planities.*

T.

Taue viri auh, domus. *Vh-écouap*, fluuius decurrens. *Vici & fluuij.*
Vhpaou, Inſula. *Inſula.*
Kaa, omne genus ſiluarum & nemorum. *Sylua.*
Kàa-pou, eſt ſilua in media planitie.
Kaa-ouan, qui in ſiluis educatus eſt. *Kaa-gerre.*
Koa-gerre, Cacodæmon eſt, qui ipſos vehementer vexat. *Cacodæmon.*
Ygat, linter ex cortice arborum, triginta aut quadraginta homines ad bellum euntes capiens: accipitur etiam pro naui, quam vocant *yguerroſſou*. *Ygat, Cymba.*
Puiſſa-ouaſſou, eſt rete piſcatorium. *Rete piſcatorium.*
Inguea, eſt magna Cymba ad piſcandum.
Inguéi, diminutiuum, Cymba quæ vſui eſt, cum fluuij exundant.

T.

Nomoquot, mae taſſe nomi déſue, quæſo, ne quid amplius nomines.
Emourbéou deretam icheſue, iam de tua patria & habitatione diſſere.

G.

Augêbé derengue eporen doup, bene eſt, primum ergo interroga.

T.

Ja eh marape deretam-rere, hoc faciam. Quod eſt patriæ ac regioni tuæ nomen? *Colloquium de Gallia.*

G.

Rothomagum, Vrbs quædam nominis.

T.

Tanouſcou-pe-oum? eſtne magnus vicus? Nullam ponunt differentiam inter vrbem & vicum: quia ipſi nullas habent vrbes.

G.

Pa, ſic eſt.

T.

Moboii-pe-perouhichah gatou? Quot habetis Dominos?

G.

Augé-pé, vnicum.

T.

Mara-pe-ſere? Quod illi eſt nomen?

G.

Henry. Tempore Henrici ſecundi hæc nauigatio fuit ſuſcepta. *Henric. II.*

T.

Tére-porren c. Præclarum nomen eſt.
Mara pe-peroubichan eta-euin? Cur non habetis plures Dominos?

G.

De principe ac ſubditis. *Moroéré-chih-gue.* Non plures habemus.
Ore ramoum-aué. A temporibus maiorum noſtrorum.

T.

Marapienh-pee? Vos vero quid?

G.

Oroicôgué. Nos eo contenti ſumus.
Orée mae-gerre. Et bene nobiſcum agitur.

T.

Epé noéré, coih pêroupichah-maé? Veſter autem princeps bona ne habet?

G.

Orecouh. Infinita habet.
Oré-maé-gerre ahépé. Quidquid habemus in ipſius arbitrio, poſitum eſt.

T.

Oriuii pe ogèpé? In bellum ne proficiſcitur?

G.

Pa. Ita.

T.

Colloq. de vrb. ac vicis. *Mobouy-taue-pe-iouca ny maé?* Quot vrbes aut vicos habetis?

G.

Setà-gatou. Plures quam poſſim dicere.

T.

Nireſci nouih-ichopène? Nunquid mihi recenſebis?

G.

Ypo icopouy. Id nimis longum foret.

T.

Yporrenc pe-peretani? Locus veſtræ originis, eſt ne pulcher?

G.

Yporren-gatou. Pulcherrimus.

T.

Eugaya pe-per-auce? Veſtræ domus, ſunt ne ſimiles noſtris?

G.

Oicoe-gatou. Multum abeſt.

T.

Méra-vaé? Cuiuſmodi ſunt ergo?

G.

Jta gepe. Sunt prorſus lapideæ.

T.

Tourouſſou-pe? Sunt ne magnæ?

G.

Tourouſſou-gatou. Maximæ.

T.

Vate-gatou-pé? Sunt ne multum excelſæ?

G.

Mahmo-

Mahmo. Id vero vocabulum admirantis eſt.

T.

Engaya-pe-pet-ancynim? Interior pars, accedit ne ad ſimilitudinem noſtrarum?

G.

Erymen. Non.

T.

Eſce-non de-rete renomdâu eta-icheſue. Recita mihi ea, quæ ad tuum corpus pertinent. *De rebus ad corpus ſpectãtibus.*

G.

Eſcendoup. Audi.

T.

J-eh. Paratus ſum.

Che-acan. Caput meum. *De dcan.* Caput tuum. *Ycan.* Caput ſuum. *Oreacan.* Noſtrum caput. *Pe-acan.* Veſtrum caput. *An atcan.* Eorum caput. Vt autem hæc pronomina melius intelligantur, perſonas ſingularis & pluralis numeri tantum declarabo.

Primum.

Che. Eſt prima perſona ſingularis numeri, quæ in omni ſermonis genere, ſiue primitiuo, ſiue deriuatiuo, poſſeſſiuo, aut alio denique inſeruit.

Che-aue. Caput meum aut capilli.
Che-voua. Mea facies.
Che-nembi. Meæ aures.
Cheſſhua. Mea frons.
Che-reſſa. Mei oculi.
Che-tin. Meus naſus.
Che-iourou. Meum os.
Che,retoupaue. Meæ genæ.
Che-redmiua. Meum mentum.
Che-redmiua-aue. Mea herba.
Che-ape-cou. Mea lingua.
Che-ram. Mei dentes.
Che-aioeue. Meum collum, aut mea gula.
Che-aſſeoc. Meum guttur.
Che-poca. Meum pectus.
Che-rocape. Mea pars anterior.
Che-atoucoupe. Mea pars poſterior.
Che-pouy-aſoo. Mea ſpina.
Che-rousbony. Mei renes.
Che-reuire. Meæ nates.
Che-inuanpony. Mei humeri.
Che-inua. Mea brachia.
Che-papouy. Meus pugnus.

Che-po. Mea manus.
Che-poneu. Mei digiti.
Che-puyac. Stomachus meus aut iecur.
Che-reguie. Venter meus.
Che-pourou-aſſeu. Vmbilicus meus.
Che-cam. Mammæ meæ.
Che-oup. Coxæ meæ.
Che-roduponam. Genua mea.
Che-porace. Cubiti mei.
Che-retemeu. Tibiæ meæ.
Che-pouy. Pedes mei.
Che-puſſempe. Vngues pedum meorum.
Che-ponampe. Vngues mearum manuum.
Che-guy-encg. Cor meum & pulmo.
Che-encg. Anima mea aut mens.
Che encgouere. Anima mea poſtquam è corpore exiit.

Nomina partium corporis pudendarum.

Che-rencouem.
Che-rementien.
Che-rapoupit.

Quæ quidem breuitatis cauſa non fuſius perſequar. Notandum vero eſt, nomina rerum accommodari non poſſe, niſi pronomina primæ, ſecundæ ac tertiæ perſonæ vtriuſque numeri attribuantur.

Vt autem melius capiantur, hoc ſit exemplum.

Primo.

Che, Ego. *De*, Tu. *Ahe*, Ille.

Plurales.

Oree, Nos. *Pee*, Vos. *Au-ae*, Illi.

Quod ad tertiam perſonā *ahe*, eſt maſculinum. Et pro feminino & neutro *aè*, ſine aſpiratione. Et in plurali *Au-ae*, eſt maſculini aut feminini generis, & proinde communis.

De rebus ad domum & culinam pertinentibus.

De rebus ad familiam ſpectantibus.

Emiredu-tata. Accende ignem.
Emo goep-tata. Extingue ignem.
Erout-che-rata-rem, adfer fomites ad ignem ſuſcitandum.
Emogi-pira. Piſces coque.
Eſſeſſit. Torre.
Emoui. Elixa.
Fa vecu-ouy-amo. Fac farinam.
Pmogip caouin-amo. Compone potum.
Coein vpe. Vade ad fontem.
Erout-v-ichesue. Adfer mihi aquam.
Che-renni augepe. Da mihi potum.

Quere

Quere me che remyou-recoap. Veni vt mihi cibum præbeas.
Taie poeh. Manus meas lauem.
Tae-iourou eh. Abluam os meum
Che-embouaſſi. Eſurio.
Nam che iourou-eh. Non eſurio.
Ehe vſſeh. Sitio.
Che-reaic. Caleo, Sudo.
Che-rou. Frigeo.
Che-racoup. Febricito.
Che carouc-aſſi. Triſtis ſum.
Carouc tamen veſperam ſignificat.
Aicoteue. Me res quædam excruciat.
Che poura-ouſſoup. Peſſime agitur mecum.
Chero emp. Lætus ſum.
Aico memouoch. Ludibrio expoſitus ſum.
Aico-gatou. Res mihi cedunt ex ſententia.
Che remiac-ouſſou. Meum mancipium.
Chere miboye. Mens ſeruus.
Che-roiac. Qui ſunt minores me, & ad mihi minisſtrandum nati.
Che porracaſſare. Piſcatores mei.
Che mae. Bona mea, merces, ſupellex. Denique quidquid meum eſt.
Che-remigmonem. Eſt induſtriæ meæ.
Che rere-couarre. Meus cuſtos.
Che-roubichac. Qui eſt maior me, quem nos Regem noſtrum, ducē, prin-cipem denique vocamus.
Mouſſacat. Eſt bonus paterfamilias, qui peregrinos viatores excipit.
Querre-muhau. Potens in bello, & in quadam re perficienda ſtrenuus.
Tenten. Qui videtur in bello, aut in alia re fortis.
Che-roup. Pater meus.
Che requeyt, Meus frater natu maior, *Che-rehure* Minor natu.
Che renadire. Mea ſoror.
Che-reue. Filius ſororis meæ. *Che-tipet.* Filia ſororis meæ.
Che aiche. Amita.
Ai. Mater mea. Dicunt etiam *Che ſi,* Mater mea: & ſæpe quidem dum loquuntur de ipſa.
Che ſut. Socia matris meæ, quæ patris etiam eſt vxor.
Che-raiit, Mea filia.
Cheremenynou. Filij filiorum meorum & filiarum.

Notādum eſt auunculū nomine patris vocari, & patrem nepotes & neptes ſuos filios ac filias appellare.

Quod Grammatici noſtri verbū nominant, apud Braſilienſes dicitur *guengaue*, quod idem eſt ac loquendi modus. Vt autem aliquam eius rei notitiam habeamus, exemplum in medium proferemus.

Primum.

Singular. Indicat. aut demonſtrat.

Aico, Sum. *Ereico*, Es. *Oico*, eſt.

Pluralis.

Oreito, Sumus. *Peico*, Eſtis. *Aurae oico*. Sunt.

Tertia perſona ſingularis & pluralis ſimiles ſunt, niſi quod in tertia *an ae*, pluralis numeri pronomen eſt addẽdum; quod ſignificat *Illi*, vt apparet in præterito imperfecto, numeri ſingularis; quod reſoluitur per aduerbium *aquoeme*, id eſt, eo tempore.

Aico-aquoeme, Tunc eram.
Ereico-aquoeme Tunc eras.
Oico aquoeme, Tunc erat.

Plus imperfectum.

Oroico aquoeme, Tunc eramus.
Peico aquoeme, Tunc eratis.
Aurae-oico-aquoeme, Tunc erant.

Pro præterito perfecto.

Singularis.

Accipiemus verbum *Oico*, vt ante & hoc aduerbium *Aquoe-mene*, quod eſt temporis præteriti & pluſquam perfecti,

Exemplum.

Aſſauouſſou-gatou-aquoemene, Eum perfectè amaui eo tempore: *Quo-uenen-gatou-tegne*, Nunc vero nullo modo, quaſi dicas, debebat amicitiam meam colere, quando ipſum amabam.

Pro futuro. *Aco-iren*, Ero in poſterũ. Et ita deinceps de ſingulis perſonis tam ſingul. & Plural.

In Imperatiuo.

Oico, Sis. *Toico* Sit.

Plurali.

Toroico, Simus. *Tapeico*, Sitis.

Aurae-toico, Sint. Pro futuro vero addere oportet, *Irẽn*, vt ante. Et imperando pro præſenti dicendum eſt, *Taugé*, quod eſt, Statim.

Pro Optatiuo.

Aicomo-men: Quam libenter eſſem. Et ſic deniceps.

Optatiuum reſoluimus per aduerbium *Iron*.

Exemplum.

Taico-de-iron, Tecum ſim, & ſic deinceps.

Participium.

Cherecoruré. Ens: Quod participium rectè per ſe intelligi non poteſt, niſi addatur pronomen *de-ahe-et-aé*. Pluralis quoque *Oreé, peé, an aé*.

Vox indefinita pro infinitio accipi poteſt. Sed ea raro vtuntur.

Coniugatio verbi *Aiout*, Exemplum indicatiui aut demõſtratiui in præſenti tempore.

Singu-

Singularis numerus.

Aiout. Venio,aut veni.
Ere-iout. Venis, aut veniſti.
O-iout. Venit,aut venit.

Pluralis numerus.

Ore-iout. Venitis, aut veniſtis.
An-ae-o-out. Veniunt,aut venerunt.

In aliis temporib. accipere debemus aduerbia, quæ poſt declarabimus. Nullum enim verbum coniugatur, quin per aduerbium reſoluatur,tum in præterito,pręſenti,im pfecto,pluſquam perfecto,Indefinito & futuro.

Exemplum præteriti nondum perfecti.

Aiout-agoueme. Tunc veniebam.

Exemplum præteriti imperfecti & perfecti.

Aiout-agouemene. Veni,aut veneram eo tempore.
Aiout dimae-ne. Longum tempus elapſum eſt,à quo veni.

Quæ tempora potius indefinita ſunt cenſenda.

Exemplum futuri.

Aiout.Jran-ne. Veniam certe die. Poſſumus etiam dicere *Iran*,quamuis non addatur *ne*.

Notandum eſt etiam,quod dum adduntur aduerbia, perſonę repetendæ ſunt,vt ſic in præſenti indicatiui & demonſtratiui.

Exemplum Imperatiui ſingularis numeri.

Eori. Veni:habet tantum ſecundam perſonam.

Eyot. Nam in hac lingua non poſſumus imperare tertiæ perſonę, quam non videmus.Poſſumus quidem dicere:

Emo-out. Fac vt veniat.

Pluralis numeri.

Pe-ori. Venite.
Pe-iot. Venite.

Soni.

Eiot & Pe-iot,Similem ſenſum habent, ſed prior, *Eiot*, honeſtius eſt inter homines,quoniam vltimus *Pe-iot*, vſurpatur in vocandis beſtijs& auibus, quas domi alunt.

Exemplum optatiui:tamen videtur imperare.

Singula.

Aiout-mo. Libenter veniſſem. Et ſic de cæteris perſonis, vt in Indicatiuo: habet tempus futurum addito aduerbio.

Exemplum coniunctiui.

Ta-iout. Veniam.

Sed ad implendam ſignificationem addenda eſt hæc vox, *Nein*, quæ eſt aduerbium exhortandi,imperandi, orandi,& incitandi. Verbum hoc indicatiuo caret:attamen ab eo formatur participium.

Tovvme. Veniens.

LI

Exemplum.

Che-rourmé-Aſſoua-nitin.

Che-remiéreco pouére.

Vt veniens inuêni, quod aliâs perdideram.

Senoyt-pe. Hirundo.

Jnuby-a. Cornua lignea, quibus Barbari ſonitus cient.

FINIS COLLOQVII.

Inſuper, vt facilius iudicium de rebus à nobis in hac hiſtoria commemoratis ferre poſſint, tum ij quibuſcum eundo, ac redeundo nauigaui, tũ ij omnes, qui me in America viderunt (è quibus non paucos ſuperſtites eſſe credo) ipſique adeo nautæ, alijque, qui vel tantillum ad Sinum *Ganabara* ſub Capricorni Tropico vixerunt: In eorum gratiam colloquio catalogum hunc, qui nomina pagorum 22. ad quos non ſemel oberraui, adiungere viſum eſt.

Pagin. 2. quos in America peragrauit auctor.

Ac primum quidem hæc ſunt eorum nomina, qui ſiti ſunt ad dexterã, ingredienti ſinum illum. *Cariauc.1. Taboraci.2.* Quorum poſtremum Galli Pepinum nominabant, de nauarchi cuiuſdam nomine, qui nauem aliquando ad eum pagum onerarat.

Euramyry.3. A Gallis Goſſet nominatur, de interpretis cuiuſdam nomine, qui aliquandiu ibi habitarat.

Pira-ouaſſou.4. Sapopem.5. Ocarentin, pagus amœniſſimus. *6. Oura ouaſſou-oueé. 7. Tentimen.8. Cotiua.9. Pauo.10. Sarigoy.11.*

Alium præterea Talli petram vocant, ob rupeculam à mola non abſimilem, quæ ſiluam ingredientibus iter ad iſtum pagum indicabat.12. Aliũ quoque Galli *Vpec* nominant, de Indicarum Gallinarum nomine, quas Barbari *Vpec* nuncupant.

Alium præterea ſagittarum vicum appellabamus, quod cum primum ad eum iter faceremus, in ſiluam ingreſſi, ſagittas multas ad proceriſſimæ cuiuſdam arboris putrefactæ cacumen emiſſas defixeramus, quæ in poſterum indicis vices nobis præſtarent.14.

Qui ad dexteram.

Keri-u.15. Acara-u.16. Morgeuia-ouaſſou.17.

Qui in Inſulam magnam.

Pindo-ouſſou.18. Corouque.19. Pirauijou.20. Alius præterea, cuius nomen mihi excidit, ſitus inter *Pindo-ouſſou, & Piraijou,* ad quem in quibuſdam captiuis emendis operam poſui.21.

Alios quoque inter *Carouque & Pindo-ouſſou,* cuius etiam appellatio non occurrit.22.

Quæ ſit tum pagorum, tum ædium forma, alibi demonſtrauimus.

CAP.

Capvt XX.

De noſtro ab America diſceſſu: deque naufragiis & aliis non minimis periculis, quæ primùm in reditu noſtro euaſimus.

POſtquam menſes octo in Inſula, quam occuparat Villagagno, viximus, ab eo eiecti fuimus. Itaque in continentem ſeceſſimus, ad ſiniſtram Ganabaræ ſinum ingredientibus, ad eum locum, quem nos *la briqueterie* nũcupamus, qui ab caſtello Collignio paſſibus M. diſtat. Ibi menſes duos in tuguriolis quibuſdam à Gallis piſcatum euntibus olim extructis degimus. Per illud tẽpus Chappellæus & Boiſſius, quos apud Villagagnonem reliqueramus, ad nos veniunt, eandem ob cauſam eum deſerentes, ob quam nos ab illo diſceſſionem feceramus. Duo vero illi in noſtrum ſunt adſcripti numerum, qui naulum ſexcentenarum Gallicarum libellarum, vna cum aliquanta commeatus copia cum nauclero, cuius naui tranſportati ſumus, pacti eramus.

Lateritia, locus in America.

Chappellæus, Boiſſius à Villagagnone abſcedunt.

Verum antequam vlterius progrediar, id eſt à nobis dicendum, quod antea nos dicturos recepimus, nimirum quo ſe geſſerit modo in nobis dimittendis Villagagno. Legati regij nomen præ ſe ferebat, munuſque obibat in illis regionibus: quare Gallorum, qui eo veniebant, nullus quidquã contra illius nutum adgredi auſus erat. Ille igitur tantiſper dum nauis, qua reuecti fuimus, in anchoris ſtabat, ad Ganabaræ ſinum, quo in loco onerabatur, ex ſcripto nobis abeundi poteſtatem facit, & literas dat ad nauarchum, quibus illi ſignificat, ne cũctaretur, nos naui deportare, id quidem illi per ſe licere: nam (inquiebat fraudulẽter) quàm gratus fuit mihi eorum aduẽtus, quo me id aſſequutum eſſe rebar, quod optabam, eorum diſceſſione tam delector, quando mecum non conſentiunt. Qua ſpecie inſidias nobis clam ſtruxerat. Arculam enim cerata tela obuolutã (qui mos eſt ab nauigantibus receptus) epiſtolis plenam, quas ad familiares ſcribebat, eidem nauarcho tradit: quibus dicam in nos conſcriptam clam interſerit, qua primo quoque obuio regio Iudici, vt in nos manus coniiciat. Atq; ita merita noſtra in ſe collata Villagagno indigniſſima pfidia veluti obſignauit. Quam tamen (vt mox dicetur) in contrarium Deus conuertit euentũ: maximo enim noſtro ſolatio, Villagagnonis vero ignominiæ ceſſit.

Villagagnonis indigniſſima perfidia.

Tandem Prid. Nonas Ianuarij, anno 1558, nauem noſtram, Iacobæã nomine, Braſilio, pipere Indico, goſſypio, cercopithecis, Sagouinis, pſittacis, aliiſque id genus, quę iam pridem pleriq; noſtrum ſibi compararant, oneratam conſcẽdimus. Sed antequam è portu ſoluamus, prætermittere nolo, vt magis ac magis pateat Villagagnonem vnum impedimento fuiſſe, quo minus Galli regionem illam tenuerint, Faribæum quẽdam nomine, Rothomagenſem, nauis noſtræ præfectum nauigationem illam ſuſcepiſſe religioſi nominis procerum rogatu, vt terram illam exploraret, atq; habitationi idoneum locum deligeret. Ac ſane is nobis ſignificauit, niſi Vil-

Villagagno in cauſa eſt, cur à Gallis Americanũ ſit occupata.

lagagnonis defectio obſtitiſſet, vltra octingenta hominum capita longis Belgicis nauibus eò nauigatura mox fuiſſe: Ego vero facile credo, ſi Villagagno conſtanter in propoſito perſeueraſſet, è Gallia vltra capitum decem millia eò commigratura fuiſſe, quæ & Inſulam noſtram ab Luſitanorum inſultibus propugnaſſent (quã tamẽ non multo poſt diſceſſum noſtrum ſunt potiti) ampliſſimoſque ac fertiliſſimos agros ſub regia auctoritate in America incolerent. Quæ terra, ſi id contigiſſet, antarcticę Gallię nomen, quod inditum fuerat, merito retinuiſſet.

Qua die ab America diſceſſerimus.

Sed vt ad rem, eodem ipſo die, nimirum Prid. No. Ian. ſoluimus, ac Deo duce, vaſto illi Occidentali Oceano rurſum non committimus. Receſſione facta, capitum numerus ad quadraginta quinq; eſt inuentus. Nauigiũ enim, quo vehebamur, oneraria erat nauis mediocris, cuius Nauarchus, nomine Baudouinus, de quo ante facta eſt mẽtio, nautas viginti quinque habebat, nos vero quindecim eramus. Nauigationem porro illam nõ niſi imminentis periculi cum formidine ſuſcepimus: enimuero plerique noſtrum ob infinitos, quos inter eundum exantlauerant labores, niſi adeo iniquus nobis fuiſſet Villagagno, vt in Galliam remigrarent, nunquam adduci potuiſſent: tum quod ſincere Deum illic colere liceret, tum etiam ſoli fertilitate experta: quarum rerum in Gallia tum erat, atq; eſt etiamnum longe maior difficultas. Hinc fit, vt ego, qui patriam meam ſemper amaui atq; amo, Americæ valedicturus, hoc loco fateri cogar, me non raro Americanorum conſortij teneri deſiderio, apud quos integritatem ac ſynceritatem maiorem ſum expertus, quã apud noſtrates pleroſq; Chriſtianum nomen præ ſe ferentes. Iam n. apud nos fides nulla ſupereſt, reſq; adeo noſtra tota immutata eſt, inq; diſſimulationibus, atq; verbis inanib. poſita.

Breuia.

At quoniam ipſo nauigationis noſtræ initio Breuia erant nobis tranſmittẽda (ſunt autem ſcopuli arenæ permixti) quæ in mare ad L X. paſſ. mil. porriguntur, quæ etiam quam longiſſimè poſſunt, fugiunt nautæ, vento non ſatis ad altum tenẽdum ſecundo, vt tam graue declinaremus periculum, retro cedere propemodum coacti fuimus. Attamen poſtquam totos ſeptem dies fluctibus agitati oberrauimus, nec multum promouimus, circa mediam noctem accidit nobis, vt nautis pro more alternatim aquã è ſentina ὑδραύλῳ haurientibus, quamuis diu multumq; in illo perſtitiſſent labore, eam tamen exhaurire nuſquam potuerunt. Nauclerus noſter rem illam admiratus ad ſentinam deſcendit, quidnã rei illud eſſet ſciſcitaturus.

Imminẽs naufragium.

Nauem rimoſam atque adeo aquis oppletam, vt iam paulatim demergi, eam perſentiremus, comperit. Quare minime quęrẽdum arbitror, vtrum ſingulis noſtrum expergefactis, vbi imminẽs illud periculum, in quo verſabamur, innotuit, vehemẽter perculſi fuerimus, nec ne. Ac ſane tam certum erat ſubmerſionis mox futuræ indicium, vt ſalutis ſpe omni abiecta, plerique iam mortem expectarent.

Veruntamẽ Deo ita prouidente quidam (in quibus eram) vitam ſuam quam longiſſime poſſent producere decernunt: ſeq; colligunt, ac duobus ὑδραύλοις nauem ad horam vſq; meridianam ſuſtentant, hoc eſt, duodecim

hora-

horarum ſpatio, quo tanta abundantia in nauem influxit, quãta totis viribus à nobis potuit exhauriri. Imo cum Braſilium, quo erat nauis onuſta, aqua attigiſſet, ſanguinem bubulum rubore referẽs è canalibus effluebat. Tantiſper igitur dum tãta cum diligentia, quãtam res ipſa flagitabat, neruos omnes contendimus, ſecundo flante vento ad reditum in Barbarorũ oram, quam (vtpote non multum à nobis remotam) illius diei hora vndecima conſpeximus, proram eò conuertimus. Interea nautæ, qui cum fabro lignario ſub foris erant rimulas, quæ aquæ ingreſſum præſtabant luſtrantes, tam nauiter officio functi ſunt, vt lardo, plumbo, panniculis, atq; id genus aliis, quæ illis non parce à nobis ſubminiſtrabantur, infeſtiſſimas quaſque obturant: atque ita viribus iam deficientibus pauliſper leuati fuimus. Attamen, vbi faber lignarius nauem vndiquaq; diligenter recognouit, aſſeruit eam (vtpote vetuſtam & vermibus eroſam) ad tantam nauigationem minime eſſe parem, quanta erat ea, cui iam nos accincti eramus: auctorq; fuit, vt vnde exceſſeramus, eò rediremus, ibiq; vel nauem aliam è Gallia ven tutam opperiremur, vel nouam conderemus: de qua ſentẽtia acerrime eſt certatum. Nihilominus tamen vicit naucleri ſentẽtia, qui veritus, vt ſi litt us repeteret, nautis deſtitueretur, malle ſe affirmauit, vitã ſuã ad omnes caſus obiicere (quę erat illius amentia) quam mercium, atq; adeo nauis ipſius iacturam facere. Se quidem Philippo, alijſque quibus pręerat, ſi ad Americam oram redire animus eſſet, ſcaphã ad eos vſus daturum eſſe. Ad quę propere Philippus, ſe quidem Galliam repetere decreuiſſe, atq; ſuis omnibus, vt idem facerent, auctorem eſſe reſpondit. Nauclerus vero alter excepit, nauigationem periculoſiſſimam eſſe; ac præterea præſentire ſe eam diuturniorem futuram, quam vulgo crederetur: ac proinde commeatum tot hominibus alendis non ſuffecturum. Quibus auditis ex vniuerſo numero ſex conuenimus, qui nauigationis pericula, ac præcipue famem imminentem reformidantes Americanam oram, à qua xx. tantum paſſuum millia aberamus, repetere ſtatuimus.

Id conſilium vt exequemur, haud mora, ſarcinas noſtras in ſcaphã coniicimus, quæ nobis data fuerat, cum farinæ exigua copia, atq; aliquantulo potu. Sed dum mutuo valedicentes bene alij aliis precaremur, quidam ex ijs, qui cum Philippo remanſerant, ſummo quo me proſequebatur amore motus, manum mihi porrexit, atque ita infit, obſecro te, vt nobiſcũ remaneas, fac nos minime in Galliã eſſe appulſuros, attamẽ longe maior affulget ſpes ſalutis, ſiue ad Prouinciã Peruenſem, ſiue ad aliquã Inſulam appellamus, quã ſi ad Villagagnonem reuertamur, apud quem (vt facile eſt cõiicere) quieti nunquam eritis. His permotus cum longiori orationi locus non daretur, ego relicta in ſcapha ſarcinarum mearum bona parte in nauem rurſus confeſtim conſcendo, atque ita periculum ſummum (vt dicemus) ab amico illo ſagaciter præuiſum, effugi. Quinque reliqui, quorum nomina non ſine cauſa hoc recenſebo loco, Petrus Bordonius, Ioan. Bordellus, Matthæus Vernellius, Andreas Fontanus, Iacobus Ballæus, ægre à nobis, nec ſine lachrymis abſcedentes, Americanam oram repetiere. *Gallorũ quinque in Americam reditus.*

Ad quam non niſi maximo labore tandem appulerunt, atque ad Villagagnonem redierūt; quorū tres primo loco nominatos ſuffocados curauit.

Itaq; rebus omnibus apparatis, vela damus, rurſumq; mari nos cōmittimus, putri ac vetuſta illa naui vecti, in qua ceu in ſepulcro mortem potius quam vitam operiebamur. Ac ſane præterquam, quod maximo cum labore Breuia illa tranſgreſſi ſumus, per totum Ianuarium menſem continuis procellis ac tempeſtatibus agitati fuimus, nauiſq; noſtra maximam aquæ copiam rimulis excipiebat, quam niſi continuo exhauſiſſemus, cēties de die (vt ita dicam) perijſſemus. Labor autem ille non fuit vnius diei.

Inſula inculta arboribus atq; auibus abundans.

Maximo igitur illo labore vltra quadringenta paſſuum Mill. prouecti, Inſulam quādam incultam conſpicimus, in modum turris rotundam, q̄ quātum coniectura aſſequi poſſum, paſſus mille in ambitu habebat. Eam vero, cum ad dexterā præternauigaremus, arboribus non modo virentib. eo mēſe Ianuario abundare animaduertimus, ſed etiam tanta auiū copia, quarum non paucę malo rudentibuſque nauis noſtræ inſidentes prehēdi ſe atq; contrectari patiebātur, vt eminus columbariū forma referret. Aues in ea erant nigri, leucopæi, ſubalbi, atq; varij id genus coloris: omnes quidem inter volandum amplitudinem non mediocrem præ ſe ferebant, verū captis quibuſdam, vbi plumis eas nudauimus, corpore paſſerē amplitudine non ſuperante eas eſſe comperimus. Vltra quatuor paſſuum mill. progreſſi, ad dexteram rupes acutas emergentes cōſpicimus, quæ res metū dedit, ne plures illiuſmodi ſub aquis laterent, ad quos nauis alliſa frāgeretur, quod ſi contigiſſet, ab ea exhauriēda immunes fuiſſemus. Toto nauigationis illius noſtræ tempore, quę fuit quinq; menſium, terras nullas, exceptis Inſulis illis, cōſpexim⁹, quas Nauiculatores noſtri in ſuis chartis minime notatas inuenerunt, ac forſitan etiam à nullis antea cōſpectę fuerāt.

Sub finem Februari mēſis ad æquinoctialem circulum acceſſimus, adeo, vt tribus tantum gradib. ab eo diſtaremus. Sed quia dies iam quinquaginta erant elapſi, cum nauigationis partem tertiam nondum confeceramus, commeatus vero pars bona erat conſumpta, ambigebamus, vtrum ad S. Rochi promontorium deflecturi eſſemus, necne? quę terra Barbaros quoſdam incol[illegible] habet, à quibus commeatum nos accipere poſſe nōnihil ſpem faciebant. Vicit tandem eorum ſententia, quibus viſum eſt, vt vlterius progrederemur, vtq; cercopithecorum & pſittacorum, quos nobiſcum vehebamus, pars occideretur, atque ita commeatui parceretur.

S. Rochi promontorium.

Porro quarto huius hiſtorię capite ſummos retulimus labores, q nobis inter eundum fuerunt exantlādi, vbi ad circulum æquinoctialem acceſſimus. At vero, quia ipſe expertus ſum, nō faciliorem à polo antarctico huc tendentibus eſſe acceſſum, quę mihi de ea re ꝓbabiliter videntur, dicenda hoc loco adiiciam. In primis igitur illud ponēdum eſt, circulum æquinoctialē, cuius ſitus eſt ab Euro ad Fauonium, quaſi dorſum ſiue ſpinā mundi eſſe, ijs qui ab Aquilone ad Auſtrum nauigationem inſtituunt, & cōtra (nam alioqui ſat ſcio, in globo nihil ſummum, nihil infimum eſſe) dico igitur & acceſſum ad mundi illam ſummitatē eſſe ab vtraq; parte difficillimum,

mum, & in mari fluctus vtrinque æſtuantes, quos tamen in immani illa abyſſo cernere eſt difficile. Ventos quoq; ab eo loco erumpentes, atque in contrariam partem flantes, naues ipſas Æquinoctialis circuli acceſſu prohibere. Cui meæ ſententiæ id ſuffragatur, quod ſtatim, vbi vel gradum vnum ab vtrauis parte tranſgreſſi fuerint nautæ, lætitia ſumma exultantes, ac de reliqua nauigatione bene ominantes ſeſe inuicem ad commeatum edendum hortātur: adeo vt naues in decliui globi verſantes, non ita difficulter agantur, atq; ad ſummitatē illam tendentes agebantur. Adde quod maria omnia inter ſe, quamuis connexa (quæ tamen admiranda Dei prouidentia, ne terras obruant, fręnantur, licet in terris fundata ſint, atq; adeo ſupra ipſam terram elata, quam in varias Inſulas, & quaſi particulas diuidunt, quas item inter ſe quodammodo concatenatas quibuſdam filamētis & radicibus, vt ita loquar, in imis gurgitib. eſſe exiſtimo) cum inquam hæc tanta aquarum moles vna cum terra ipſa ſuſpenſa, quæq; duobus axibus ſuſtentata (quos axes in quadrangulis vtriq; polo oppoſitos eſſe fingo, quorum quatuor, decuſſes duas faciunt, quæ in orbem & ſemicirculū ſphæram totam ambiūt) perpetuo agitur motu, quod ex æſto marino apparet. Cum igitur motus ille ſub Æquinoctiali circulo initiū habeat, certiſſimum eſt, hemiſphærio meridionalium aquarum ad pręſcriptos limites recedente eos, qui in medio globo verſantur, quaſi in æquilibrio nonnihil hac quoq; ratione ab curſu cohiberi. Addo inſuper, quod & alibi attigi, aeris intemperiem malaciaſq;, quæ ſub æquatore crebro obtinent, nō parum incommodi afferre: imo obſtare, quo minus celeri curſu trāſmittatur. Hæc ſunt, quæ paucis ac quaſi obiter de hac re mihi dicēda fuere, de qua tamen in vtramque partem controuerti facile eſſe exiſtimo. Ac ſane nemo eſt, quantumuis eruditus, qui de his rebus ſtatuere quidquam poſſit, quod non refellatur. Solus enim Deus, qui ingētem hunc orbem aqua terraque conſtantem condidit, quemq; non ſine inſigni miraculo ſuſpēſum continet, arcana iſthęc omnia nouit. Ac ſane nō eſt difficile, argumēta, quæ paſſim in ſcholis de hac re agitantur, confutare: quæ tamen minime ſunt contemnēda, eo præſertim nomine, quod ingenia acuunt, dummodo iſthæc omnia non primam (quod faciunt Athei) ſed ſecundas eſſe cauſas meminerimus. Denique nihil certi hac in parte agnoſco, niſi id, ꝙ ſacræ tradunt literæ. Illæ enim ſpiritum illius auctorem habent, à quo veritas omnis manet, ac proinde ſolas illas indubitatas habeo.

Quid cauſæ ſit, cur circa Æquinoctialem lineam difficilis ſit nauigatio.

Sed curſum noſtrum perſequamur. Cum tandem ad Æquinoctialem circulum paulatim maximis cum laboribus perueniſſemus, Gubernator nauis, eleuationem noſtram aſtrolabio rimatus eſt: atque aſſeruit nos ſub linea illa Æquinoctiali eodem ipſo die, quo ſol ad eam peruenerat verſari, nimirum 4. Id. Mart. quæ res, vt apprime notanda, quęque ante illud tempus pauciſſimis contigiſſet, ab illo eſt obſeruata. Pluribus hæc perſequi nō lubet, cuilibet tantum æſtimandum relinquo, quantos ęſtus tum perpeſſi fuerimus, quibus Sol eſſet pro Zenith. Pręterea, quamuis alijs anni temporibus Sol modo ad vnum, modo ad alterum ex tropicis exſpatietur,

Sub Æquatore ipſo die Æquinoctiali verſati ſumus.

nullibi tamen ſiue mare, ſiue terram ſpectes, æſtus infeſtior perſentitur, quam ſub illa zona. Satis id mirari non poſſum, quod à quodam alioqui fide (quantum mihi cernere datum eſt) digniſſimo, eſt memorię proditū: *Hiſt. Gen. Ind. lib. 4. cap. 126.* Hiſpanos quoſdam per regionem quādam Peruanam iter facientes, non modo miratos eſſe, quod ſub æquatore niuem conſpexiſſent, imo mōtes niue obtectos ægre ſuperaſſent, ſed etiam tantum frigus experti eſſent, vt ſociorum ſuorum nonnulli gelu rigore fuerint exanimati. Iam ſi vulgaris, illa phyſicorum afferatur ſententia, niuem in media aeris regione creari, quam faciat ad rem (quod cum bona eruditorum venia dictum ſit) non ſatis video. Sol enim perpēdiculariter in illa linea radios ſuos in terram emittit, ac proinde aerem calefacit, qui niuem ferre non poteſt, nedum vt eam congelet, concreetque. Nec magis mouet me, quod de montium altitudine, atque de Lunæ frigiditate vulgo dici ſolet.

Quare inſolidum quid illud eſſe ſtatuo, atq; ab Philoſophorum regulis exceptum: ſolutionem vero certiorem afferri minime puto ea, quam *Iob. 48. 22.* Deus ipſe Iobo affert, cui, vt oſtenderet homines, quātumuis acutiſſimos præclaris ſuis operibus capiendis minime pares eſſe, ait: An meos theſauros penetraſti? An grandinis theſauros oculis perluſtraſti? Quaſi ſummus ille opifex Iobo diceret, Quod horreum mihi putas eſſe, quo iſthęc contineantur? tune iſtarum rerum cauſas rimari potes? Minime id quidem, tu imperitior es, quam qui iſthæc poſſis aſſequi.

Sed ad rem. Africus tandem ventus nos ab ęſtibus illis ſummis eripuit, ac mox arcticum polum, cuius cōſpectu annum integrum carueramus, intueri cœpimus. Cæterum, ne lectores diutius detineam, ea minime repetam, quæ à nobis ſunt commemorata, de permultis obſeruatu digniſſimis, de piſcibus volantibus, alijſque prodigioſiſſimis, non vnius generis, qui à nobis inter eūdum ſub torrida illa zona viſi ſunt: verum eos ad narrationem illam remitto.

Iam igitur eorum, à quibus eripuit nos Dominus, periculorum narratio eſt repetenda. Iurgium ſubortum erat inter vnū ex præfectis nauis noſtræ, & nauiculatorē noſtrum, quo fiebat, vt neuter recte officio ſuo fungeretur. Contigit, vt nauiculatore ad 7. Cal. April. vicem ſuam explēte vela omnia expandi, atque in altum erigi iuſſerit: turbinem vero imminētem non animaduerterit, qui repente in vela noſtra tanto impetu irruit (quæ, vt contraherētur, iuſſiſſe debuerat) vt naui in latus inclinata, adeo vt mali ſummum aquam attigerit, quin & rudentes, auium caueæ, aliæq; ſarcinæ paulo negligētius collocatæ in mare deciderint, non procul abfuimus ab exitiali ſubmerſione. Attamen rudentibus ſumma celeritate abſciſſis, *Humanum ingenium, niſi à Deo immutetur, indomitū.* nauis paulatim erecta eſt. Nihilominus tamen nos in ſummum diſcrimē tum deueniſſe merito affirmare poteramus. Illi tamen, quorum culpa totum illud nobis euenerat, non illo periculo manſueti facti ſunt, atque ad concordiam allecti. Sed contra ſimul, atque à periculo exſoluti fuerunt, gratiarum actionis loco pugnam intentarunt inter ſe adeo obſtinatam, vt periculum eſſet, ne tandem ad cædem deuenirent.

Ali-

Aliquot poſt diebus obtinente malitia, faber lignarius cum nautis, qui de nobis leuandis à tanto labore (dies enim ac noctes in naui exhaurienda ὑδραύλοις occupabamur) ſoliciti erant, rimas, quas obturarent, diligenter perquirunt. Sed dum quandam ſarciunt, accidit, vt aſſer longitudine & latitudine pedis vnius auulſus ſit, aqua vero tanta copia, tantoque impetu in nauem irruperit, vt nautas ipſos è veſtigio abegerit, adeo, vt illi fabrum lignarium reliquerint ſolum, ad nos vero, qui in foris eramus accedentes, re ipſa minime explicata, ſummo cum pauore exclamabat, actum eſt de nobis, actum eſt de nobis.

Caſus, qui ſubmerſionē nobis prepemodum attulit.

Ad hæc Præfectus cum nauarcho & Gubernatore, periculo vrgente aſſeres nauis, quæ foris ſunt tegumēto, confeſtim in mare deiiciunt, quo facilius educeretur ſcapha. Braſilij quoque maximam vim aliaſque merces, quarum precium ad Gallicarum libellarum millia decem accedebat. Illi igitur conſilium de naue relinquenda inibant, deq; ſalute quęrenda in ſcapha: quā rurſum, ne nimio onere opprimeretur, metuebant. Quo factum eſt, vt nauarchus ſtricta machæra nos omnes ingreſſu illius prohibuerit: minatus, ſe brachium illi abſciſſurū, qui primus in illam ingreſſum moliretur. Igitur rabido mari permiſſos nos eſſe autumabamus. Prius tamen illud naufragium, ex quo ſingulari Dei ope emerſeramus, in mentem nobis redibat, hortabaturq;, vt totis viribus in eo præſtaremus, ne nauis obrueretur: cum tamen alioqui æque mortem atq; vitam opperiremur. Tamen tātum effecimus, vt nauem incolumem retinuerimus. Atqui non omnibus erat ea animi fortitudo: nautæ enim pleriq; mortis illius, quod imminebat genus reformidātes, adeo obſtupuerant, vt rerum omnium curam iam abiecißent. Ac ſane, merito quidem aſſeuerare poſſum impios illos atheos, qui paſſim inter pocula eos irrident, qui mari ſeſe committunt, quique tot pericula ſubeunt, ſi apud nos adfuiſſent, nugas illas & ludibria ſua confeſtim horrendis terroribus permutaturos fuiſſe. Mihi porro dubium non eſt, quin eorum, qui iſthæc aliaq; quæ iam commemorauimus, pericula ſunt lecturi, pleríque ex noſtrate forma exclament: Quam tutum eſt, braſſicas in continente plantare! Quam facilius admirāda de Barbaris audiūtur quam viſuntur! Quam ſapienter olim Diogenes eos laudabat, qui nauigādi conſilio inito, minime tamen nauigabant! Atqui nondum noſtrorum hic fuit exitus malorum: tum enim, cum in iſtud incidimus diſcrimen, ab portu ad quem tendebamus, vicies centena paſſuū millia aberamus. Fuerunt itaque multa alia nobis ſubeunda pericula: quinimo (vt mox dicetur) tātam perpeſſi fuimus famem, vt non pauci ex noſtris extincti ea fuerint. Sed interim ſubiicienda eſt ratio, qua iſtud euaſimus periculum: Faber noſter lignarius humilis quidem ſtaturæ vir, ſed animo forti, nauis ſentinam vt cæteri, minime reliquerat, ſed contra penulam ſuā nauticam vaſto illi hiatui admouerat, pedibuſque, vt aquæ viribus obſiſteret (quibus tamen non ſemel eſt à ſuo loco dimotus, atq; in altum elatus) calcabat, tum quanta poterat vocis contentione, eos aduocabat, qui in foris erant conſternati, atq; in ſummam iam deuenerant deſperationem: mo-

nebatq; vt ſibi veſtes, xylina cubilia, aliaq; quę vſui erant ſubminiſtrarent, quibus quam maxime poſſet, aquæ impetus tantiſper cohiberetur, dum aſſerem appararet, quo hiatus ille pernitioſus reſarciretur. Quibus diligenter ſuppeditatis, illius opera ab tam præſenti periculo liberati fuimus.

Ab eo tempore ventis adeo aduerſis vſi ſumus, vt nauis noſtra modo ad Eurum, modo ad Fauonium depelleretur, cum tamen ad Auſtrum tenderemus. Præterea Gubernator noſter illius artis non admodum penitus à curſu aberrauit, atq; ita incertum curſum, donec ad Tropicum Cācri peruentum fuerit, tenuimus.

Præterea per quindecim dies inter herbas mari innatantes verſati ſum⁹, quarum tanta erat denſitas, tantaq; copia, vt niſi ſecuribus eas ſecātes, nauigio, quod illis frangendis erat impar, viam feciſſemus, futurum autumo *Herbidum mare.* fuiſſe, vt ibi ſubſtitiſſemus. Quoniam autem herbarū illa copia mare quodammodo turbidum efficiebat, nos in paludib. cœnoſis verſari credebamus: ac proinde Inſulas quaſdam in propinquo eſſe iudicabamus. Verum iacta bolide, cui funis quingentenarum vlnarum lōgitudine alligatus eſt, nec fundum attigimus, neq; etiam Inſulas vllas aut cōtinentem animad- *Hiſt. Gen. Ind. lib. 1. cap. 16.* uertimus. Ad hæc id commemorare libet, quod ab Ind. Hiſt. de hac re memoriæ eſt ꝓditum: Chriſtophorus Columbus, inquit, ea quam primum inſtituit nauigatione ad Indiam nouam cognoſcendam, anno nimirum 1492. commeatus reparandi gratia ad vnam ex Canarijs Inſulis diuertit, à qua paulo poſt digreſſus, cum dies permultos nauigaſſet, tandem ad mare adeo herbidum deuenit, vt pratum referret. Quę res nō parum eum com- *Herbarum illarū marinarū deſcriptio. Quiſquiliæ rubræ mari innatantes.* mouit, quamuis nullum ſubeſſet periculum. Sed herbarū illarum deſcriptionem ſubiungere placet. Colore ſunt ſubflauo, ad fœnum iam exſiccatum accedente, folijs à ruta hortenſi non abſimilibus: baccis iuniperinas referentibus: prælongis quibuſdam filamentis ac fibris colligātur, non abſimili ab hedera terreſtri modo, atq; ita radicibus expertes, mari ipſo innatant. Cæterum non ſatis tuto tractantur, nonnunquam etiam ſordes neſcio quas rubras, quarum forma ad galligallinacei criſtam accedit mari innatātes vidi, quarum adeo periculoſus erat contactus, vt ſi à nobis attrectarentur, manus confeſtim intumeſceret, ac rubore infeſtaretur.

At quia nuper in ſermonem de bolide incidimus, de qua multa ab anilium fabularum commētis non admodum aliena ſæpius audiui, nimirum nauigantes ea iacta è terra quæ inhæret, quibus in regionibus verſentur agnoſcere, quod falſiſſimum eſſe de Occidentali mari aſſero. Itaq; quod res *Bolis quid ſit, quiſue illius vſus.* eſt, ſubiiciam. Bolis ergo inſtrumentum eſt trunculum pyramidalem formam referēs, ac acuta parte perforatum, quod funibus attexitur, ſebū vero ab altera parte applicantes in profundum demergunt nautæ, quoties locū ſtationi idoneum nactos ſe eſſe putant. Cui, ſi arena adhæſerit, opportunā eſſe ſtationem colligunt: ſin minus, limum aut rupes ſubeſſe cognoſcūt, cui anchora defigi minime poteſt, ac proinde alio eſſe properandum.

Hęc habui dicenda ad erroris illius refutationem. Ii enim omnes, qui in alto Oceano nauigarunt, immēſam eſſe illius & inſcrutabilem, quantauis maxi-

maxima funium copia adhibita, profunditatem norũt: quo fit, vt dies noctesq; quam diu ſecundus eſt ventus, curſus ſit tenendus: obtinente vero malacia, conſiſtere neceſſe ſit. Nauigia enim mari illi accommoda perinde ac naues actuariæ remis non aguntur. Ex quo patet, nugas eſſe ea, quæ vulgo referuntur: bolide humum erui, qua in quibus terris nautæ verſentur, dignoſcãt; cum vaſti illi gurgites (vt ſupra dixi) ſint penitus imperſcrutabiles: quod ſi in mediterraneo mari, aut in ipſa terra, vt quidam de Africæ deſertis referunt, in quibus ſtellarum & pyxidis marinę ductu viatores iter conficiunt, locum habeat: penes auctores fides eſto. Ego quæ de Occidentali Oceano dixi, vera eſſe confirmo. *Calchond. de bello Turcicò.*

Igitur poſtquam herboſum illud mare prætergreſſi ſumus, veriti ne in piratas incideremus, tormenta aliquot ferrea aptauimus, aliaq; munimẽta inſtruximus. Quę res nouum nobis creauit periculum. Cum enim tormentarius noſter puluerem igni admouiſſet, tamdiu eum apud ignem reliquit, quoad vas, cui fuerit impoſitus, candeſceret, atq; adeo ignem conciperet: cuius flamma vniuerſum nauigium noſtrum penetrauit. Adeo vt perparum abfuerit, quin ob picem, qua vndiquaque oblitum erat nauigium, flammis correpti fuerimus, quibuſdam velis ac rudentibus infeſtatis, tribus quoq; nautis grauiſſime aduſtis, quorum vnus poſt aliquot dies vitam cum morte cõmutauit. De me quod attinet, niſi vultui meo pileum oppoſuiſſem, haud dubie aduſtione fuiſſet turpatus, niſi quid grauius mihi accidiſſet. At illius mei pilei beneficio ſummis tantũ auriculis capilliſq; aduſtis incolumis euaſi. Quod quidem ad 17. Calen. Maias nobis contigit. Iam hoc loco aliquantulũ eſt reſpirandum nobis per Dei gratiam ab naufragijs, ſubmerſione, incendioque hactenus liberatis.

Capvt XXI.

De extrema fame, tempeſtatibus, aliiſque non paucis periculis, à quibus in Galliam redeuntes, diuina ope erepti ſumus.

Tot tantiſq; euitatis periculis è Scylla in Charybdim incidimus. Etenim cibarijs noſtris iam ante nõ quidem opiperis pars media repente fuit detracta, eò quod cum temporis à Gallia decies centena paſſuum millia aberamus, quã moram non tempeſtates tãtum nobis attulerunt. Nam (quod etiam alibi dixi) Gubernator noſter à curſu adeo aberrauerat, vt cum aſſereret, nos ad Hiſpaniæ oram accedere, Inſulas Eſſoreas legeremus, quæ ab Hiſpanienſi ora ſexies centena paſſuum millia diſtant. Ille igitur error eò inopiæ nos redegit, vt ſub Aprilis menſis finem commeatu penitus careremus. Poſtremum igitur ſolatium fuit, vt Cellulam gypſatã, in qua commeatus recõdi ſolent, euerreremus: in qua vermes & murium excrementa maiori copia, quam micas reperimus, quiſquilijs tamen illis diligenter collectis, ac ſigillatim diſtributis, pulmentum conficiebamus, quod & nigredine & amaritudine fuliginem ſuperabat. Id genus cibi quã *Vermes ac muriũ excrementa vna cũ micis panis colliguntur & eduntur.*

palato eſſet gratum, minime eſt quærendum. Per illud tempus, quicunq; cercopithecos & pſittacos reſeruarant ijs (quod iampridem à multis erat factum) veſci non dubitarunt. In ſumma, iam ipſo Maij menſis initio ex nautis noſtris duo fame necati ſunt, atque pro nauigantium more in ipſo profundo ſepulti. Præterea tam dira vrgente fame totos viginti dies procellis ac tempeſtatibus adeo vexati fuimus, vt nō modo vela omnia complicare, clauumque obligare, ſed nauigium amplius regere impotes permittere illud flatibus atque vndis coacti fuerimus. Quæ res effecit, vt per totum illud tempus, quantumuis vrgente fame, piſcis à nobis nullus fuerit captus. In ſumma repente nos in diram famem incidimus extrinſecus vndis, intrinſecus vero aqua petimur. Quare in eorum gratiam, qui mare nondum viderunt, quos merito mediam tantum mundi partem vidiſſe dixeris, hoc loco, id eſt, in memoriam reuocandum, quod Pſaltes de nauigantibus aſſerit:

Nautæ duo fame necati.

Pſalm. 107. 23. 24.

At vos tranantes pictis vada ſalſa carinis,
Maris coloni diuitis,
Magna Dei vere miracula cernitis, alti
Diſperſa campis æquoris.
Nam ſimulac iuſſit, rapidi tota æquora venti
Ad ipſa tollunt ſidera.
Abripitur pariter ratis, & nunc nubila tangit:
Tumente vecta gurgite,
Tartara nunc contra præceps contendit ad ima,
Ipſiſque mergitur inferis, &c.

Per illud tempus cogente rerum inopia, admiranda concipiebant vota nautæ: at nos ad verum illum Deum vota omnia dirigebamus; cuius benignitatem atque fauorem toties experti eramus: cuius etiam ope in media ipſa fame, non ſine inſigni miraculo ſuſtentabamur, à quo etiam vno mare ipſum ac tempeſtates ſedari poſſe nouerámus.

Interim licet inedia ac proinde macie adeo confecti eſſemus, vt nauigationis obeundis miniſterijs vix, ac ne vix quidem idonei eſſemus, egeſtas tamen ſingulos eò compellebat, vt quacumque fieri poſſet ratione, de famelico ventre ſaturando cogitarent. Nonnullis in mentem venit, vt fruſtula parmarum ex tergo *Tapirouſſou*, de quo antea, in aqua decoquerent, ederentque: at illa inuentio non ita ſucceſſit. Alij igitur eadem fruſtula excipientes prunis impoſita torrent, quod aduſtum erat cultro eradunt; quod optime ſucceſſit: corium enim illud nobis fame iam confectis ſuillam cutem prunis aſſatam ſapore referebat. Hoc facto experimento, quicunque parmas eiuſmodi habebant, fruſtatim eas concidebant falcibus, aliiſq; inſtrumentis, fruſtaq; diligenter in ſacculis recondita apud ſe continuo geſtabant, imo in tanto apud eos erant illa pretio, atque loculi auro oppleti apud auaros & fœneratores noſtrates eſſe ſolent. Ioſephus de Hieroſolymitanis obſeſſis verba faciens, memoriæ prodidit, eos nec cingulis, nec calceamentis abſtinuiſſe, Coriaq; ſcutis detracta mandiſſe. At non defuerunt

Parmæ ex tergo Tapirouſſou manduntur.

De Bell. Iud. lib. 7. cap. 7. Thoraces coriacei & calceamenta exeduntur.

runt inter nos, qui & Coriaceos thoraces, ipſaque adeo calceamenta ederent. Imo pueri, qui nobis famulabantur, fame adeo preſſi fuere, vt à laternarum cornibus non abſtinuerint, quarum in nauigijs maxima ſuppetit copia, imo ſebaceis ipſis candelis; ſi quas offenderent, non pepercerunt. At nos ſumme debilitatos iugiter in exhaurienda naue laborare neceſſe erat, alioqui mox ſubmerſi fuiſſemus, inediamque noſtram largo potu compenſaſſemus.

Laternarum cornua, cādelæque ſebaceæ cibi vices præſtant.

Porro ingentem bolidem tertio nonas Maias ſub ſolis occaſum in aere ardentem conſpeximus, cuius tanta erat velis noſtris reuerberatio, vt ea igne iam correpta eſſe crederemus: attamen nullo noſtro incommodo ſtatim euolauit. Iam ſi quæratur, vnde bolis illa ortū habuerit. Reſpondeo rei illius cauſam indagare difficillimū eſſe, præſertim cū terras nouas, ex quibus ichtyocollæ aduehi ſolent, Inſulamq; Canada præterlegeremus, quæ regio eſt frigidiſſima, ex calidis exhalationibus ortam eſſe nemo dixerit. Nos igitur, vt genere omni incommodorum affligeremur, Aquilone vēto adeo infeſtati fuimus, vt totos dies quindecim calorem vix vllum perſenſerimus.

Bolis ignea in aere conſpicitur.

Tormentarius noſter ad 4. Cal. Maias, cum ante tanta fuiſſet fame oppreſſus, vt pſittaci viſcera me præſente cruda paulo ante deglutiſſet, diem ſuum obiit, nec terræ, ſed mari ſepulchrali, vt & ſuperiores mortui, mādatus eſt. Cuius mortem eo æquiore tulimus animo, quod opera ipſius facile careremus: etenim ſi Piratę quidam eo tempore nos aggreſſi fuiſſent, nō modo nō propulſaremus eos, ſed vltro in deditionem venire ſummis votis optabamus (quæ erat noſtra miſeria) dummodo cibus ſuppeditaretur nobis. Sed prout Deo viſum eſt, nos per totam nauigationē illam affligere, vnicum conſpeximus nauigium, quod aſſequi minime potuimus: vela enim apparare mature per imbecillitatem noſtram non licuit.

Cæterum conſumptis illis, de quibus paulo ante memini, parmis, coriis, ipſiſq; adeo arcarum tegumentis, breuiter quicquid famem explere poterat, nos vltimam nauigationis noſtræ lineam attigiſſe exiſtimabamus. Sed penuria artium inuentrix, quoſdam ex nobis mures, vt venarentur, compulit. Illi enim fame oppreſſi (quod micas cęteraq; omnia, quę corrodere ſolebant, diligenter collegiſſemus) turmatim per foros curſitabant. Nos vero cum diligenter, tum ingenioſiſſime ijs captandis varijs decipularum generibus adhibitis inuigilabamus, nōnunquam etiam noctu felium more eos obſeruabamus. Quo factum eſt, vt quantumuis latentes perpauci manus effugerint noſtras. Ac ſane murem tum pluris quam bouem faceremus, in continēte æſtimabamus. Vidi enim, qui coronata tria, nonnunquam quatuor, in ſingulos mures numerarent. Imo quendam obſeruaui, qui cum Chirurgus noſter mures duos ſimul cepiſſet, hac voluit cum illo agere conditione, vt ſi murium ſuorum alterum commodare vellet, cum primum ad portum appelleremus, galerum, thoracem, femoralia & tibialia ipſi penderet. Ille tamen (quod veſtes vitæ ſuæ poſthaberet) conditionem reſpuit. Deniq; mures frequentes, ac minime exente-

Mures captātur atq; manduntur.

rati in aqua marina elixabantur, qui tamen maiori nobis erant in pretio, quam ſint in continente veruecini armi.

Murium pedes diligentiſſime colliguntur. Pręterea quo magis ac magis pateat, nihil quod edule eſſet à nobis contemni, de quodam narrabo, qui cum Præfectus noſter murem ſatis grandem apparaſſet, quatuor exſectis pedibus, quos in foris reliquerat, eos diligentiſſime collegit, pruniſq; aſſauit, aſſeruitque ſe perdicum alas tam ſciti ſaporis minime vnquam ediſſe. Ac ſane, quid eſt quod non tãta inedia oppreſſi mandiſſemus, aut potius voraſſemus, qui ad explendam famem oſſa ipſa olim proiecta, aliaſq; id genus ſordes ſummopere optabamus? Nec dubium eſt, quin ſi nobis virides herbæ aut fœnum adfuiſſet, brutorum more ea mãdiſſemus. Atqui non ſolum cum malo hoc conflictabamur, totis enim viginti diebus, quibus fame illa infeſtati fuimus, neque vinum neque aqua dulcis in naui noſtra viſa eſt, reſtabat tantum exiguus ſiceræ cadus, quem Præfecti noſtri adeo parce diſtribuebant, vt ſi vel Monarcha quis tum nobiſcum fuiſſet: cæteris largiorem potum non obtinuiſſet: ſingulis autem cyathus quotidie aſſignabatur. *Sitis fame intolerabilior.* Cum itaque non minus ſiti, quam fame infeſtaremur, quotieſcunque decidebat pluuia linteis expanſis, ferreoq; globulo in medio ſito, vt commodius in vaſa ſubiecta inſtillaret, aquam excipiebamus. Imo eam, quæ per foros effluebat, diligenter colligebamus, nec obſtabant ſordes, quæ eam longe turbidiorem ea, quæ per vicos in vrbibus præterfluit, reddunt, quominus à nobis ebiberetur.

Sancerrana fames. Denique quamuis ea fames, quam Anno 1573. in obſidione Sancerrana perpeſſi ſumus, in earum numerum, quæ grauiſſimæ habentur, recenſeri debeat, vt videre eſt ex hiſtoria, quam de ea re nos ipſi edidimus, quamuis diuturnior, non tamẽ æque grauis, atq; de ea, qua nunc agimus, fuit. Sancerræ enim neque aquæ neque vini laborauimus inopia, præterea herbæ quædam ac radices, vitiumq; gemmæ nobis ſuppetebant. Ego ſane, ſi ob cauſæ iuſtę patrociniũ, obſidione alicubi tenerer, tantiſper dum Deo creatis rebus benedictionem ſuam impertiri viſum eſſet, quid pelles, mẽbranæ, bubalini thoraces, aliaq; eiuſmodi ſuccum aliquantulum habentes, quibus tamen quotidiano vſui, quamuis minime familiaribus, in illa obſidione famem tolerauimus, expertus, minime vnquã famis metu in deditionem hoſtibus venirem, dummodo earum rerum copia ſuppeteret. At in illa noſtra nauigatione longe diuerſa erat ratio: eò enim redacti fuimus, vt nil nobis reſtaret, præter Braſilium lignum, præ omnibus alijs lignorũ generibus ſiccum, atque humore expers. *Braſilium lignum corroditur.* Nihilominus tamen non defuerunt inter nos, qui fame ad extremum adacti, cibi alius inopia, lignũ illud dentibus atterere conarẽtur. *Philippi votũ.* In quibus erat Philippus dux noſter: qui cum fruſtulum ori admouiſſet, altum trahens ſuſpirium, me his compellauit verbis: Heu mi Leri, pecuniam in Gallia ad quater mille libellas olim credidi, cuius apocham vtinam conſcribere tenerer, & mihi pro ea panis vnus cum cyatho vini mihi præberetur. *Richerij debilitas.* Petrus autem Richerius Paſtor, qui non ita pridem Rupellę ad Dominum migrauit, in cellula ſua proſtratus iacebat, adeoq; erat viribus omnibus expers, vt caput ad Deum oratu-

turus

turus minime poſſet attollere, attamen ita proſtratus indeſinenter preci-
busad eum fundendis intentus erat.

Antequam ſermoni huic finem imponam, id obiter obſeruare libet, ꝙ in alijs quidem, maxime in meipſo animaduerti, qui binas fames expertꝰ ſum, eaſq; eiuſmodi, vt nullum vnquā horridiores euaſiſſe credam. Corporibus inedia debilitatis, & deficiēte natura, ſenſibus alienatis, ſpiritibuſque diſſipatis, non modo feroces, ſed & moroſi & iracūdi fiunt homines. Illa porro iracūdia merito rabiei genus dici poteſt: Quo fit, vt appoſite vernaculo noſtro ſermone is fame dicatur furere, qui fame premitur. Præterea, quoniam experientia res omnes expreſſius edocet, video non ſine cauſa Deum, populo ſuo minantem famem niſi ſuis pareat præceptis, diſerte exprimere futurum, vt viri illius, qui fuerat mollis, & delicatus, valde malignus ſit oculus in fratrem ſuum, & in vxorem ſibi chariſſimam, atq; in filios ſuos, adeo vt nō det vlli ex eis de carne filiorum ſuorum, quam comedet. Nam præter ea, quæ in Hiſt. Sancer. commemorauimus exempla de parētibus, qui ex liberis ſuis vnum comederunt, deque militibus quibuſdam, qui poſtquam cadauera eorum, qui bello cæſi fuerant, deguſtaſſent, ſe decreuiſſe, ſi malum illud diutius pſtitiſſet, viuis manus afferre, affirmare poſſum nos durante illa Nautica fame vix, ac ne vix quidem pacate alij cum alijs colloqui potuiſſe, licet Dei timore cohiberemur, imo qn (quod Dominus condonet nobis) malignis oculis alij in alios fuerimus.

Inedia rabiem generat.

Deut. 28. 53. 54.

Prodigioſa multa famis tempore in mentem pleriſq; venerant.

Sed vt reliquum nauigationis noſtrę curſum deſcribere pergam: Contigit rebus noſtris in peius ruentibus, vt nautæ alij duo 17. Cal. Maias fame necati fuerint. Quo tempore ex noſtris nōnulli fuere, qui tam diuturnum errorē noſtrum in aquis ſecum reputantes, nulla obiecta terra animo ſuo fingebant nos in nouo verſari diluuio. Cum igitur nautas illos mortuos in mare præcipites dari animaduertimus, eundem nobis exitum omnib. impendere credebamus. Ego in tanta rerum inopia, qua, vt dixi, cercopitheci ac pſittaci, quos vehebamus, confecti fuere, ad illud vſque tempus pſittacum plumis decorum, anſeris magnitudine, articulate voces multas humanas imitātem, ſtudioſiſſime conſeruarā: eum Gaſpari Collignio offerre ſperabam, atq; ea ſpe quinque dies cautiſſime occultaram, nullo ei præbito cibo. Hunc tum vrgente fame, tum quod vererer, ne mihi noctu furto ſurriperetur, poſt alios omnes occidi. Ille mihi amiciſq; aliquot meis per tres quatuorue dies alimento fuit: integer autem à nobis fuit eſus, nullam enim particulam præter plumas eiecimus, adeo vt non carnes tātum, ſed & viſcera & pedes ipſos, atq; adeo vngues, vncumque roſtrum corroſerimus. Auis iſtius mortem ægerrime poſtea tuli: dolorem auxit, quod quinto ab eius obitu die terram conſpeximus. Cum igitur illius generis aues facile careant potu, vel tribus nucibus totum illud tempus vitam illius ſuſtentare potuiſſem.

Nautæ fame enecti.

At vero, dicet quiſpiam, quid nobis cum tuo pſittaco? noſne perpetuo in miſerijs illis veſtris ſuſpenſos tenebis? Annon tādem aliquando malorum & quidem omnis generis ſatis? Nunquid aut vita aut morte finis tā-

dem dabitur? dabitur vtiq;:Deus enim,qui(non ſane vulgari cibo)corpora noſtra ſuſtentabat, opem nobis tulit opportuniſſimam, effecitque immenſa ſuâ bonitate,vt 8.Cal.Iun.cùm iam ad foros ferme languore confecti iaceremus, Britanniam inferiorem conſpexerimus. Veruntamē,quod nō ſemel à Gubernatore noſtro decepti fuiſſemus, qui terræ loco nobis ac chimæras indicarat,quæ propere euanuerant, ſpeculatore iterum atq; iterum pro more exclamante, Terram, Terram, vix tamen vere illud dici credebamus. Atqui ſecundo flante vento prora obuerſa mox certo cognouimus,continentem in propinquo eſſe. Iam vero, vt liquido apparet, quantam in miſeriam,quantumq; in diſcrimen adducti fuerimus: quāque opportune Deus ſit nobis opitulatus, huc referre lubet, quod nauclerus noſter edita voce affirmauit ſtatim, vbi gratiarum actiones ob imminētem liberationem noſtram egiſſet: ſe nimirum omnino decreuiſſe, ſi diem vnum adhuc in illo tam miſero ſtatu permanſiſſemus,non quidem forte agere(vt ab nonnullis,in tales redactis anguſtias eſt aliquando factum) ſed aliquem ex nobis clam interficere, qui cæteris eſui eſſet. Quæ res minime me commouit,cōſcius enim mihi eram(quamuis omnes macie eſſemus confecti)me ab illo periculo tutum ſatis fuiſſe,niſi forte cutem & oſſa nuda pro carnib. habere voluiſſet. Quoniam autem nautæ noſtri Rupellam appellere decreuerant, vt ibi Braſilium ſuum lignum venderent, cum iam à Britannia ſex paſſuum millibus tantum abeſſemus, Nauclerus cum Philippo & quibuſdam aliis ſcapha vecti ad oppidulum proximum (Hodiernam vocant)contendunt,cibaria comparaturi.Inter quos duo ex noſtris, quibus pecunias ſpeciatim numerauerâm ad cibaria quædam mihi comparanda,vbi ad continentem appulerunt, nauem noſtram famis domicilium eſſe rati,diſerte teſtati ſunt ſe in eam pedem nunquā relaturos: quod ab ipſis eſt factum. Relictis enim in naue ſarcinis ſuis, ab illo tempore eos nunquam vidimus. Attamē eorum vnus,qui ſolus mecum è quatuordecim illis, quorū nomina initio recenſui, hoc an. 1584. quo hiſtoriam hanc corrigo recenſeoq;, quanto cum labore priſtinæ reſtituti fuerint valetudini ad me ſcripſit.Nobis quid hac in parte contigerit, mox narrabo. Nobis in anchoris noſtros operientib. ad nos acceſſere piſcatores quidam, à quibus cibaria petimus, illi ſe à nobis irrideri arbitrati, imo ne iniuria aliqua afficerentur veriti,fugam capeſſunt; at nos,quos vrgebat fames,eos vt cōſiſterent,cogimus,inque eorum lintrem irruimus. Tum illi extrema quęuis ſibi imminere credebant. Nos vero pacate omnia agere,cumque cibariorum nihil præter cibarii panis fruſta aliquot comperiſſemus,vnus ex illis inuentus eſt,qui expoſita extrema,qua premebamur fame,adeo ferum ſe præſtitit, vt pro pane illius fruſtulo, quod vix obulo væniſſet, ſeſtertios duodecim non dubitarit à me exigere. Noſtri autem mox cum cibariis ad nos redeunt, quam auide à nobis fuerint excepta, neceſſe non eſt dicere. Tum in propoſito perſeuerantes, nimirum vt Rupellæ littus peteremus,iā paſſuum ſex millia nauigaremus, cum ab Nautis,qui nos aſſecuti ſunt,admoniti fuimus,Piratas quoſdam ad oram illam vagari. Quare poſt tot tāque

Qua die continentem cōſpeximus.

Prodigioſum decretum.

taque pericula, quæ Dei ope euaſeramus, ſi vltro in periculum nos conii-
ceremus, videntes illud nihil aliud eſſe, quàm Deum tentare, illo ipſo die 7.
Cal. Iunias portum intramus Blauuetenſem, in Britannia: ad quem per il-
lud tempus naues permultæ è varijs regionibus reduces appellebant: quæ
& tormenta diſplodebant, aliaq; nauigantibus ſolemnia celebrabant, atq;
ob portas victorias triumphabant. Inter quas vna erat ex vrbe Sammalea,
cuius nautæ Hiſpanicam ex terris Peruanis reducem ceperant. Ea pretioſis
quibuſque mercibus erat onerata, cuius pretium ad ſexaginta aureorum
nummorum millia æſtimabatur. Cuius rei fama, cum per vniuerſam Gal-
liam ſparſa fuiſſet, mercatores non pauci Pariſienſes, Lugdunenſes, alijque
eò ad merces illas coemendas commeabant. Quæ res commodiſſime no-
bis euenit: accidit enim, vt cum è naui egrederemur mercatorum illorum
plerique ijs auditis, quæ perpeſſi eramus, & nos præ infirmitate minus ad
greſſus figendos idoneos ſuſtentarint, & opportuniſſime admonuerint,
vt ab nimio eſu diligenter nobis caueremus, paulatimq; vires noſtras pau-
culo cibo repararemus, iure ex veterum gallinarum decoctione, lacte ca-
prino, aliiſq; ad viſcera dilatanda accommodatis. Ac ſane cum ijs omnib.
qui tam ſalubri paruerunt conſilio, bene eſt actum. Nautæ vero, qui repē-
te ventrem cibo impleuere, non tulerunt impune: nam è viginti, tot enim
incolumes terram attigerunt, plures decem ſibi mortem accerſiuiſſe au-
tumo: nos vero (qndecim eramus numero) qui, vt iam dixi, nauem illam
in America conſcēderamus in Galliam remigraturi, ad vnum omnes terra
marique incolumes tum ſeruati ſumus. Hoc quidem verum eſt, nos non-
niſi cute & oſſibus tum conſtitiſſe, adeo vt alij alios intuentes cadauera è
ſepulchris eruta videre videremur. Adhæc, vbi cœlum terreſtre perſenſi- *Famem conſequitur ciborũ faſtidium.*
mus, tātum ciborum nos cepit faſtidium, vt (nam de me nominatim ve-
rius referre poſſum) in diuerſorium tādem delatus, oblatum mihi vinum,
vbi olfeci, deliquium animi paſſus ſim, inque arcam, quæ in propinquo e-
rat delapſus. Qui vero aderāt, futurum, vt animam mox agerem, exiſtima-
bant, habita præſertim debilitatis meæ ratione. Atqui minimo affectus
fui caſu illo incommodo. Itaq; in lectum decubui, tamq; ſuauiter dormi-
ui, vt nonniſi ſequenti die, & quidem multa luce experrectus fuerim: quā-
uis ante decem mēſes in lecto non decubuiſſem, quod ideo commemo-
ro, quod faciat contra eorum opinionem, qui putant eos, qui ab mollib.
cubilibus deſueuerunt, ea repetentes initio dormire minus poſſe. Blaueti
igitur quatuor diebus trāſactis, Hannebonem nos conferimus, quod op-
pidulum ab Blaueto quatuor paſſuum millibus diſtat. In quo totos quin-
decim dies quieuimus, noſq; ex medicorum præſcripto curauimus. Quā-
tumuis tamen diligenter nobis caueremus, nemo noſtrum effugere po-
tuit, quin tumore per totum corpus infeſtaretur, mecum tribus alijs ex-
ceptis, qui ab vmbilico ad pedes vſq; eo morbo laborauim⁹. Inſuper cum
Διαρροία & ſtomachi ſolutione conflictabamur, adeo vt intra corpus nihil *Medicamentũ ad reſtringēdā aluum accommodum.*
conſiſteret eorum, quæ immittebantur. Tamen medicamenti genus no-
bis eſt indicatum, quo poſtquam vſi ſumus, confeſtim ab eo morbo ſana-

Nn

ti fuimus: eſt autem eiuſmodi: Ius hederæ terreſtris eſt accipiendum cum oryza probe cocta: in ipſa olla pannis veteribus reſtincta, deinde ouorum vitellis permiſtis, denuo igni admouenda. Confectionem illam cochlearibus ad modum pultis, ori admouebamus. Ac ſane nos omnes morbo illo extinctos futuros fuiſſe, niſi medicamētum illud adhibitum fuiſſet facile credo. Hæc ſunt deniq;, quæ de nauigatione illa noſtra habui referenda: quæ ſane inter minimas non eſt reponenda, ſi animaduertas nos gradus ſeptuaginta tres nauigaſſe ab Aquilone ad Auſtrum. Verum ne palmam merentibus præripere videamur, quantula eſt, ſi cum ingenti illa Iannis Sebaſtiani De Cano Hiſpani, aut (vt quidam volunt) Veneti, vel etiam, vt alijs placet, ab vrbe Guetaria in Cantabria Prouincia oriundi, qui vniuerſo orbe circundato, quod ni fallor, contigerat ante eū nemini (poſt eum quidem de Dracho Anglo idem referunt) qui in patriam redux pro inſignibus orbem terræ depingi curauit, cum hac inſcriptione, *Primus me circumdediſti.*

Ioh. Sebaſt. de Cano, Hiſpanus, & Drach. Anglus, vniuerſum terrarum orbem circundederunt. Conſule Hiſt. Gen. Ind. c. 98. Iren. Popelin. De tribus mūdis.

Cæterum ijs à me lectis, quæ Hieronymus Benzo de ſua in Peruenſem terram, aliaſque orbis illius regiones peregrinatione, quæ fuit annorum quatuordecim, ſcripſit: cōmune hoc mihi cū illo eſſe animaduerti, quod (vt ipſe hiſtoriæ ſuæ initio refert) annos viginti duos natus eſſet, cum multorum exemplo peragrandi orbis cupidus, ac præſertim viſendæ eius mūdi partis nuper repertæ, cui Indiæ Occidentalis nomen factum eſt, explere animum ſecum tandem conſtituit: Ego vero eodem ſtudio impulſus, totidemque annos natus, in Braſiliam nauigationem ſuſcepi, prout ipſe hiſtoriæ huius initio adnotaui: ſed aliud eſt longe maiori dignum obſeruatione, quod nimirum Benzo (licet ille de nobis nihil, nec nos de ipſo vnquam audiuiſſemus) affirmat ſe idibus Septembris Anno 1556. in Hiſpaniam, peractis ſuis peregrinationibus, appuliſſe: nos vero ad 4. Idus eiuſdem menſis, eodemque anno in Braſiliam profecturi, domo diſceſſimus. Iam igitur, ſi quis temporum ſeriem obſeruare velit, eorum qui in Americam nauigarunt: nos ſtatim poſt Benzonis reditum eſſemus collocandi. Porro cum Benzonis hiſtoria Latino ſermone primum, ac poſtea Gallico Vrbani Caluetonis amiciſſimi mei opera extet ex Italico conuerſa, cui titulus eſt, *Noua noui orbis hiſtoria*, adde quod auctor ipſe inter eos, qui multa obſeruarunt, atque obſeruata elegantiſſime ſcriptis mandarunt, poſtremum non obtinet locum: neceſſe penitus eſſe exiſtimo ijs, qui Americanorum mores probe noſſe cupiunt, atque adeo quam immaniter miſeræ illæ gentes ab Hiſpanis, à quibus ſubactæ ſunt, excipiantur, vt hiſtoriam illam diligenter perlegant. Ille autem eo maiori eſt dignus laude, quod hiſtoriam ſuam concludat præſtantiſſima gratiarum actione, quam ad Deum dirigit. In quo ſe minime ingratum in eum fuiſſe, à quo beneficium hoc acceperat, vt res adeo nouas, tamque à nobis remotas terras viſeret, per totum quatuordecim annorum ſpatium, cuius etiam ope tot pericula euaſiſſet. Illius tamen clariſſimum nomen obſcurare nititur Theuetus, veritatis (ſi quis alius noſtra memoria extitit) acerrimus hoſtis, ſuo viro-

Statim poſt Benzonis reditum accingit ſe ad iter Amer. Auctor.

rum

rum illuſtrium libro, quem nuper edidit. Ille enim de Franciſco Pizarro Hiſpano, à quo Attabalippa Peruenſium Rex fuit deuictus, verba faciens, totam Benzonis hiſtoriam ita in dubium reuocat (à cuius tamen facundia longiſſime abeſt) vt meras fabulas eſſe dicat. Quæ res forte à Theueto de induſtria eſt ſuſcepta, quod Galliam patriã ſuam debito non proſequatur affectu, cuius tamen lepidiſſimus Benzo famæ eſt ſtudioſiſſimus, aduerſus eos, qui quod minimo negotio Indos illos ſubegerint; cæteras omnes gentes tam facile ſe deuincere poſſe iactant. *Theuetus Benzoni obtrectat.*

Sed vt ad nos redeam, finem ac requiem laborum conſequutos nos eſſe forſitan quis exiſtimet: attamen niſi ille idem, cuius ope à tot naufragijs, tempeſtatibus, extremaq; fame, alijſq; incommodis, quæ nos inter nauigandum aſſidue vexarunt, liberati ſumus, nos ad littus appulſos ſeruaſſet, extrema quæq; nobis impendebant. Iam ſupra dixi Villagagnonem tradidiſſe dicam in nos perſcriptam, præfecto nauis illius, qua reuecti ſumus, vna cum mandatis ad obuios quoſque magiſtratus, vt in nos animaduerterent, ignique abdicerent. Contigit autem, vt Philippo Duci noſtro cum Magiſtratibus (ab religione, quam profitebamur, non abhorrentibus) cui arcula illa epiſtolis dicæ illi adiunctis plena tradita fuerat, neceſſitudo intercederet. Quo factum eſt, vt optime ab illis excepti fuerimus, contra quã cupiebat Villagagno, imo etiam fortunis ſuis non pepercerunt, quin noſtris, quibus opus erat, eas largirentur: Philippus quoque ab illis pecunias mutuo accepit, atq; ita Deus ille, qui aſtutos in aſtutia deprehendit, nos ab illo periculo liberauit, effecitque, vt ſcelerati Villagagnonis perfidia detecta, id totum ad illius contumeliam, noſtrum vero ſolatium redundarit. Tanto igitur accepto beneficio ab illius manu, qui nos toties terra mariq; ſeruauit. Nautis noſtris Hanebone excedentibus, vt Neuſtriam patriam ſuam repeterent: Nos etiam, vt ab Britannis illis recederemus, quorum idioma non minus nobis erat Barbarum, atq; fuerat Americana lingua, ad Nannetes properamus, non quod per celeres iter illud confecerimus: tanta enim erat infirmitas noſtra, vt equis, quibus inſidebamus, regendis minime pares eſſemus. Quocirca mercenarij, à quibus regerentur, ſinguli fuerunt mercede conducendi. *Prouidẽtia Dei admiranda.*

Quoniam autem quodammodo reſtauranda erant corpora noſtra, nõ minus portentoſis flagrabamus appetitibus, atq; ij ſunt, quos de prægnãtibus mulierib. referunt: quorum, niſi ad finem properarem, exempla admiranda referre poſſem: quin etiam pleriq; ab vino ita abhorrebant, vt ab eo per mẽſem integrum abſtinuerint. Tandem vbi ad Nannetum vrbem peruenimus, quaſi inuerſi eſſent ſenſus noſtri vniuerſi, aures oculiq; noſtri adeo hebetes repente facti ſunt, vt formido inceſſeret, ne in ſurdos atq; cæcos euaderemus. Huc referri poteſt, quod Ionathan Saulis filius dicebat: illuminatos fuiſſe oculos ſuos, poſtquam aliquãtulum mellis guſtaſſet: quibus verbis non obſcure ſignificabat, oculos antea fuiſſe inedia hebetatos. Verum tamen ab primi nominis medicis quibuſdam, alijſq; claris viris, qui ad nos frequentiſſime accedebant, tanta cum diligentia curati *Naturæ reſtaurata appetitus mirabiles.* *Surditas oculorumq; hebetatio ex fame orta.* *1. Sam. 14. 27. 29.*

fuimus, vt nulla tantorum malorum veſtigia nobis adhæſerint: quin imo de me poſſum affirmare, exacto ab eo tempore menſe, me optimum aurium oculorumque vſum habuiſſe. Hoc quidem verum eſt, me ab eo tempore ſtomachi debilitate ſemper laboraſſe: quæ etiam fame illa Sancerrana, cuius paulo ante memini, adeo eſt confirmata, vt minime dubitem, ea me nunquam liberatum iri, donec me totum Deus fœliciſſima reſurrectione inſtauret. Itaq; apud Nannetes, quo in loco (vt dictum eſt) optime excepti fuimus, recuperatis valetudine ac viribus, noſtrûm ſinguli quo viſum fuit, abiere.

Deniq; quandoquidem (vt ex hac hiſtoria ſatis appareat) & in genere & ſpeciatim tot periculis, totque mortis abyſſis ereptus ſum, an non merito cum ſancta illa Samuelis matre exclamare poſſum, Iehouam morte afficere, & in vitam reſtituere, demittere in ſepulchrum & educere? poſſum ſane. Et quidem, ni fallor optimo iure, ſi quis alius noſtra memoria. Attamen, ſi huius eſſet loci, addere poſſem Deum immenſa ſua bonitate me ab infinitis alijs, in quibus verſatus ſum, diſcriminib. eduxiſſe. Quare, ſi mare elementum adeo furens, me nō abſorpſit, ſi Barbari anthropophagi, quibuſcum ferme annum vixi, me non deuorarunt, fameſque extremæ, quas toleraui, me non necauerunt: an non patria mea Gallia, tygride immanior erit, ſi violentam atque immaturam mihi afferat mortem? Vtcunque tamē ſit, ego, qui mortem filiorum Dei (in quorum numerum me aſcitum certo ſcio) coram eo pretioſam eſſe noui, totum me ipſius voluntati permitto. Hæc tandem ſunt, quæ à me tum in ipſo mari, eundo, ac redeundo, tum in terra America, apud Barbaros obſeruaui. Me autem non latet tam amplum argumētum, reſq; adeo varias à me commemoratas eo ſtylo, eaque qua decebat, grauitate minime fuiſſe deſcriptas: imo etiam lubens agnoſco, me hac tertia editione nonnunquam ea, quæ paucis fuerant perſtringēda, fuſius quam par erat, perſequutum eſſe, & contra in extremum aliud peccantem ea, quæ longiorem poſtulabant orationem, plus æquo contraxiſſe. At lectores rogatos velim, vt ſtudium meum æqui bonique conſulant, quod orationis non ſatis comptæ damna reſarciat: cogitentque quam dura mihi rerum, quæ in hac Hiſtoria commemorantur, fuerit experientia.

1. Samuel. 2. 6.

Regi autem æterno, immortali, inuiſibili, ſoli ſapienti Deo honos ſit & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

EXEM-

EXEMPLAR

DVARVM LITERARVM, QVIBVS BREVITER EXPLICANTVR, ET NAVIGATIO NIcolai Villagagnonis Equitis Melitenſis, in illam Americæ Prouinciam, quę vltra AEquatorem ad Tropicum vſque Capricorni extenditur: & mores conſuetudineſque Incolarum eius regionis.

Scriptæ quidem illæ ad flumen Ganabara (Luſitanis Rio de Genero dictum) & in Galliam miſſæ à quodam è Villagagnonis domeſticis: nunc vero recens Latio donatæ à

C. C. A.

FRANCOFVRTI

Typis Matthiæ Beckeri,

M D C V.

C. C. A. BENIVOLO LECTORI.

Cum Theodorus de Bry, cuius nomen tibi proculdubio notum ex Virginianæ & Floridenſis Hiſtoriarum, quas elegantiſſimis figuris ornauit, euulgatione, Braſilianam etiam Hiſtoriam à Stadio quidem & Lerio conſcriptam, ab ipſo vero ſimilibus picturis illuſtratam, in publicum emittere vellet: non ingratum tibi futurum exiſtimaui, ſi ad eius Hiſtoriæ calcē, duarum Epiſtolarum, à Nicolao Barre (cuius Floridenſis hiſtoria meminit) Gallico ſermone ſcriptarum, exempla (quia eiuſdem argumenti, & de Villagagnonis in eandem Prouinciam nauigatione breuiter agunt) adiungerem. Eas autem Anno M D LV I I. hoc eſt, ſequente illum quo ſcriptæ fuerunt, eodemq́; ſermone editas auide legi, pro innato mihi ad res peregrinas percipiendas deſiderio, & hactenus diligenter apud me ſeruaui: nunc vero Latinas facere volui, vt qui Gallicum idioma non callent, ipſarum etiam lectione frui poſſint. Boni igitur conſule tenuem hunc meum laborem in tuam gratiam ſuſceptum, & viue.

PRIO-

PRIORIS EPISTOLÆ EXEMPLVM.

CVM à valle Argentueil, ad quam, inuicem valedicturi non ſine communi omnium noſtrûm mœrore comitati eſtis, diſcederem: vos ad felices veſtras Muſas rediјſtis, ego inſtitutum iter proſequutus ſum, meam tamen fidem obſtringens, me, ſimul atque eò, quo tendebamus, perueniſſem, vobis ſcripturum. Eam igitur liberare, ingratitudiniſq; vitium fugere cupiens, nec immemor videri volens beneficiorum à vobis acceptorum: quantum temporis anguſtia permiſit, quid nobis in illa Nauigatione acciderit, hac epiſtola vobis breuiter ſignificare volui.

Anno Domini M D L V. Villagagno, paratis omnibus rebus ad ſuum inſtitutum neceſſarijs, & attributis illi ex Regis Henrici II. mandato magnis duabus nauibus, quarum ſingulæ ducentorum doliorum capaces, & tormentis bellicis probe inſtructæ, ad earum tuitionem, tum vt aliquam eorum partem iſtic, quo ꝓfectionem inſtituebat, relinqueret, oneraria præterea naue centum amphorarum, quæ annonam & cætera neceſſaria veheret, comitibus multis nobilibus viris, artificibus, & nautis, eas conſcendit, & merces impoſuit. Omnibus ergo recte conſtitutis 4. Id. Iulij ſub tertiam pomeridianam, è Gratiano portu, in quo claſſis parata fuerat, ſoluere, & explicare vela iubet. *Prima nauiũ conſcenſio.*

Bona tum erat tempeſtas, & ſpirabat Aquilo, noſtræ nauigationi accõmodus, quo perſeuerante, Occidentalem Indiam attingere potuiſſemus. Sed poſtero die & ſequentib. Auſtroafricus, inde, quo nobis recta dirigendum erat iter, flare cœpit adeo vehemens, vt in maritimam illam Angliæ oram, quæ vulgo Gallis *Blanquet* appellatur, propelleret, vbi iactis anchoris ſubſiſtere ſtatuebamus, ſperantes eius vehemẽtiam mitigatum iri: verum fruſtra, imo ſumma cum feſtinatione nobis fuerunt vellendæ, vt in Galliam redeuntes Diepam appelleremus. Turbida iſta tempeſtate, nauis, qua Villagagno vehebatur, fluctibus concuſſa, tantum aquæ trahebat, vt minori quam ſemihoræ ſpatio, circiter quadringentas aquæ ſitulas è ſentina educere neceſſe eſſet: quod ſane mirandum, & hactenus inauditum de naui è portu ſoluente. Hac de cauſa Diepenſem portum ingreſſi ſumus, ſed cũ magna difficultate, quia eius aqua tres duntaxat orgyias alta eſt, noſtræ *Blanquet.*

vero naues ad duas orgyias cum ſemiſſe in aqua ſidebant, præterea ventus admodum vehemẽs aditum præpediebat: ſed Diepenſes (pro ſolito & laudabili ipſorum more) adeo frequentes affluxerunt ad rudentes trahẽdos, vt ipſorum auxilio portum intraremus XVI. Kal. Sextiles. Ex illo, pleroſque nobiles noſtri comitatus ſatias cepit maris, fidem firmantes prouerbio, Mare vidit & fugit; plerique etiam militum & artificum, iſtarum rerum pertæſi, ſeceſſerunt.

Regreſſus in Diepenſem portum.

Nos trium hebdomadarum ſpatio iſtic abſumpto, ſecundum ventum expectantes, & reparandis nauibus occupati, Aquilone denuo flante ſecũdo, vela fecimus, ea ſpe, vt ſuperatis illis maris anguſtijs, in vaſtum Oceanũ penetraremus: ſed venti perinde nobis aduerſi violentia, voto potiri non pmiſit, imo eundem portum, ex quo ſolueramus, repetere coegit, in quo hæſimus ad XIX. vſque Kal. Septembres.

Secunda nauium conſcẽſio.

Interea ſinguli recentem annonam & reliqua neceſſaria compararunt, vt tertio mari nos committeremus. Prędicto igitur die Diuinam clementiam & benignitatem agnoſcentes (nam quemadmodum noſtris precib. illum ſollicitaueramus, tempeſtatẽ maris ſedauit, & cœlum aduerſus nos furens compeſcuit) atq; animaduertentes ventum in ea ſtatione conſtantem aliquamdiu futurũ, maiori, quam antea, ſpe, tertio nauibus conſcenſis, vela fecimus: fuit vero is ventus nobis adeo ſecundus, vt anguſtias illas inter vtramque Britanniam, vulgo Gallorum nautarum *La Menche* dictas, Aquitanicum & Cantabricum ſinum, Hiſpaniam, Luſitaniam, Sacrum promontorium, Calpen, Maderę Inſulas, & Fortunatas, quę vulgo Canarię cognominantur, ſuperauerimus. Tenariffę montem, à veteribus Atlas appellatum (à quo ſecũdum Coſmographos Atlanticum mare denominatum) obſeruauimus: nam præcelſus eſt, & viginti leucarum ſpatio conſpici poteſt. Illi ad ęnei tormenti iactum facti ſumus vicini Dominico die, qui fuit viceſimus à tertia noſtra in naues conſcenſione. Diſtat is à Gratiano portu mille & quingentas leucas, ab Æquatore vero XXVIII. gradus ad Septentriones. Naſcuntur, vt aiunt, in ea Inſula ſacchari abundantia & generoſa vina. Hiſpano parere ſatis intelleximus: nam cum iſtic anchoras iacere vellemus, ad petendam recentem aquam, & quædam neceſſaria, ex caſtello ad radices cuiuſdam montis ſito, duobus aut tribus globis ſumus petiti, quorum vnus Prætoriam noſtram nauem perfodit. Inſtabat meridies, ingenſq; erat æſtus nullo ſpirante vento: illorum itaq; ictus ſuſtinendi fuerunt. Sed contra tormentis exploſis ita ipſis reſpondimus, vt multis in arce ædificiis corruptis, fœminæ pueris permiſtæ pręcipiti in agros fuga ſibi conſulere cogerentur. Si noſtros lembos & cymbas eductas habuiſſemus, arbitror nos in pulcra illa Inſula hæſuros fuiſſe. Nemo noſtrum vulneratus fuit, pręter tormentarium quendam, qui tormẽti ænei genus vulgo *Cardinac* appellatum explodere volẽs, ſibi vulnus inflixit, quod decimo poſt die extinctus eſt. Tãdem cum animaduerteremus, nihil iſtinc quam ictus reportaturos, altum petiimus, ad Barbariæ (quæ pars Africæ eſt) maritimam oram tendentes, atque ſecundo vento perſeuerante, prætergreſſi

Tertia nauiũ conſcenſio.

Mõs Atlas veterum.

Eius diſtantia à Gratiano portu.

Barbaria, pars Africæ.

ſumus

ſumus flumen Ligerim in Barbaria, Promontoriū album, quod ſub Tropico Cancri eſt, & 6. Id. Septembres ad alitudinem Promontorij Æthiopici peruenimus, vbi maximum æſtum experiri cœpimus. A Tenariffa ad hoc Promontorium trecentæ leucæ numerantur. His ſummis ardoribus ſuborta eſt in Prætoria naui peſtilens febris, ex putidæ & corruptę aquę potu, à quo, qui illa vehebantur, abſtinere nequibant. Fuit verò ea febris adeò contagioſa & pernitioſa, vt ex centum capitibus ſola decem fuerint ab illa immunia, & ex nonagintá ægris quinque morerentur: res profectò commiſeratione digna & deploranda: adeò vt ipſe Villagagno in noſtram nauem ſe recipere cogeretur, in qua omnes ſani & alacres eramus, triſtes tamen ob infortunium in ſocia naue acceptum. Abeſt hoc Promontorium à Torrida Zona 14. gradibus, & ab Æthiopibus habitatur. Iſtic deſijt ventus ſecundus, & ſex continuis diebus fuimus afflicti malacia, ſole autem ad occaſum tendente ſæuis turbinibus & imbribus tam fœtidis, vt quibus cutis madeſceret, amplæ excitarentur puſtulæ: ea de cauſa vix ab acatio ſiue maiore velo abſcedebamus. Deus tamen nobis adfuit: nam Auſtroafricum immiſit, qui, licet aduerſus, vtilis tamen fuit, quia nimis ad Occidentem vergebamus; & cum frigidiuſculus eſſet, plurimum corpus & animū noſtrum refecit, illoque Guineæ oram legimus, paulatim ad Zonam torridam accedentes, quam (præter veterum opinionem) adeo temperatam comperimus, vt qui veſtes induiſſet, ob æſtum eas exuere non cogeretur, neque qui careret, illas ob frigus ſumere.

Prom. album ſub Tropico Cancri.

P. Æthiop. diſtantia ab Æquatore.

Guineæ.

Nos 6. Id. Octobris centrum illud mundi ſuperauimus apud Inſulas D. Thomæ, quæ directe ſub Æquatore ſunt, vicinæ Prouinciæ *Manicongo.** Et licet hoc iter nobis cōmodum non eſſet: aduerſo tamen vento obſequendum fuit, & eo deflectendum, ſic vt pro trecentis leucis, quę recta tendentibus nobis erant emetiendæ, mille & quadringentas fere conficeremus. Imo ſi ad Bonæ ſpei Promontorium, quod 23. gradibus citra Æquatorem eſt, in Orientali India, iter inſtituiſſemus, prius eo perueniſſemus, quam in Braſiliam. Quinque citra, & alijs quinque gradibus vltra Æquatorem, in tantam piſcium, eorumq; varij generis abundantiam incidimus, vt interdum illis inhærere noſtras naues arbitraremur: ex horum numero erant Delphini vtrumq; genus, Balænæ, Squatinæ, Auratæ, Albacores Hiſpanis dicti, Pelamides, & hirundines marinæ, quas gregatim volantes conſpeximus inſtar noſtratium ſturnorum. Iſtic nos defecerunt aquæ præter eas, quæ ex riuulis collectæ, adeo fœtidæ & corruptæ, vt nullus putor cum ijs comparari poſſet: quoties autem nobis erant bibendæ, oculos claudebamus, & nares obturabamus.

** 6. tamē gradib. vltra Æquatorem eſt.*

Promon. Bonæ ſpei 37. grad. cis Æquat.

In his difficultatibus verſantes, & fere animum deſpondentes Braſiliam attingere poſſe, ob magnam diſtantiam (nam nongentis aut mille adhuc leucis ab illa aberamus) Deus noſtri miſertus, Euroauſtrum immiſit, qui dirigere nos coegit proram ad Fauonium, quo nobis erat tedendum. Cæterum adeo ſecundo vſi ſumus eo vento, vt Dominico die mane, qui incidebat in 13. Kalen. Nouembres, elegantem Inſulam, in marina charta

Aſcenſionis Inſ. Aſcenſionis nomine donatam, cōſpiceremus, octo gradibus cum ſemiſſe ab Æquatore diſtantem: ex cuius conſpectu exultātes didicimus, vbinam verſaremur: viciniores tamen illi non ſumus facti, quam magnæ leucæ diſtantia. Admiratione profecto dignum, Inſulam videre quingentis leucis à continente diſcretam. Dies igitur, noctesque noſtrum iter proſequē-tes ſecundo hoc vento, factum eſt, vt Dominico die mane 3. videlicet No. Nouembres Occidentalis India, Orbis quarta pars nobis in conſpectum venerit, America dicta, ab eo qui primus illam obſeruauit anno 1493. *America, quādo inuenta.* Facile quis æſtimare poteſt, quāto gaudio fuerimus perfuſi, conſiderata noſtra miſeria, & quanto tempore in itinere hæſeramus: à ſingulis ergo gratiæ Deo actæ. Altitudinem porro x x. graduum habet Regio illa à nobis obſeruata, quæ à Barbaris *Pararbe* appellatur, & à Luſitanis, natione que continua bella cum noſtris confœderatis gerente, incolitur. *Pararbe.* Inde reſtabant adhuc tres gradus ad Tropicum Capricorni, qui octoginta leucas conficiunt.

Quarto igitur Id. Nouembris ingreſſi ſumus flumen *Ganabara*, à ſimilitudine lacus ſic appellatum, ſub ipſo Tropico Capricorni. Iſtic excenſione facta, Dominoq; laudibus & gratiarum actionibus redditis, quingēti aut ſexcenti incolę omnino nudi, & arcubus ſagittiſq; inſtructi, nobis aduentum gratulati ſunt, & facultates ſuas obtulerūt, ſolennes & feſtiuos ignes ſtruentes, quod adiuuiſſemus eos aduerſus Luſitanos, alioſque infeſtiſſimos hoſtes propugnaturi. Ipſe locus peramœnus eſt, & natura munitus: nam fluminis oſtium anguſtum, & ſeſquimiliare Italicum forſitan patēs, vtrimque præalto monte clauditur: meditullium occupat rupes centum pedes longa, ſexaginta lata, in qua Villagagno Propugnaculum è trabibus conſtruxit, in quod tormentorum bellicorum partem tranſtulit, ne hoſtes damnum inferre poſſint. *Propugn. Villagagnon.* Adeo vero latum eſt hoc flumen, vt totius orbis (opinor) nauibus commodam & tutam ſtationem præbere poſſit. Sparſæ ſunt in eo amœniſſimæ Inſulæ, arboribus perpetuo virentibus ornatæ, tum etiam prata, in quorum vno (quod à propugnaculo tormenti ænei iactu abeſt) nos omnes cum reliquis tormentis bellicis fuimus expoſiti: metuebamus enim, ſi in continente ſedes figeremus, vt Barbari, ad occupandas noſtras merces, facto impetu nos trucidarent.

Terra Milium illud duntaxat producit, quod vulgo apud nos frumentum Turcicum dicitur, & quandam radicem, ex qua Milio commiſta vinum conficiunt. Habet vero ea radix, * *Maniel* appellata, fruticem ebuli altitudine, folia Pęonię mari adeo ſimilia, vt initio eam eſſe arbitrarer. ** Mandioca reliqui.* Ex eadem radice fit mollis farina, non minus grati ſaporis quam panis. Conſpexi herbam, *Petun* vocatam, folia ſymphyto maiori æqualia habētem, quorum ſuccum hauriunt, & fumum attrahunt, poſſuntque illius herbæ vſu, octo aut nouem dierum famem tolerare. Naſcuntur etiam duo fructus genera, gratiſſimi ſaporis: vnum *Nana* dictum, cynaræ amplitudine, dulci quidem ſucco plenum, ſed difficilis concoctionis, quem profert Aloë non diſſimilis planta, ſpongioſa tamen: alterum *Pacona* * appellatum, ficubus ** Muſa eſt.*

con-

congener,probæ concoctionis,cuius ſtirps foliis Hydrolapati eſt. Præterea fabæ craſſæ & minutæ,vtræque edules,ſacchari cannæ, non tamen frequentes,& aurea,citria, limoniaq; mala, ſed parce admodum, quia incolæ in colenda terra negligentiores ſunt.Inter alias ſtirpes,obſeruaui portulacam,myrtum,& ocymum:reliquæ ſunt adeo peregrinæ,vt,ſi etiam adſit M. Ioannes herbarum demonſtrator Lutetianus, multum negotii in iis nuncupandis ſit habiturus.Metallica nos reperturos confido:nam Luſitani quinquaginta leucis ſupra hanc regionem,&aliis quinquagenis infra,aurum,argentum, & æs inuenerunt. Irrigant iſtam regionem tam amœni fluuii aquæ dulcis & potulentę,vt ſaniorem bibere non meminerim. Aër eſt temperatus,calido tamen vicinior quam frigido. December illis ęſtas,nimirum cum Sol in ſuum Tropicum venit,illiſque pro Zenith eſt. Toto illo tempore, quo Sol ad illos accedit, ſub veſperam,per trium horarum ſpatium,cadunt illis imbres, & tonitrua exaudiuntur: quando vero ad ſuum Æquinoctium,& Tropicum Cancri regreditur,amœniſſimam apud eos eſſe tempeſtatem perhibent.Et hæc quidem de ſoli vbertate,aëriſque ſalubritate & diſpoſitione:ſupereſt vt de Incolarum conditionibus,ſtatutis,& moribus dicamus. *Braſilianorũ æſtas.*

Nullam ſub Sole nationem magis Barbaram,& ab omni ciuilitate alienam cenſeo:nam ſine vlla Numinis notitia, ſine ſolicitudine, ſine lege, ſine vlla religione viuũt,perinde ac bruta animalia,quæ ſolo ſuo ſenſu ducuntur.Nudi incedunt viri & feminę,ſine vllo pudore,obſcœnis partibus nulla re tectis.Ipſorum idioma dictionibus abundat, ſed numeris carent: nam quinarium exprimere volentes,quinque digitos oſtendunt:Bellum inferũt quinq; aut ſex nationibus,è quibus,ſi quos capiunt,pulcherrimis virginibus elocatis,tot funes collo innectunt, quot lunis illos conſeruare volũt. His elapſis,vinum ex milio & radicibus conficiunt,quo conuocatis omnibus amicis,inebriantur.Deinde qui illum cepit, lignea claua trucidat,atque in partes ſectum igni torret: has carnes auide vorant, nectar, ambroſiã eſſe dictitantes. Ceteroquin,ſerpẽtibus,crocodilis,buffonibus, & magnis lacertis veſci ſolent, quos non in minoribus delitiis habent, quam nos capos,lepores,& cuniculos. Eorum confœderatio in centum leucas extenditur: hoſtes, præter Luſitanos, habent Onitachas, Onyamas, Margaias,Taliarbas,quorum mores noſtrorum confœderatorum moribus reſpondent. Totidem,quot volunt, vxores ducunt, liberumq; vxoribus eſt,leui occaſione maritos deſerere.Magni faciunt noſtras veſtes arma, & quæcunque à noſtris aduehuntur, contemnentes aurum, argentum & gemmas omnis generis,quæ apud nos magno ſunt in precio. Eorũ arma ſunt arcus & ſagittæ oſſiculis aſperatæ.In alueis,ſiue lintribus μονοξύλοις triginta aut quadraginta pedes longis nauigant, adeo porro periti ſunt natatores, vt ſi ipſorum lintres mergantur, non admodum ſolliciti ſint. Pro opibus habent albas paruarum marinarum cochlearũ lineas,& ornamenta è plumis concinnata, quibus ad bellum profecturi ſe adornant: deinde Braſilianum lignum, quo aduenas naues onerant, Præcelſa *Braſilianorũ barbaries.* *Crudelitas.* *Hoſtes.* *Lintres.* *Opes.*

eſt hæc arbor (nam quaſdam conſpexi centum pedes altitudine, ſex craſſitudine ęquantes) folio buxi. Niſi Deus ipſorum miſereatur, difficilime (vt puto) ad Chriſtianam fidem conuertentur, & illis adimetur fera illa ſeſe mutuo deuorandi conſuetudo. Cateruatim viuunt, quingenti aut ſexcēti ſimul conuenientes, & oblonga domicilia, veteribus mapalia dicta, ædificantes. Qui ex eadem familia ſunt oriundi, libēter ſimul habitant. Xyli magnam habent copiam, ex quo penſilia cubilia contexunt, quibus incumbere non minus commodum, quam pluma ſuffarcinatis lectis. In ſingulis pagis præſtantiſſimus quiſque, hoc eſt, qui plures hoſtes ceperit & occiderit, omnium ſuffragio Rex creatur. Omnia ſunt inter illos communia: ſed quando nobis aliquid conferunt, aliqua recompenſare ipſis oportet, alioqui moleſte ferunt.

Qui ſunt eiuſdem familiæ, ſimul habitãt.

Quos habeant Reges.

Hæc, amiciſſimi, nunc commentari & ſcribere licuit de noſtra Nauigatione, quæ vt boni conſulatis, vos etiam atque etiam oro. Vlterius, ad trigeſimum ſeptimum, aut trigeſimum vſque gradum progredi, Deo annuente, ſperamus. Quicquid iſtic obſeruauero, vobis etiam perſcribam, vt eo fruamini, donec in patriam rediero. Interea vobis à Deo longam & felicem vitam precabor, atque veſtræ beneuolentiæ me commendabo. Ad flumen Ganabara in Braſilia Franciæ Antarcticæ Prouincia, ſub Tropico Capricorni. Kal. Februar. M D LVI.

Vobis amiciſs.

N. B.

Accepta die Iouis ad x. Kal. Auguſti eiuſdem anni.

ALTERIVS EPISTOLÆ EXEMPLVM.

OBlatam occaſionem prętermittere nolui, mihi amiciſſimi, quin vobis breuiter ſignificarem, quibus & quantis periculis nos Deus pro ſua clementia liberauerit: vt, quando in eiuſmodi, aut alia pericula incidetis, noſtro exemplo, ipſius benignitati confidere diſcatis.

Biduo poſt Nauium diſceſſum, qui fuit pridie Non. Februar. M D LVI. deprehenſa eſt coniuratio facta ab omnibus artificibus & mercenarijs, quos aduexeramus (erant autem triginta numero) aduerſus Villagagnonem & reliquos, qui cum ipſo eramus, quorum octo duntaxat erant ad reſiſtendum idonei. Eius autem coniurationis auctor fuit Interpres Villagagnoni donatus à Nobile quodam Nortmanno, qui ipſum huc vſque comitatus erat. Conſuetudinem habebat ille idem Interpres cum Braſiliana fœmina, quam nec dimittere, ne pro legitima vxore retinere volebat. Villagagno porro probi viri & Deum metuentis officio functus, initio in conſtituenda ſua familia, ſub capitis pœna inhibuit, ne quis ſuorum cum iſtis infidelibus ſtupri conſuetudinem haberet, ſed in vxorem duceret. Vixerat autem is Interpres reliquorum more, in ſumma Epicureorum abominatione, diuini timoris, fideiq; expers toto ſeptennio. Propterea tædebat eum dimittere ſuum ſcortum, & hactenus actæ vitæ valedicere, vt frugi vir in Chriſtianorum cœtu deinceps viueret. Principio igitur Villagagnonem noſque cæteros veneno tollere inſtituerat, niſi ab vno ex coniuratis fuiſſet inhibitus. Deinde ad mercenarias operas & artifices ſe contulit, quos ob graues labores ſibi impoſitos, & parce ſubminiſtratum cibum, inuitos iſtic viuere nõ ignorabat. Nam cum ex Gallia nulla annona eſſet allata, qua in continente viuere poſſent, ſtatim primo die ſubducta eſt ſicera, & cruda aqua ad potandum propinata: pro pane autem biſcocto, data eius regionis farina, ex herbæ cuiuſdam, folia Pæoniæ maris habentis, & humanam altitudinem ſuperantis, radicibus conflata. Quæ ſubita mutatio valde inſolens fuit, præſertim artificibus, qui ſui quæſtus & commodi cauſa duntaxat aduenerant: huc accedebant aquæ potulentæ penuria, aſpera & deſerta loca, atque intolerandi labores impoſiti ad ſtructuram ædificiorum, quæ inhabitaremus. Facile igitur illos

Coniuratio in Villagagnonẽ & eius domeſtic.

Interpres profligatiſſ. vitæ.

Artifices & mercenarias operas corrũpit.

ſeduxit,cum proponeret ſummam quam habituri eſſent libertatem,quas opes acquirerent, Barbaris abunde diſtribuendas,vt libere & pro arbitrio deinde ipſis viuere liceret.Itaq; cõſpiratione facta,illico,pulueri tormẽtario,qui in cella propere ædificata,ſupra quam omnes iacebamus adſeruabatur, ignem ſubiicere voluerunt:nonnulli tamen diſſuaſerunt, quia ſimul perirent omnes merces,ſupellex,&quidquid pretioſum habebamus, ſine vlla ipſorum vtilitate. Statuunt ergo nos ſomno oppreſſos aggredi, & iugulare. Sed huic rei vna etiam oboriebatur difficultas, quod Villagagno tres Scotos haberet ſatellites. Hos igitur corrũpere etiam ſtuduerũt.

Coniuratio proditur.

Sed illi ipſorum cõſiliis bene perſpectis & exploratis, coniurationem mihi produnt,ego viciſſim Villagagnoni & meis comitibus. Remedium autem ſtatim adhibitũ, quatuor è primariis coniuratorum comprehenſis,quibus in omnium conſpectu ſtatim ferreę compedes iniectæ. Poſtridie,vinctorũ vnus,facinoris,ſibi conſcius,ad aquas adrepens,& ſeſe in eas præcipitans,miſere periit:alteri gula laqueo fracta fuit. Alii mancipiorum inſtar nunc ſeruiunt:reliqui ſine murmure viuunt, & multo diligentius, quam antea,laborant.

Interpres ad Barbaros ſe confert.

Ceteros interpretes ſeducit.

Coniurationis auctor Interpres aberat,ſed deprehenſam coniurationem intelligens,ad Barbaros ſe contulit, cum quibus nũc habitat,& cæteros eius regionis interpretes,viginti aut viginti quinq; numero, ſeduxit.Hi quibuſcumque poſſunt rationibus,nos calumniari & moleſtia afficere non deſinunt, vt videlicet harum rerum pertæſos in Galliam redire cogant.

Quia porro Barcari à noſtro aduentu peſtilenti & contagioſa febre correpti fuere,qua plures octingentis perierunt, ipſis perſuaſum ab interpretibus, Villagagnonem id facere.Ea de cauſa tantum odium in nos cõceperunt, vt, ſi in continenti habitaremus,bello ſint haud dubie nos adgreſſuri.

Inſula à Villagagnone habitata.

Sed loci quẽ incolimus acceſſu prohibentur:exigua enim eſt inſula ſexcẽtos paſſus lõga, centum lata,vndiq; mari cincta,& à continẽte ſeiũcta ad tormenti ænei iactum:quæ cauſa eſt vt ad nos accedere nequeãt, cum furor ipſos corripit. Ipſum etiam locum ſuapte natura munitum, propugnaculis ita firmauimus,vt nos in ſuis cymbis acceſſuri,præ formidine torpeant. Illud tamen accedit incõmodi,quod potulẽta aqua careat: ſed huic etiã difficultati ſubuenire iam cœpimus ſtructura ciſternæ, quæ tantum aquæ cõtineat, vt omnibus qui hîc viuimus,ad ſemeſtre ſufficere queat.Iacturam pręterea fecimus vnius nauiculæ, tum ẽt cymbæ, quæ ad ſcopulos alliſæ,magno noſtro incommodo:quia lintribus deſtituti, neq; aquam,neque ligna, neq; annonam inferre poſſumus. Poſtremo faber lignarius & duo mercenarii ad Barbaros trãsfugerũt,vt liberius viuere poſſint. Nihilominus tãtam conſtantiam nobis dedit Deus,vt horum conatibus reſiſtamus, & de ipſius miſericordia non diffidamus. Eius autem permiſſu hęc contigiſſe non eſt dubium,vt declararet,quanta difficultate quouis loco radices agat Dei verbum,ad eius rei ſolidã gloriam ſibi vindicandam:at vbi ſemel radices egerit,in æternum permanet.In cauſa fuerũt hi motus, quo minus regionem (vt conſtitueram) obſeruare potuerim

an vllas metallicas venas, aut alias res ſingulares habeat: ſed alio tempore fiet. Imminere nobis dicuntur Luſitani: verum Deus pro ſua benignitate nos conſeruabit.

Vtrumque veſtrum autem obſecro, vt prolixa epiſtola me doceatis, quid rerum agatis, quæ ſint veſtra conſilia, & quonam ſecedere decreueritis, ad ſtudiorum veſtrorum fructum percipiendum, vt, cum Deo viſum erit, me ex hac regione in Galliam reuocare, vos conuenire, & veſtra conſuetudine vti poſſim. Deum interea oro, vt omni felicitate vos cumulet.

Ad flumen Ganabara, in Braſiliana Franciæ Antarcticæ Prouincia, ſub Tropico Capricorni VIII. Kalen. Iunij M D LVI.

Vobis amiciſs.

N. B.

IN IOANNIS STADII, ET IOANNIS LERII HISTORIAS BRASILIENSES, RERVM ET VERBORVM INDEX LOCVPLETISSIMVS.

A.

Abbati Boſſange regulus 93
Acaiou, fructus edulis 198
Acara ouaſſou, piſces optimi 91
Acetum è cannis ſacchari 200
Ackakey, Cercopithecorum genus. 129
Acores Inſulę. 11. regis Portugaliæ imperio ſubſunt ibid.
Acus nautica. 147. eius præſtantia, ibidem.
Acutia, vicus Barbarorum 22
Adulteri, qua pœna afficiantur apud Barbaros 235
Æquator (ſeu Æquinoctialis circulus) vnde dictus 156
citra Æquatorem nauigatio difficilis 154
circa Æquatorem naues difficilime aguntur 156
ſub Æquinoctiali vterq; polorum latet 156
Aër temperatus ſub Tropicis, & quare 200
Æſtus inter Tropicos perpetuus 102
Æſtus maximus ſub Æquinoctiali 155
Ageſilai eximia ſententia 196
Agouti, nefrendis genus 180
Aiourous, pſittacorum genus 186
Albacoræ, piſces 152
Albakore, piſces maiores 4
Alimēta Barbarorum infantium 236
Alkindar Miri 42
Alkindar Ioan. Stadio infeſtus. 67. ex oculis laborat. 67. viſum recuperat 67
Alkatraſes Inſula 24
Alkatraſes aues, 25. nullo negotio capiuntur ibid.
Ameni iou, xylon 199
Americæ amplitudo 204
*A*mericus Veſputius *A*mericę inuentor 157
*A*mericani potatores eximii. 175. 4. ſextarios Caouini exhauriunt 176
*A*mericani non ſunt villoſi 158
*A*mericanum ſolum tritico & vino accommodatum. 173. ad frumenta noſtra ob pinguedinem ineptum. 174
*A*murati, Turcici Imperatoris, crudelitas 218
*A*nanas, plantæ deſcriptio. 200. optimus totius *A*mericæ fructus 201

*A*nati

Anati, fructus Barbarorum 33
Anati, milium amplum 173
Anatum India ferax. 185. cur ijs nō veſcantur Americani ibid.
Animalia quęnam apud Barbaros 129
Animalia inſolita multa in Barbarorum regione 130
Animalia Americæ prorſus noſtris diſſimilia 178
Animarum immortalitatem credūt Barbari 222
Anni diſtinctione carent Barbari 120
Antipodes noſtra ætate Euangelium audiuerunt 232
Antonius Agodinus Gallicienſis 46
Anus Barbaræ adipem humanum auidiſſime lingunt 214
Aoü ai, lignum tetri odoris 197
Apoſtoli totum orbem peragrarūnt. 232
Apes culicum magnitudine. 131. mel optimum conficiunt ibid.
Apum tria genera 131
Apraſſe Barbaris ſaltare eſt 42
Aproſitus Inſula 148
Aquæ Braſilienſium optimæ 177
Aqua marina potui inutilis. 155. eius mirabilis natura ibid.
Arabouten, Braſilia arbor 149
Araroye, pennarum faſciculus 167
Araſoya flabellum ex auium pennis. 44
Arat, auis excellenti pluma 185
Arauers, Papiliones 189
Arbores, quomodo exſcindāt Barbari 194
Arbores Americanæ multæ venenatos fructus ferunt 197
Arcus cuiuſmodi habeāt Barbari. fol. 205
Arignau miri, gallinæ noſtrates 184
Arignau ouſou, gallinæ Indicæ 184
Arignau-ropia, ouum 185
Arirap, vicus 50
Arma Barbarorum 122
Armillæ ex oſſium fruſtulis 169
Aroua, ſpecula 169
Artus Coellius Marino Præfectus 5
Arundines in India Orietali mirę magnitudinis & craſſitudinis 200
Aſſumptio, locus Rio de Plata 20
Aſtutia Barbarorum in decipiendis exteris 158
Atouraſſap Barbaris, inter quos bona ſunt communia 234
Atramentum quale Barbaris 131
Attabalipæ Peruenſium regis admiranda fortitudo 209
Attun, vermiculi genus ex ſordib. natum. 130. partibus humani corporis infeſtum ibid.
Auaritiam noſtrorum rident Barbari 195. 196
Auellanæ ſub terris naſcentes 202
Auium mira varietas 131
Auium cantus Americani obſeruant. 188
Auium multitudo in Maq-henſibus Inſulis 161
Auratæ vnde dicantur. 152. omnium marinorum ſuauiſſimi piſces 153
Aurea mala magno numero creſcunt apud Americanos 199
Aypi, radix 171
Ayri, hebeni ſpecies ſpinoſa 196

B.

Baculus Iacob, inſtrumentum nauticum 156
Balænæ monſtroſæ 163
Balæna in vado adhæreſcens. 163. eius caro inſipida 163
Balęna inſtar ſcopuli emergit 157
Barbari infidi, & ab omni virtute alieni 94
Barbari futurorum prędictiones idôlis ſuis attribuunt 45

Barbari quando expeditionem ſuſcipiant 33
Barbari ſibi mutuo diffidunt, folio 159
Barbari primoribus dicto audientes ſunt 111
Barbari, quibus blanditijs merces à Gallis extorqueant 169
Barbari ſemper ſagittis & arcu inſtructi incedunt 107
Barbarorum ſtatura. 164. rerum mũdanarum neglectores 164
villoſi non ſunt 164. 165
vnde natus hic error 166
variis coloribus corpus inficiũt. 166
corpus incidunt. 167. ex parte nudi, ex parte induti incedunt. 168. absque pane & vino laute viuunt. 171. quoties eſuriunt, edunt. 176. inter edendum non bibunt. ib. immortales inimicitias gerunt. 204. ſagittas validiſſime emittunt. 206. ſagittis piſces transfigunt. 191. ſine ordine, inconfuſe tamen in militiã proficiſcuntur. 206. ad prœlium venientes vlulant 207
Barbari aduenas humeris gerunt. fol. 243
Barbari ſuam agnoſcunt obcæcationem 233
Barbari inexcuſabiles in extremo iuditio 232
Barbari Dei cultui adhærere promittunt 231
Barbarorum cæcitas 118
Barbari cum lachrymis excipiunt reuerſos 50
Barbari vnde originem traxerint. fol. 233
Bogeſſy, colli ornamentum 113
Boiga de Todoslos ſanctos, vicus à Portugallenſibus constructus 103
Boiſius claſſi præficitur 145
Bolis ardens in aere conſpicitur 276
vnde ortum habuerit 277
Bombax quomodo proueniat 132
Bonitæ piſces 152
Braſilia ex parte inter Tropicos iacet. 102
Braſiliæ amplitudo. 103. amœnitas. ib. feris abundat 103
Bratti piſces à Barbaris appellati 33
Brickioca à Luſitanis reſtauratur 31
Buttugaris portus 11
Byaſſape portus. 25. eius ſitus. ibidem.
Byyvv, liba 109

C.

Cacodæmones an ſint 224
Cacodæmones Barbaros infeſtant. 223. apparent eis brutorum ſpecie. ibid.
Caiou a braſſicæ 202
Caluariarum acerui apud Barbaros. 215
Calumniæ exitus, qualis 73
Camomoupouy-ouaſſou, piſcis prægrandis 191
Canada Inſula 277
Canaria Inſula amœna. 149. pro Atlãtide à nonnullis habetur ibid.
Canariarum Inſularum nomina 101
Cancri terreſtres 190
Canes nulli apud Barbaros 182
Canide, auis cærulea 186
Cannibali Tououpinambaultijs vicini 232
Canomi miri, pueruli 170
Cantabri, in quo Ouetacatibus ſimiles 166
Cantus Barbaroum 226
Capita hoſtium veſtibulis tuguriorũ Barbarorum præfixa 50
Capo de S. Auguſtin, promontorium 5
Capo de Gel, vrbs Barbariæ 4

Capo

Capo Verde, id eſt, Capitis viridis Inſulæ, 101. in Æthiopia ſitæ. 12
Capreoli noſtris ſimiles apud Barbaros. 129
Captiui coloniæ cauſa in Americam deducti. 2
Captiui quomodo tractentur à Barbaris. 81
Captiuorum verba ſollemnia. 83
Captiuus cædi deſtinatus quomodo tractetur. 123
Captiuos quomodo tractent Barbari, 210. per vicos circumducunt. 211.
Captiuus moriens ſe vlciſcitur. ibidem.
Caraibes, Pſeudoprophetæ Barbarorum. 225
Caribas, gens peſſima. 183
Carinée portus. 25
Carios ad meridiem ſita natio. 16
Carios, gens malitioſa, 103. regio paulo rigidior, 103. quibus indumentis vtantur incolæ. ibid.
Carios ferina & piſcibus abundat. 20.
Carnes humanas fumo indurāt Barbari. 86
Caſæ Barbarorum quomodo conſtructæ. 105. 106
Caſarum Americ. forma & ſtructura. 227
Catharina de Vattauilla, nauis Gallica. 97
Cattiuaro, animal amphibium. 130
Cauxium mare. 146
Cay, Cercopitheci, 183. eorum in tuēdis paruulis induſtria. 183
Cera Barbarorum nigra. 189
Cercopithecorum tria genera. 129
Ceyba, arbor ingens. 194
Chamus auctor generis Barbarorum cenſetur. 233
Charitatem colunt Barbari. 244
Choyne, arbores fructum Maraca ferentes. 197
Citrea mala magno numero creſcūt in Braſilia. 199
Citrullæ Americanæ. 203
Claua lignea Barbarorum. 205
Claudius Mirandus Gallus, 69. fratrē Io. Stadii ſe ſimulat. 69
Clypeus ex marina teſtudine. 154
Coaty, longo roſtro animal. 184
Collignium, caſtellum. 163
Commanda-miri, piſa minora. 203
Commenda-ouaſſou, faba Braſiliana 203.
Commutandi cum Barbaris ratio. 159.
Concordia Barbarorum. 112
Conſilia quomodo ineant Barbari. 119.
Conuentus Barbarorum ad Lunam. 54.
Conuentus Barbari quarto vel quinto quoque anno celebrant, 225. & quibus cæremoniis. 226. 227
Copau, arbor nuci ſimilis. 197
Coquendi ratio apud Barbaros. 110
Cortex arboris nauis vſum præbens. 119.
Coſmographorum error in deſcribēdo Fortunatarum Inſularum ſitu. 148.
Coſmographorum error in depingēdis Barbarorum aſſationibus. 214
Crepundia Americanorum infantium. 235
Crines quomodo abſque forfice detondeant Barbari: 113
Crucis ſignum in Barbaria conſpiciūt Luſitani. 19
Cubilia Barbarorum quomodo ſternantur. 239
Culinæ Barbarorum quales. 179
Cumanenſium regio vbi ſita. 188

Cunei Barbarorum. 108
Cynici cuiuſdam impudentia. 237

D.

Dæmonem timent Barbari. 176
Dattu animalculum. 129
Delicatorum hominum ſtudia 155
Delphines ad naues alluunt. 97
Delphines nauem circumdant. 157
Dentium dolore infeſtatur Ioan. Stadius. 49
Deum nullum agnoſcunt Barbari. 221
Dierũ diſcrimen apud Barbaros nullum. 120
Diluuii notitia aliqua apud Barbaros eſt. 118. 229
Diuitiæ Barbarorum. 116
Don Diego de Senabria, claſſis præfectus. 11
Dorado, piſcis genus. 4
Doynges, piſcium genus. 77

E.

Enduap, natium tegumentum. 114
Equis caret America. 209
Eſſeniorum de animarum immortalitate ſententia reprehẽditur. 222
Eſſoreæ Inſulæ. 275
Expeditio Barbarorum. 77

F.

Faba Braſiliana. 203
Fames in naui Luſitana exorta. 11
Famis horrendæ hiſt. 275. 276. 277. & ſeqq.
Famuli apud Gallos inſano more circumcurſitantes. 176
Farina ex radicibus. 8
Farina ex piſcibus. 108
Femina Barbara crucem Ioan. Stadii demolitur. 87
Feminæ Barbarorum veſtes pertinaciter reiiciunt. 170
Fernambuco portus. 5
il Ferro Inſula. 101
Feſtum quomodo celebrent Barb. 117
Flãmulæ apparentes nautis bonum omen. 5
Florida quantum diſtat ab America. 201.
Fœneratores Americanis immaniores. 219
Folia ingentis magnitudinis. 198
Forte-ventura Inſula. 101
Fortunatæ Inſulæ. 148
Franciſcus de Champs, nauclerus. 97
S. Franciſci flumen. 19
Frienſe Promontorium. 160. 161
Frigus nullum in America. 200
Fumus, Tatatin Barbaris. 243
Funtſchallum Inſulæ Maderæ oppidum. 4

G.

Gallinarum ferax America. 185
Gallus apud Barbaros degit. 47. deuorandum pronũtiat Stadium. 47
Galli piperi colligendo intenti. 46
Gallica nauis à Luſitanis inuaditur. 11.
Gallorum cum Braſilianis commercium. 45. cũ Luſitanis inimicitias exercent. 45
Ganabaræ ſinus. 161. eius deſcriptio. 162.
Garaſu oppidum à Barbaris obſidetur. 6. eius ſitus. ibidem
Garaſu obſidio ſoluitur. 9
Genipat fructus gummoſus. 166
Georgius Fenero Luſitanus à Barbaris voratur. 81
Gerau, Palmarum genus. 196
Gigantum ad flumen Platam celeritas. 160
Gladios ferreos parui faciunt Barbari. 206.
Gomera, hiſtoriæ Indicæ ſcriptor. 233
Gonambuch, auis minima. 187

Gorgones, Inſulæ, nunc Capo Verde dicuntur. 101
Goſſypium quomodo neant Americanæ mulieres 239
Cran Canaria, Inſula. 101
Guap vel Kuap, pectines. 169
Guinea, Æthiopia regiō. 101

H.

Hami, quibus vtuntur Barbari. 193
eos magni faciunt. ibidem
Hay, deforme animal. 184
Heliodorus Heſſus, Eobani filius. 35
Henricus Brand Bremenſis. 2
Heſperion cornu, Capo Verde dictū in Æthiopia. 12
Heſperides Inſulæ. 101
Hetich, radices optimæ. 202
Hieronymus de praga à Barbaris aſſatur. 18
Hiuomaè, Guaiaci ſpecies. 197
Homicidii pœna quæ apud Barbaros 110.
Honfleur oppidum Normaniæ. 97
Hoſpites comiter excipiunt Barbari. 240
Humanitatis Barbaror. inſigne exēplum. 244
Huuaſſou, locus aſper. 157

I.

Iacare, Crocodili Americani. 181
Iacous, Phaſiani. 185
Iacobus & Dominicus de Praga. fratres Chriſtiani capiūtur à Barb. 79
Ian-ouare, fera hominibus infeſta. 182.
Ichthiocollæ vnde aduehantur. 277
Idola Barbarorum futurorū præſcia ab ipſis creduntur. 45
Ieppipo VVaſu 42. duriter tractat Stadium. 55
Ieppipo VVaſu familia ægrotat. 58
Ittiki, radices boni ſaporis. 132
Ignem quomodo eliciāt Barbari. 107
Igne delectantur Barbari. 243
Ignis Tata Barbaris. 243
Ignem quomodo exitent Barbari. 243
Inaures Barbarorum. 167
Inconſtantia Barbarorum. 231
Inedia rabiem generat. 278
Infantes quomodo geſtēt Barbari. 114
Infantibus quo ritu indent nomina. 115.
Infantes vorant Barbari. 215. 216
Infantes an faſciis inuoluendi. 236
Ingange, Dæmon Barbaris. 107
Inimcitiæ inter Gallos & Luſitanos Vnde ortæ. 147
Ingenio tuguria in quibus ſaccharū conficitur. 35
Inni, lecti penſiles. 38
Inſularum Fortunatarum ſitus. 184
Inubia, cornua ingentia. 206
Ioannes Brachuſius, Germanus. 2
Ioānes Ferdinandus, Cantaber, cum Barbaris degit. 20
Ioannes Humbertus, Nauarcha. 146
Ioannes Meunius, nauclerus. 156. ſine literis egregius gubernator. ibid.
Ioannes Sanches Cantaber. 69
Ioannes Stadius Vlyſſibonæ quieti ſe dat. 11
ad Portum S. Mariæ Bæticæ vrbem appellit. 11
Hiſpalim venit. 11
ad S. Lucam portum peruenit. 12
tempeſtate conflictatur. 15
ad Barbaros ſcapha mittitur. 22
caſtello tuendo præficitur. 31
ab Hiſpano in Inſula S. Vincentii inuiſitur. 35
in Barbarorum manus incidit. 35
ab eis captiuus abripitur. 35
de eo altercantur Barbari. 36
in mortis diſcrimine verſatur. 36

ad pias cogitationes incenditur. 38
in anguſtiis Deo hymnum canit. 38.
precibus ſuis tempeſtatem auertit. 39.
à mulieribus Barbarorum vexatur. 40.
epulis deſtinatur. 42
vinculis à Barbaris mulierculis cō-ſtringitur. 42
detondetur. 42
ad ſaltationem accingitur. 44
Ipperu VVaſu traditur. 45
contra idôla Barbarorum diſſerit. 45.
Gallorum confœderatum ſe dicit. 46.
ad Deum preces fundit. 47
accuratiſſime aſſeruatur. 48
dentium doloribus vexatur. 49
mortem optat. 49
coram Rege Konyan Bebe ſiſtitur. 50.
magno plauſu à Barbaris excipitur. 50.
regi Konyan Bebe blanditur. 50
eundem de hoſtibus ſuis præmonet. 51
cantare cogitur. 51
fugam meditatur. 53
ægrotos fruſtra ſanare tentat. 60
melius haberi iubetur. 60
à vetulis Scheraeire vocatur. 61
mancipium morti deſtinatum de Deo erudit. 64
tempeſtatem excitaſſe à Barbaris arguitur. 65
ab eſu humanarum carnium Barbaros deterret. 67
ad nauim Luſitanorum in colloquium mittitur. 69
merces ab iis accipit. 70. de bello Brickiocacenſes admonet. 70
mitius tractatur à Barbaris. 70
aufugere conatur. 75
ad Barbaros redit. 75
expeditioni adiungitur. 77
captiuos duos Chriſtianos conſolatur. 81
vaticinandi peritus à Barbaris creditur. 82
Chriſtianos à cæde eripere ſatagit. 83.
crucem ligneam erigit. 87
piſcationi adhibetur. 88
tempeſtatem precibus auertit. 88
fugæ occaſionem Chriſtianis captiuis monſtrat. 90
à Gallis inuiſitur. 93
inuitis Barbaris abducitur & liberatur. 94.95
in conflictu vulneratur. 97
Diepam proficiſcitur. 97
Londinū aduehitur, & inde Antuerpiam. 99
Ionquet, ſal Barbarorum. 203
Ioſephus Ornio, Genuenſis mercator. 35
Ipperu VVaſu dono Io. Stadium accipit. 42
Itavvu regulus Luſitanum vorat. 92
Itero-enne, locus maritimus. 62
Iudæorum immanis crudelitas. 214
Iumentis carent Americani. 194
Iuni Pappeeyvva arbores. 131
Iunonia, vna ex Inſulis Fortunatis. 148.
Ivvara Pemme claua mactationi captiuorum deſtinata. 124

K.

Kannitare, capitis redimiculum, fol. 113.
Karayæ, natio.
Karaya natio ex palmis ſalem conficit. 110

Karvvat-

Karvvattuvvare Gallus quidam à Barbaris nominatus 47
Karvvattuvvare ad Stadium reuertitur. 62. Stadium liberare conatur. 62.63.
Kavvi, potus Barbarorum 33
Kenirima, radices aridæ 109
Kenrimakui regulus Barbarorum. 61. de Ioan. Stadio ſomniat 61
Key, Cercopithecorum genus 129
Konyan Bebe, rex Barbarorum 50
Konyan Bebe faſtu & ambitione laborat. 50. fortitudinem ſuam iactat 51
Kurema, mulli genus 191

L.

Labia perforant Barbari. 113. lapillis exornant ibid.
Lacertæ Americanæ maximæ. 181. edules ibid.
Lacerta immanis magnitudinis. fol. 182
Lamerotta Inſula 101
Lapides varij generis ex labiis appendunt Barbari 50
Lapides olim cultrorum vſum Americanis præbebant 214
Laridum quadrageſimæ non eſt ſuis marini adeps, ſed Balęnæ 153
Lateritia, locus in America 267
Lecti Barbarorum 107
Leirpirakaen, piſcium genus 77
Leopardi infeſti Barbaris 130
Leripes, oſtrea 163
Librum, quomodo Barbari appellauerint 65
Ligna roſei odoris 197
Ligna varij coloris 197
Lignorum duo genera apud Americ. 243
Lingua Balænæ in Galliam tranſmiſſa 163
Lintres corticei 207
Litteræ, excellentiſſimum Dei donũ. 221
Litui Barbarorum, fiſtulæ ex oſſibus humanis 206
Lunam metuunt Barbari 54
Lunæ facies formidabilis apparet. fol. 54
Lunæ vicibus tempus definiunt Barbari 231
Luſitani de Io. Stadio apud Barbaros inquirunt. 57. reſponſum frigidum referunt ibid.
Luſitanorum erga Gallos crudelitas. 62
Luſitani quomodo cum Barbaris negotientur 69
Lyſſes piſces ab Hiſpanis dicti 33

M.

Macacoua, Perdicum genus 185
Mactationis captiuorum deſcriptio. 72
Mackukavva, auis 124
Madera Inſula regiæ Portugaliæ paret 4. vini & ſacchari fertilis 4
Magi Barbarorum. 117. eorum impoſtura ibid.
Mahometi monſtroſa crudelitas 218
Mais, Peruanum triticũ. 173. eius mira fœcunditas ibid.
Mambukabe pagis à Tuppin Ikinſijs vaſtatur 55
Mancipium quoddam Ioh. Stadium apud Barbaros calumniatur. 72. ægrotans mactatur à Barbaris 72
Mandioca, radix 9
Mandiocæ radicis deſcriptio 109
Maniot, radix 171
Manobi, auellanæ 202
Maq-he regio 166
Maraca, crepitacula ex fructibus 168
Mare, an in ſe habet ſingulas animalium ſpecies 192

Margaiates Gallis inimiciſſimi 157
Marganas, Pſittaci, apud nos frequẽtes 186
Margou-ia, poma aurea 199
Maria Bellete, nauis Gallicana. 92. in itinere perijt ibid.
Marinum oppidum 5
Markayas, hoſtes Barbarorum 50
S. Maro, è regione Brickiocæ Inſula. 31
Maſtiche in dumetis naſcitur 200
Matrimonia, quomodo contrahant Barbari 234
Matrimonia Barbari, cum quibus nõ ineant 234
Matte pue, cochlearum marinarum genus 113. 114
D. Matthęus Euangelium apud Cannibalas annuntiauit 232
Matthiolus, quomodo Muſam arborem deſcribat 199
Mauritaniæ terra humilis & plana. 149
Maurongaus, citrullæ rotundæ 203
Mayenbipe Inſula 77
Medici cuiuſmodi apud Barbaros. fo. 246
Melle, quomodo vtantur Barbari 189
Memoriæ ſubſidia, an vtilia 222
Meniſci ex oſſibus candidis 166
Menſtruis carent Americanæ mulieres. 237. & cur, coniectura ibi.
Merces, quas à Barbari negociatores accipiunt 75
Merces noſtrates, quanti faciant Barbari 244. 245
Metre humane quidam Barbaris dictus miracula edidit apud Barbaros 113
Mingau, puls 110
Mitylenæ quando expugnatæ 218
Mockaein, carnes coctæ 110
Modulationes Barbarorum in ſolennibus conuentibus 226. 228. 229
Mokaen, caro toſta Chriſtianorum. 85
Monetæ nullus vſus 116
Monilia Barbarorum 50
Μονόγαμοι Barbari plerique 115
Montium Braſiliæ altitudo 103
Mortem contemnunt Barbari 64
Mos Barbarorum in adornandis epulis 64
Mouton, auis rara 183
Mulierum Barbarorum nomina, vnde deſumpta 114
Mulieres Barbarorum, quomodo captiuos accipiunt 40
Mulieres Americanę viros laboribus vincunt. 235. grauidę à laborib. non ceſſant ibid.
Mulieres Americanæ dæmoniacæ fiunt 226. 227
Mulieres Barbaræ fuco vniuerſum corpus illinunt. 114. comam alunt. ibid. auriculas perforant ibid.
Mulieres vatidicę Barbarorum 118. ecſtaſin ſimulant 118
Mulieres Americanę, qua in re noſtris præſtent 234
Mulierum noſtratium mores 235
Mullorum duo genera 191
Mungu VVappe, locus maritimus 62
Mus tribus coronatis venditur 277
Mures à nautis famelicis vorantur. 275
Muſa arbor eiuſque deſcriptio 199
Muſſurana, funis ad vinciendos captiuos 64
Myoparo piraticus capitur 149

N.

Nambibeia, muliebre ornamentum 114
Natandi peritiſſimi Barbari 192
Naues quomodo conſtruant Barbari 119

Na-

Nauigatio inBraſiliam quomodo inſtituenda 101.102.
Nauigantibus nullæ delitiæ propoſitæ 155
Nauigantium pericula 148
Nauis oneraria in portu perit 23
Nautæ duo fame necati 275
Nautarum rapacitas 147
Nautarum crudelitas 149
Negotiandi cum Barbaris ratio. 69
Neuſtrij naumachiæ peritiſſimi 150
Nicotiana non eſt Petum. 201. vnde primum allata ibid.
Nigua quid 189
Niue caret America 200
Nomina Barbari cum feris communia habent.114. ad numerum cęſorum hoſtium augent 114
Nomina cuiuſmodi imponāt infantibus Barbari 236
Nuditas Americanorum, an ſit libidinis illex 171
Nuditas contra S.ſcripturam 171
Numerorum vſus nullus apud Americanos 128

O.

Obſtetrices nullæ apud Barbaros 114
Ocarantim vicus 245
Occaraſu mons 83
Ollæ, cuiuſmodi apud Americanos. 240
Ombrios Inſularum Fortunatarum vna 148
Orapat, arcus Barbarorum 205
Oſtrea præſtantiſſima 163
Oua ab Americanis venenata habentur 185
Ouara, piſcium genus 191
Ouetacates Gallis inimici 158
Ouetacatium feritas 159
Ouſſa, cancri terreſtres 190
Ouy-entan, farina durior 172
Ouy-pou, farina mollior 172

P.

Paco, poma, ficus ſapore 198
Paco-aire, frutex tenera. 198. folia habet ampliſſima ibid.
Pag, animal maculoſum 180
Pages, Medici Barbarorum 246
Paicacu, turtures 185
Palma Inſula vna ex Canarijs. 12. eius ſitus 101
Palmarum 4. aut 5. genera 196
Palmæ encephalum nautis loco cibi eſt 19
Pana-pana, piſcis capite deformi 192
Pane, quo vtantur Barbari 109
Paraibe fluuius 77.105
Paraibæ 159
Parati, mulli genus 191
Parmæ ex tergore Tapirouſſou 178
Papiliones apud Barbaros 189
Pacca animalis dens 108
Paygi, vates Barbarorum 117
Pediculos vorant Barbari 114
Pegaſſou, palumbi 185
Pelles tonitruorum liber Barbaris dicitur 65
Pennæ auium magno ſunt in pretio apud Barbaros 116.131
Perdices Americani. 185. eorum duo genera ibid.
Petaſitis folium latiſſimum 198
Perot appellantur Luſitani à Barbaris 35
Perottus Ioh. Stadij fratrem ſe ſimulat 93
Peru regnum auro fertiliſſimum 11
Petrus Roſſelius, negotiator 97
Petrus Bordonius, tornator peritiſſimus 198
Petum herba magnarum virium 201. eius fumus cerebrum purgat ibid.
Petum vera in Gallia nulla 201
Phaſiani Indici 185
Phaſianorum tria genera 185

Pintiadus nauarcha 2
Piper Braſilianum, quomodo proueniat 132
Piper Indicum non eſt oblongum 202
Piperis duo genera 132
Pipere viridi, vt plurimũ vtuntur Barbari 110
Pipere ad fugandos hoſtes vtũtur Barbari 123
Pira, piſces 191
Pirakui farina ex toſtis piſcibus 33
Piraui iou, Inſula 212
Piſcandi ratio apud Barbaros 107
Piſce Bolador, id eſt, piſces volatiles 4
Piſcis prodigioſus 161
Plumaceus ornatus Barbarorum 113
Politia Barbarorum qualis. 238. nullis legibus conſtituta eſt, ſed à ſola naturæ luce pendet ibid.
Polygamia apud Barbaros vſitata 234
Potus conficiendi ratio 175. 111
Portulaca Americana noſtræ ſimilis, 203
Portus S. Mariæ, vrbs Bæticæ 2
Prandium præter caſam fugiens, prouerb. 149
Precatio Ioh. Stadij 99
Precum efficacia 17. 19
Pricki, Cercopithecorum genus 129
Pſittaci humanæ vocis periti 186
Pſittaci mira hiſtoria 186
Pſittacorum multitudo 161
Pſittacorum tria genera apud Americanos 186
Ptolemæi Lathuri immane facinus. 217
Puellæ impuberes deſpondentur 116
Puerperæ Americanæ laboris patientiſſimæ 236
Puluis tormentarius incenſus nauigium corripit. 275

Q.

Quoniam, dicuntur fœminæ Barbaris 169

R.

Rabies ex inedia 278
Radices, Iettiki dictæ. 132. in lupuli modum creſcunt ibid.
le Ratier rupes munitiſſima 162
Reciprocatio fluctuum mirabilis, fo. 148
Requienes piſces. 153. damnoſi 154
Reſurrectio mortuorum à Peruenſibus Barbaris creditur 224
Rio de Ienero, portus 75
Rio de Plata regio Americæ 11
Roberga minor, nauis 145
Romanus itineris ad Prouinciam Rio de Plata peritus 25
Roſea, nauis 146
Rupes Smaragdus credita 160

S.

Sabaucaie, nucis Indicæ ſpecies 197
Sacchari cannæ in Braſilia naſcuntur 200
Sacrum Promontorium 148
Sagæ noſtræ cum mulieribus Americanis Dæmoniacis comparantur, 226
Sagittarij peritiſſimi in America 205
Sagittarum cuſpides ex oſſibus piſcium 122
Sagittis, cuiuſmodi vtantur Barbari. 205
Sago apud Marotum quid, & vnde. 184
Sagouin, pulcrum animalculum 183
Salaſar, Capitaneus 20
Salis nullus vſus apud Barbaros 203
Saltationes Barbarorum, quibus ritibus fiant 228
Sancerra Galliç per annum integrum obſeſſa 239
Sancerrana fames 278
Sãtelmo, id eſt, corpora ſancta, flammulæ nautis apparentes 5
Sarigoy, fœtidum animal 180
Sarvvoy, fera apud Barbaros 129

Sca-

Scarificatione qua vtantur Barbari. 108.
Scheraeirc quid Barbaris. 61
Scheriff Mauritanorũ rex vrbem Capo de Gel Portugaliæ regi eripit. 4
Schirmireni, Portus S. Catharinæ. 19
Scorpiones in America frequẽtes. 190 aduerſus eorum ictus remedium. ibid.
Scoticus lapis admiranda ratione ignem concipit. 243
Scripturæ vſus magnum Dei beneficium. 221
Scuta Barbarorum. 122
S. Sebaſtiani Inſula. 77
Senes reuerenter habent Barbari. 204
Seouaſſou, ceruorum genus. 180
Serpentes vorant Barbari. 181
Setubal, vrbs Luſitaniæ. 2
Silueſtres in Fernambuco ſeditionẽ mouent. 6
Sippo ſarmenta. 8
Sirenes an ſint in mari. 193
Socrates liberorum ſuorum Deo cõmittit. 196
Socratis ſententia de memoria ſubſidiis reprehenditur. 222
Solis altitudo apud Tuppin Ikinſios. 16.
Somnia obſeruant Barbari. 77.120
Soo, animantes feræ. 178
Sorices ſciurorum magnitudine. 180
Sovvaraſu, regulus. 93
Spititus ſanctus, caſtellum Luſitanorum. 159
Sponſalia quo ritu celebrentur à Barbaris. 116
Spuma quæ ſaponis vicem ſupplet apud Americanos. 239
Strategemata Barbarorum in militiã proficiſcentium. 207
Stryges Græcorum. 189
Su, ſtella polus Antarcticus à Neuſtriis dicitur. 156
Sues marini. 153. eorum duo genera. ibid. ingens copia. ibid. qua ratione capiantur. ibid.
Sues vmbilicum in dorſo habent. 180
Supellex Barbarorum qualis ſit. 239
Superſtitiones Barbarorum craſſiſſimæ. 239.230
Supravvai, portus. 15. ab Inſula S. Vincentii XVIII. miliarib. abeſt. ibid.

T.

Tacape, claua lignea. 205
Tackvvaraſudibi, vicus Barbarorum. 91.
Taiaſſou, aper Americanus. 180
Talionis pœna apud Barbaros. 238
Tamaraka fructus, Barbarorum numina. 40.117
Tamaraka vicus Barbarorum. 8
Tamouata, piſcis monſtroſus. 191.192
Tapemiry, plaga maritima. 159
Tapirouſſou, fera aſinum referens. 178
Tapitis, leporis genus. 180
Taramiri regulus Georgium Ferrerium aſſat. 86
Tatou, ſquaminis armata fera. 180
Tempeſtatis inſignis deſcriptio. 17
Tempus qua ratione diſtinguãt Barbari. 120
Teneriffe Inſula. 101
Tercera Inſula. 11
Teſtudinum marinarum ſub zona torrida quantitas. 154
Teuire, conuicium Barbarorum ergã Deum. 51
Teygaſu Tattu, apri. 129
Theuetus notatus. 162.175
Theueti error in deſcriptione herbæ Petum. 262
Theuetus reprehenditur. 243
Thomas de Suſe Capitaneus. 32
S. Thomæ Inſula à Portugallenſibus inhabitatur. 12
Tiberaun, piſcis marinus. 122

Tickquarippe pagus 64
Tigrides in Barbaria 129
Tippiti,palmæ genus 109
Tockaun, folia, ex quibus retia contexunt Barbari 107
Tocon herba, arcubus neruorum loco 205
Ton,inſecti genus. 189. vngulas pedũ & manuum infeſtat 189
Tonitru terrentur Barbari 222
Tonitrua horrenda in Braſilia 200
Toucan,auis deſcriptio 167
Toucan,auis roſtro monſtroſo 187
Touis,Pſittacorum genus 187
Toupan,tonitrua 200
Tououpinambaultij, Barbarorũ nomen 164
Touous,lacertæ Americanæ 181
Trichides prodigioſæ 148
Tritones, num in mari reperiantur. 193
ſub Tropicis cœlum clementiſſimũ. 200
Tubæ Barbarorum 121
Tuguria, quomodo conſtruant Barbari 105
Tuguria, quomodo muniant Barbari 106
Tuppin Ikinſij.16. Luſitanorum confœderati ibid.
Tuppin Ikinſij cum Tuppin Imbis decertant 37
Tuppin Ikinſij in hoſtes ſuos expeditionem ſuſcipiunt 53
Tuppin Imbarum regio ſub 24. vltra Æquatorem gradu ſita 101
Tuppin Imbarum cum Tuppin Ikinſiis conflictus 79
Tuppin Imbę iuxta flumina & ſiluas ædificant 105
Tuppin Imbæ, quas nationes vicinas habeant 105
Turacanus,legatus Turcicus trophęum ex capitib. humanis erigit 217
Typpoy,induſia nationis Carios 103
Tyuire,conuicium Barbarorum 23

V.

Valboa Hiſpanus canibus Barbaros fugat 183
Vaſa, quomodo conficiant Barbari. 111
Vaſanum,maris ſinus 164
Venti in mari Braſiliano,ſole in meridie verſante,à meridie flant,ad meridiem declinante, à ſeptemtrione irruunt 13
Venti per quinque menſes vno ex loco ſpirant 13
Venti inconſtantes circa Æquatorem 154.155
Ventorum tempeſtas exoritur 65
Ver perpetuum apud Braſilienſes 157
Verba quib. Barbari in prœlio ſe mutuo inclamant 119
Veſpertiliones noſtris maiores apud Barbaros.130.dormientes infeſtant ibid.
Veſpertilionis faceta hiſtoria 188
Veſtium luxuries ad libidinem ꝓuocat 171
Vicus Barbarorum, quot caſis conſtet 106
Vignol,cochlea prægrandis 169
Villagagno rupem munire conatur. 162.eius habitatio 163
Vindictæ cupidiſſimi Barbari 204
Vino incautè ſe obruunt Americani. 177
Viri obſtetricantur mulieribus 235
Vitam hilarem ducunt Americani,& curis vacuam 233
Vladi,Moldauiæ reguli, inaudita immanitas 219
Vltionis diuinæ exemplum 98
Vlyſſibona,vrbs Luſitaniæ.101. eleuationem poli habet 39.grad. ibid.
Volatiles piſces 151.152
Vpec,Anates Indiæ 185

Vrakuciba, ligna 107
Vratinge VVaſu, Regulus. 42. 61. eius nominis interpretatio. ibid. Barbaris ſomnium de Iohan. Stadio narrat 61
Vrbanitas Barbarorum 158
Vrbioneme Inſula S. Vinçentij 25
Vulturnus ventus, quomodo à nautis appelletur 17
Vvvara Pirange, aues 36.131
Vvvara crebro colorem mutant 36
Vvvattibi vicus Tuppin Imbarum. 40.51
Vxores inuicem donant Barbari 115
Vythan, farina 109

VV.

VVaygannas natio in montibus habitans. 103. nullis certis vtitur ſedib. 103. in hoſtes crudelis 104
*VV*eittaka vicini Tuppin Imbarum. 105
*VV*ilhelmus de Moner, præfectus nauis Gallicanæ 97

X.

Xyliferæ arbores 199
Xylon, quomodo proueniat 132

Y.

Yettin, culices 190
Yga yvvera, arbores 119
Ygat, linter corticeus 207
Yneppaun, vaſa Barbarorum 109
Yvvara Pemme, claua Barbarorum ad mactandos captiuos 42
Yvvara, tuguriorum munimenta. 40

Z.

Zelotypia nulla apud Barbaros 234

F I N I S.

08919

IMPRESSVM FRAN-
COFVRTI AD MOENVM,
APVD MATTHIAM BECKERVM,
IMPENSIS THEODORI DE BRY.

MD CV.

J F90
= B 915 v
GV 3. 2a
cop. 2

J
De Bry
GV
pt. 3
1597
Lat.
2
cop 1

GAUDEO